6
39-d
49
E. 35
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
15 F
37
6-39. d. 49

~~II-0107 b 3~~
94

# LEONARDI MALAESPINAE,

## IN EPISTOLAS M. TVLLII CICERONIS AD ATTICVM, BRVTVM, ET Q. FRATREM, EMENDATIONES, ac ſuſpiciones,

Index rerum & verborum.

*CVM PRIVILEGIO.*

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

C.R. S.J.




*Venetijs apud Io. Bapt. Somaſcum.* 1563.

D.PROB.ROM.S.J

# ALEXANDRO FARNESIO CARDINALI AMPLISSIMO.

## LEONARDVS MALASPINA FLORENTINVS, EX DIVINI SERVATORIS FAMILIA CANONICVS, S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

NOn dubito Alexander Farneſi, quin multi cōſilium hoc meum ſubaccuſent, prudentiæq́; in me paulo plus deſiderent; qui, nec dignitatis nec cogitationum tuarum habita ratione, has tibi meas in epiſtolas ad Atticum, ad Brutum & Q. fratrem, non quidem nugas, ut ſperamus, ſed certe lucubrationes huiuſmodi dedicauerim, quę

& adoleſcẽtium ſtudia citius alant, quàm hominum magnopere delectent : & ab iſto altiſsimo animi tui ſenſu, alienæ quodammodo videantur. Nam ſiue illud ſpectauerim, vt his exiſtimationem, auctoritate tui nominis colligerem, quid indignius? ſiue vt eas euolueres, quid impudentius? Abutentis enim illud eſſe facilitate tua, hoc etiam arrogantis. Neque ego hæc non prouidebam: ſed cum liberalitatem ſæpe animi tui erga me, prolixamq; voluntatem expertus eſſem: eaq; mihi tam ſuauis tamq; grata accidiſſet, quàm ampliſsima aliorum beneficia: imperare mihi non potui, quin hoc ipſum, hac munuſculi ſignificatione (nec enim alia potui) declararem: non tam inſeruiens (fateor) dignitati tuæ, cui omnia maxima debentur, quàm indulgens animi propenſioni mei. Verum, quid agerem? Non ualui præſtare, quæ Caſertanus Antiſtes, philoſophorum noſtræ patrumque memoriæ acutiſsimus: non quæ Onuphrius Panuinus, multa eruditione ornatus, & noſtrorum hominum ἱστορικώτατος: non quæ Matthæus Denarius, alter ſeculi huius, in Græcorum litteris Ariſtarchus: non quæ alii complures e familia iſta tua, doctrina præ-

clari & nobiles: ſed tamen principes ſæpe viri, non minus lęto animo, pyra, mala, pomaq́; reliqua accipiunt, quàm Perdices, quàm Lepores: nec libentius his, quàm illis non raro veſcuntur. Erit fortaſſe tempus illud, nec, vt ſpero abeſt longius: cum maiora digniorάque demus. Quámquam, ne hęc quidem nos aut pueris ſcripſimus, aut non ſtudia grauiſsima iudicauimus, quę viri iudicio longe optimo & elegantiſſima doctrina Victorius, Corradus & Manutius digna duxerant, in quibus tantum operæ ac diligentiæ ponerent, quantum qui his paulum modo delectatus ſit, ignorate poteſt nemo. Et ne nihil factum putetur eorum induſtria, ii, cœli huius vſuram, his libris M. Tullii, vt de ceteris ſileam, reddiderunt; qui errorum tenebris inuoluti atque ſepulti, lucem aſpicere, inque conſpectum prodire vix ſuſtinebant: quanta ſtudioſorum iactura, ii modo intelligunt, qui purgatiores iam factos, multum habent in manibus. Equidem ſic ſtatuo, qui, vel ad loquendi copiam & varietatem, vel ad vitæ honeſtatem, rerumque gerendarum facultatem, plures ac maiores oportunitates afferant, paucos omnino libros

inueniri. Atque id eſt cognitu non difficile. Nam cum tria ſint dicendi genera, amplum, temperatum ac tenue: priorum in his non deſunt exempla: nam & grandis incedit alicubi; & paſsim tranquillus, acutus, ſuauis, æquabilis: eius uero quod in rebus cuiuſque priuatis familiaribusq; negotiis oratione explicandis cernitur ſubitum & ſermonis popularis ſimile, certe niſi hinc accipias, aliunde tibi ſumere uix poſsis. Quæ enim ad alios ſcribuntur epiſtolæ (de his loquor, quæ ſunt reliquæ) ſuppeditant aliquid illæ quidem, ſed quod, ſi cum his comparetur, perexiguum præbeat adiumentum. Hic ingens ſilua & copia reperitur; ut nihil fere homines inter ſe contrahant, nihil agant, in quo enuntiando, non hinc uerba ſuppetant, multiplicesq; loquendi formæ atque ſententiæ: & quod caput eſt; natiuus ille, purus, ſimplex, caſtus, & quaſi virgo, non arte ſed natura ornata, ſermo Romanus, epiſtolarum maxime proprius ac ſuus: quem, qui ut popularem & quotidianum contemnunt, (neque enim parum multi ſunt) ne ii mihi uidentur, quid ſumme deceat non uidere: qui facilem & expeditum ad imitandum, quid in ea re poſſent, periculum nun-

quam feciſſe. Sane magnorum virorum teſtimonio, nihil eſt in omni eloquentia, quod ſpem tantopere fallat, quàm quod quilibet cum audiuerit, conſecuturum ſe nullo negotio, imitatione confidat. Atque hæc quidem eloquentiam adiuuant: illa, uitam & mores: cum egregium hunc ciuem, perpetuumq; libertatis ac recti uindicem, cognoſcimus, ab honeſta ratione, nec uigintiuiratu, ad quem inuitabatur: nec ullis præmiis abduci: in ciuili autem bello periculoſiſsimo ac diuturno, nec ſpe nec metu, permoueri potuiſſe, quo minus optimis ſe partibus, hoc eſt Reip. adiungeret: & cum eundem intelligimus innocentiſsime prouinciam adminiſtraſſe: & diuinam uſquequaque uoluntatem præſetuliſſe. Iam uero prudentiæ, quanta hic, quamq; perſpicua documenta tradit? uel cum pugnat, contra adnitente Catone, ut publicanis in inducenda locatione uectigalium, mos geratur: non quia æquum id eſſet, ſed quia uideret homo prudens & grauis, equeſtrem ordinem, niſi hoc illi obtinerent, ab Senatu alienatum iri: atque ea alienatione, ſimul coniunctionem illam funditus tolli, qua Reip. ſalus niteretur? uel cum agrariis legibus reſi-

ſtit, verens ne id accideret, quod poſtea conſecutum eſt: vt populus beneficio deuinctus, ad turbulentiſsimorum ciuium pernicioſas leges, aut conniueret, aut applauderet? vel cum Pompeio auctor eſt, ne aut ſocietatem coeat cum Cęſare, aut ne dirimat? in illo enim otium & æquabilitatem, in hoc perturbationem rerumque omnium motum haud dubie cerni? Vel cum denique ciuili bello excitato, pacis & concordiæ perpetuo ſuaſor eſt, vel iniqua conditione iungendę: homines enim de ſua potentia ciuitatis periculo dimicare: victoriæque pręmium, (id quod re ipſa poſtea cognitum eſt) Tyrannidem fore, & vniuerſæ Reip. occaſum atque interitum. Sexcenta ſunt hic, generis eiuſdem prudentię uirtutiſque monumenta, quibus quaſi clariſsimis præceptis, & in melius poſsimus inſtituere uitam noſtram, & ad res gerendas reddi paratiores. Denique, abſoluam breui: Si prudentiæ, ſanctiſsima optimaque parens hiſtoria eſt, ea his litteris, annorum fere triginta ita conſignata eſt, vt qui eas legerint, contextam, vt Nepos ait, non ſane magnopere deſiderent. Quare, cum hęc, atque id ge-

nus alia non pauca, ii libri complectantur, quæ tum ad linguam exornandam; tum ad vitam & mores conformandos: tum ad ipſam denique mentem ſapientię præſidiis augendam, plurima adiumenta afferant: quis erit adeo rerum iniquus æſtimator, quin confiteatur, qui his purgandis atque adeo ad honeſtiorem ſpeciem (ſuam non audeo dicere) reſtituendis, ſtudium operamque ponant, eos in re præclariſsima, hominumque rationibus multo vtiliſsima, verſari? Hoc tu certe princeps clariſsime & prudentiſsime; iam tum iudicaſti, cum in rudia quædam adhuc & inchoata ex his noſtris commentariis incidens, vt expolirem ad exitumque perducerem hortatus es: quo tu certe, pro tua ſapientia nunquam deſcendiſſes, niſi de his ſtudiis & optime ſentires, & honeſtiſsime prædicares. Quæ quidem mea de tuo ſenſu exiſtimatio, hoc etiam effecit, vt ea ipſa iam confecta, ad te mittere ne vererer, tuoque iudicio politiſsimo ſubiicerem: quod ego tanti facio, quanti par eſt eius, qui cum primum rationis vſum habere cœpit, in rebus ſit maximis & cognoſcen-

dis & agendis honeſtiſsime uerſatus: præceptoribusque ſit uſus in utraque re præſtantiſsimis. Nam in litteris quidem tum latinis tum græcis, Sebaſtianum Delium primis annis audiſti, hominem illuſtri fama celebrem: qui abunde mihi laudatus eſſe uidetur, quem Auus tuus prudentiſsimo iudicio præſtantiq; doctrina uir, idoneum habuerit, cuius tu in diſciplinam, germanusque tuus Octauius, & Guido Aſcanius Sfortia, ex patris ſorore frater, traderemini: in reliquis deinceps artibus magnis & reconditis, quos habueris præceptores, quid commemorem, cum ex eo tempore (quod nemo ignorat) domus iſta tua, iis ſemper hominibus floruerit, qui flos Italiæ, & pene dicam, orbis terræ habiti ſint? Atque ii quidem cognoſcendi magiſtri fuerunt, magnas & ipſi degendæ uitæ oportunitates præbentes: agendi tamen, unus omnium poſt homines natos prudentiſsimus idemque grauiſsimus doctor, auus idem tuus Paullus Pont. Max. de quo ego, ea de cauſa pauciora dico, quod grata adhuc ſenis illius memoria, in multa hominum laude & prædicatione uiuat: uiuetq; illuſtris & clara, ad infinitam poſteritatem, multorum hiſtoriis ac mo-

numentis conſeruata. Ex his igitur quaſi ſcholis, tantus in utraque facultate nobis euaſiſti, quantum qui te familiarius vſi ſunt, ſciunt: resq; a te paucis annis præclariſsime geſtæ, manifeſte declarant. Neque tamen omnia in his ſunt: plurimas ſibi partes uindicat, tum frequens uſus, qui, ut ait M. Tullius, omnium magiſtrorum præcepta ſuperat: tum diuina mens iſta tua, quibus tu, principe & auctore Deo, ſic tua tuorumq; tempora moderatus es, ut & optimo loco res tuas, tuorumq; collocaueris: &, quod ego in magna gloria pono, ſapientis laudem conſecutus ſis: conſecutus ſis autem, ea re maxime, quod uidere homines potuerunt, nihil in tuis rebus fortunam, animi robur & conſilium, plurimum ualuiſſe. Quæ tua commendatio, & ſi præcipuo quodam diuinæ ſapientiæ munere, totius ueſtræ familiæ gentisq; communis ſit; (nam Ranutio quidem & fratre & collega, ut reliquarum uirtutum eius ornamenta præteream; in omni iudicio quid potuit fieri prudentius? quid uero Parmæ duce, & ipſo item fratre, perſpicacius?) tamen ea in te, neſcio quo pacto, non ſecus ac Lunæ lumen, inter minora ſyde-

ra, ſplendeſcit vehementius atque eminet: quæ eadem hominibus eam opinionem attulit, vt idem virtutis iſtius præmium te maneat, quod auum ſecutum eſt tuum. Verum fuerit hæc breuis, (neque enim iſta requiris, ſatis amplum virtutis fructum, in ipſa benefactorum conſcientia ſtatuens) ἐκβολὴ λόγου vt Thucydides ait, οὐκ ἄκαιρος: ad illud redeo, non videri hæc ſtudia per ſe ſuaque natura, parum dignitatis habere, quæ tantum afferant in omnem vitæ partem, vel vtilitatis vel ornamenti. Fuerint hæc noſtra fortaſſe leuiora, nec ego illa magni facio; genus quidem ipſum cur contemnamus nihil eſt. Sed de meis tamen vt dicam; ego cuiuſmodicunque ſunt, his te donare volui: non quia te tuiſque curis grauiſsimis digna exiſtimarem, qui longe grauiora complexus es: ſed vt mei erga te cultus atque obſeruantiæ, extaret aliqua ratio. Et tamen cogitabam, te ex eiſdem, quibus ceteri mortales formati ſunt, elementis concretum, cogi non nunquam dare te iocunditati, ad eaſque muſas

referre; quibus cum a pueritia, multum habuiſti habéſq; commercii: quas quidem mihi perſuadeo, (fieri poteſt ut fallar) ſed tamen perſuadeo, ab his noſtris commentariis, non eſſe prorſus auerſas. Nec me illorum quos dixi hominum magnitudo deterruit, quominus ſtadium hoc & ipſe percurrerem: non ut mihi cum iis ulla eſſet contentio, quos plurimi ſemper feci: ſed in tam lato campo, uiſum eſt mihi, noſtræ quoque induſtriæ, eſſe locum poſſe. Nam meum de his iudicium ſemper illud fuit: Petrum Victorium, cum ſcriptorem hunc nactus eſſet, multis uulneribus confoſſum ac dilaceratum, letalia tantum curare uoluiſſe, & quæ tranſmarina & eximia quadam arte & facultate, quibus ille excultus eſt, egerent: &, cum in uita retinuerit, omnique mortis ſuſpicione liberauerit, firmandum aliis tradidiſſe: quibus tamen & ipſis, ut uere dicam, non minus negotii fuerit, cum in reliquis plagis ſanandis, quæ & non pauca & luculenta reſtabant: tum recreando confir-

mandoq; corpore. Qua in re, eam mihi vterque uiſus eſt operam nauaſſe, ut quæ illi uita reddita eſſet, morbo doloreque depulſo, grata iam & ſuauis poſſet eſſe: Manutius hoc amplius, natiuum pene colorem & dignitatem reddidiſſe. Atque utinam pene dicendum ne eſſet: ab hoc labore profecto ſuperſediſſem. Verum cum non paucæ hærerent adhuc cicatrices & maculæ, quæ ſpeciem illius minus honeſtam & admirabilem redderent: placuit mihi, auctoribus uiris clariſsimis periculum facere, num quas ex his delere eluereq; aut certe occulere, aliquo modo poſſem. Nam ualde inepti ſimus, ſi uniuerſas ſperemus: quis enim tantum ſibi ſumat? Sed & mul tis in locis, mutila quædam inuenias & decurtata, quibus nulla humana ope ſuc curri poſsit: Deo aliquo opus ſit; cum præſertim libri ueteres, unde certa remedia ſumuntur, & ipſi male mulctati fuerint. Speramus tamen noſtra opera, ad nitorem formæque ſplendorem ipſius, plurimum acceſsiſſe. Hos ergo noſtros labores princeps humaniſsime, ſi tuo iudicio probatos, in aliorum manus venire patiere; equidem non dubi-

to , quin pro ea qua plurimum uales a-
pud omnes gratia, gratiores multo fu-
turi ſint. Vale.

# AD LECTOREM PRÆFATIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NON eram neſcius lector, cum primum induxi animũ, vt in his epiſtolis M. Tullij Ciceronis ad Atticum, vel emendandis vel explicandis elaborarem: quàm difficile arduumq; negotium, quàm etiam inuidioſum, calumniæq; ſubiectum ſuſciperem. Namque, vt omittam, quantum mihi, iam tum animo proſpicerem, ſubeundum eſſe laboris, in conquirendis vndique comparandisq; vetuſtis libris, quorum eſt ingens inopia præſertim bonorum: quantum operæ in his vno tempore, non modo perlegendis, ſed, quod eſt ſubodioſum, inter ſe etiam cõferendis conſumendum: illud, quantum videri debuit, quàm periculoſum ac lubricum, in ſumma lectionum varietate, varietate autem? ſeditate ac deformitate, vel recta ac praua dijudicare, uel deprauata corrigere, ſuamq; his, quoad eius fieri poteſt, ſpeciẽ reſtituere, aut eam certe adumbrare? Tantum ſcilicet, quantum ij modo intelligunt, qui ſunt in hac arena aliquando verſati. Vt eſt enim dulce,

*quod dici ſolet, inexpertis bellum, ita iis, qui hoc luctationis genus non attigerunt, ludus fortaſſe videatur ac iocus, ex Quidem erit, Quid emerit: ex Stiebam, Scribam: ex Sit tibi, Syttibæ, facere. Tantum'ne eſt inquiunt, in vnius litterulæ aut ſyllabæ vel mutatione, vel traiectione, vel adiectione negotij? Sic illi puto, cum locum emaculatum nacti fuerint: Quibus ego, ne diutius opinione fallantur, vehementer auctor ſum, vt locum ſibi ipſi aliquem male affectum proponant: ſuppeditabũt ij libri vel D C: in quo periculum faciant ſui ingenij. Sentient profecto ſentient, quàm ſibi inaniter ipſi ſubblanditi fuerint: quàm ſuam de ſe ipſi expectationem deceperint: eſſeq; ſibi negotium intelligent, cum monſtris plus, quam Herculeis. Quid? tu igitur dicat aliquis, hanc ne tibi ſapientiam aſciſcis præter ceteros, vt illud profiteare, cuius tu ſpem quodammodo reliquis, aut diminuas, aut præcidas? Minime ego quidem: nec ſane eſt, cur aſciſcam: ſed hoc uolui dicere, opus quod inſtitueremus, operoſum eſſe, multæq; contentionis: & nos iam inde ab initio ſic præuidiſſe, vt illud quoque, multos fore qui hoc noſtrum conſiliũ inſtitutumq; reprehenderet. Audiſſe enim me quoſdã memoria teneo, in eos grauiter ſtomachantes, qui huic ipſi operi manus admouerent: non enim purgari libros, ſed fedari: non tolli vitia, vt exiſtiman*

*tur,ſed alia ſuper alijs cumulari: & dum quiſque vel ex ſuis libris ſi ſuppetant, vel ex ſuo ſenſu, aliter atq; aliter emendat, iam tutũ ac certũ quod ſequamur, nihil relinqui: ut iam pręſtet ad Aldinos, atq; his etiã vetuſtiores ſe referre. Iã vero, quod ad rem ipſam attinet, negotiũ ſane leue eſſe, & ad eloquẽtiæ ſummã, nihil aut parũ conducens. Quid enim tantum obſit inquiunt, vnius atque alterius vocis aut ſententię non nunquam ignoratio, quæ tamen nihilo minus aliunde, non vno ex loco, ſed pluribus ſi res poſcat, abunde tibi poſſis comparare? prudentis enim gubernatoris eſſe, quoad eius fieri poteſt, ſcopulos declinare; nec committere, dum, aut animi pertinacia, aut leuitate euectus, rectum tenere curſum prorſus contendat, vel ad ſaxum adhæreſcat, vel, ſi illud tamen veluti Xerſes perfregerit, curſumq; ſibi aperuerit, ſerius in portum, quàm ſuis rationibus expediat, peruehatur: magnaq; boni otij iactura, tantula victoria conſtet. Poſtremò addant: hoc, eo etiam odioſius, minusq; ferendum eſſe, quod hoc malum, optimo fortaſſe animo commotum, ita breui, non ſerpſerit, ſed irruerit atque inuaſerit, vt & noui quotidie emendatores per ambitionẽ exiſtant, & libri per licentiã deteriores: vt niſi prouiſum ſit, ſane paucis annis, non Ciceronem ac Liuium: non Plautum ac Terentium, ſed mera inſomnia audaciſ-*

*ſimorum hominum ſimus habituri. Hæc illi, atque his fortaſſe plura: quæ, cum mihi uideantur per delitias potius atque ineptias, occultæ tamen inuidentiæ, ſed quę appareat implicitas, quàm vere atque ingenue prolata: deterrere me ab hoc conatu non potuerunt. Sunt enim quidam ſenſu ſic deprauato, vt cum alienæ induſtriæ habere gratiam debeant, inuideant: & quod ipſi præſtare non poſſunt, damnent in aliјs: laudemq; prudentiæ atque doctrinæ, non tam ipſi ſcribendo, quàm aliorum ſcripta inſectando, aucupẽtur. Qui tamen ipſi (vt animi morbum agnoſcas) ſiquid in eo genere forte excogitauerint, hoc non modo non diſſimulant, non comprimunt, ſed quaſi Ilium expugnauerint, oſtentant, triumphant: nec minus, quàm qui theſaurum inuenerint, exultant: vt intelligamus hæc eos, non iudicio, cum hinc ſibi laudem petant: ſed obtrectandi ſtudio culpare. Et me Hercule, ſi verum dicere volumus, quotus quiſque eſt hodie, qui ſi in locum deprauatum, inter legendum inciderit, non primum ægre ferat, in ipſo quaſi curſu, velut ad metas adhæreſcendum eſſe? deinde, ne lectionis fructu priuetur, ſemel atque iterum tentet, ſiquam rationem poſſit inire explicandi ſui, locumq; corrigendi? &, ſi id, ex ſententia ciderit, non vehementer lætetur, non modo quia mentem auctoris aſſecutus ſit, ſed multo etiam magis,*

*quia auctor ipſe ſibi ſententiæ illius quodammodo videatur, cui in mentem venire potuerit, quod & illi, ipſi? Natura comparatum eſt hoc, &, vt cognoſcendi cupiditas, nobis penitus inſitum. An vero naturæ opus eſſe negemus, ad quod æque omnes deſiderio duci fateamur? Ergo animum inducere ſuſtinebimus, vt meſſes improbemus illas, quorū ſementem in nobis ab ipſa fieri ſentiamus? Nimirum prauitatis huius, fons atque origo, liuor eſt. Nam de ijs, qui ſenſus infirmitate atque imbecillitate delinquunt, nihil plane dicimus: qui quanquam minus ſunt odioſi, quàm qui maleuolentia concitantur (leuior enim offenſio eſt eius, qui per imprudentiam, naturæq; vitio, quàm qui ſciens ac prudens, in fraudem incidit) tamen emendari vix poſſunt. Hos ergo miſſos facio: cum his mihi negotium eſt, qui peccant dedita opera, et fortaſſe etiā delitiarum cauſa: quibus tamen reſpondere ſuperſediſſem, ratus, doctis & iudicio præditis hominibus, ſatis iam factum eſſe: niſi vererer, ne, ſi iſti tacitum ferant, non tam noluiſſe nos, quàm non potuiſſe reſpondere, prædicent. & ſimul ijs conſultū eſſe voluimus, qui longius videre non queunt. Ergo, quid illi criminantur? Contaminari libros, non purgari. In quo eos iuſtiſſimam habere cauſam fateremur, ſi quemadmodum ſibi, ſuo quodammodo iure ipſi ſumunt, ita eſſet. Nunc, quis eſt adeo*

*rerum imperitus, quis ita, peregrinatur a litteris, quin ſciat, hæc Ciceronis ad Atticum epiſtolarum volumina, (nam de ceteris eius ſcriptis atque etiam aliorum ſilebo) hæc vero quis ignorat ante annos quadraginta, perpaucorum hominum in manibus fuiſſe? Quid ita? Aiunt non nulli, quod ęnigmatis de induſtria obſcurata, nulla ui ingenij poſſent intelligi. Non negamus eſſe quædam illiuſmodi. ſed ea tam rara eſſe dicimus, vt a reliquorum lectione arcere homines non debuerint. Vulnerum quibus confixa erant calamitas, hanc culpam uerius ſuſtinebat: quæ cum eſſent innumerabilia, rem in eam opinionem adduxerunt, ut quidquid minus perciperetur, id ænigma putaretur: cum plerunque peccata eſſent tum librariorum, dum minus quàm oportet, officio ſuo intenti eſſent: tum fortunæ cuiuſpiam culpa, contracta: qua hęc, præter cetera ſcripta Ciceronis, miſera aduerſaq; vſa ſunt. Quare quid ſibi velint ij, qui mendis, noſtra opera inquinari libros queruntur, non ſatis percipio: illud quidem intelligo, doctiſſimorum hominum cura ac diligentia factũ eſſe, ut quæ antea vix ab vllo attingerentur, nunc omnium manibus tractentur, voluantur, terantur. An vero ij viſi ſunt, cum hoc fecerunt, oleũ, & operam perdere, cum inſtrumentum nobis illud reſtituerunt, quo, haud ſcio an aliud inueniri*

*poſſit maius, ſiue quis pure, apte, copioſeq́; dicere, ſiue prudenter velit? Nam mea illa ſemper opinio fuit: cum dicendi ratio, tum verbis, hisq́; uel ſingulis uel coniunctis, tum rebus ipſis conſtet: neque res hic deeſſe, cum memoria annorum circiter triginta (vt omittam alias vtilitates) his colligata libris ſit: & verborum in omni genere dicendi, ſed in fortuito ac familiari ſermone, ingens hinc uis & copia ſuppetat. At poſſis eadem ex aliis eiuſdem libris, ne ſit tantum boni temporis conſumendum. Quid ſi illi itidem corrupti ſint? Quid ſi in his ſingularia quędã ſint, quę alibi nõ reperias? Nimium putida eſt hæc & odioſa ſedulitas. Illa propemodũ non iniuſta, quæ modũ in his quęrit, et licentiam cohibet, nouarumq́; lectionũ cupiditatẽ; qua factũ ſit, vt legentiũ ſæpe ſententia fluctuet, certiq́; nihil habeat. Nos tamen ſic ſtatuimus, cũ duæ ſint emendandi rationes, vna quæ in veterũ librorũ integra ſcriptura, altera quæ in coniectura ſuſpicioneq́; cernatur; illã quidem tutam eſſe, ſed quæri optariq́; ſæpius, quàm optanti quærentiq́ue occurrere, ac ſe oſtendere. Quod ita eſſe, eos intelligere certo ſcio, quibus ſtudium fuit, hæc, uel primoribus digitis attingere. Hæc ergo felicitas, cum perraro contingeret, hanc ſibi veniam docti poſtulauerunt, ut altera liceret uti, quæ in coniectura ſita eſt, quam qui omnem prorſus exſibilant,*

*& quaſi maieſtatis damnatam, aqua igniq; interdicunt, ij mihi mala ratione facere videntur; nec ſatis quid in quaque re ſit, poſſe diſpicere. Ego contra, nullam reijcio (ſæpe enim ad veritatem ducit) ſed non omnibus locum do. Cum enim coniecturæ ratio multiplex ſit, ex mutatione, traiectione, additione, mutatione litterarum: ex ſententia atque hiſtoria, penitus damnata ac repudiata ſcriptura: quæ a propoſito declinet quæ'ue collimet, vel mediocriter eruditi, facile ſentiunt. Protinus enim, ſi bona eſt, animus acquieſcit, vltroq; arripit: ſin minus acquieſcat & arripiat, certe melius deſiderat. Quare de hac re ita cenſeo: ei quæ doctorum hominum iudicio probetur, ſiue illa ex ſcripturę veſtigijs, quæ & tutior eſt: ſiue, vbi vel deſint, vel certe non extent veſtigia, ex hiſtoria atque ex ingenio facta ſit: dum ne verbis inferciendis, corroſa mutilataq; loca, quaſi rimas expleat, locū eſſe, in ſerie verborum, velut iuſtis Equitibus in quatuordecim ordinibus, dandum. Quod quidem hactenus factitatum eſſe, vel ex uno atque altero harum epiſtolarum libro, ſexcentis in locis, facile poſſim oſtendere: in quibus aliter atque in manuſcriptis legitur, impreſſum eſt, & communi quaſi iudicio admiſſum. Siquidem non eſſe omnia in conſenſu exemplarium, iudicioq; aliquid da-*

*ri, illud argumento eſt, quod non raro vnius au-ctoritas, multis præponitur. Cui vero animus vix, aut ne vix quidem aſſentitur, ut ei quidem coniecturæ, theatri aditu prorſus interdicendum puto, dum ne eadem ſede dignetur. Nam neque aliarum luminibus obſtruit, in imo iacens, & ſæpe aſcenſum, quanuis per inciſos maleq; hærentes ſcalarum gradus, fortibus parat. Huius ergo modi coniecturæ, ſeu mauis ſuſpiciones ac diuinationes, (ſic enim appello eas, quæ prorſus a ſcriptura diſcedunt, citiusq; ſententia, quàm ſcripto nituntur) in medio relictæ, quid tantum officiant, non video, etiam ſi variæ inter ſe diſſidentesq; ſint. Nam & in locis deprauatis adhiberi ſolent, vt damni iam nihil fiat: & ad ueritatem aliquando perducunt, atque adeo perduxerunt, aut etiam ipſæ ueræ ſunt. Sed neque illud obeſt, plurimos hodie huic operi, manus admouiſſe. Si enim vbi complures diutius iaculantur, ibi accidit aliquando, vt aliquis ſignum feriat: cur non hic etiam vſu uenire credamus, vt hoc, quod multi petant, quoq; neruos ingenij ſui contendant, aliquis aſſequatur? Vidi ego non nullos, qui, quæ alij pro derelicto habuerint, ipſi, vt poſtea ex vetuſto aliquo exemplari cognitum eſt, ſanauerint & illuſtrauerint. Quo in genere, ſolertiſſimum cognoui Gabrielem Faernum, amicum meum; cuius ego, paulo ante extin-*

*cti, aut potius ad meliorem vitam (ea innocentia fuit) traducti, deſiderium ferre vix poſſum. Hoc ſcripti ab eo libri in Terentium, Plautum, Liuium, ipſum denique Ciceronem, teſtarentur, ſi foras dati fuiſſent. Sed eos audio, apud ſtudioſiſſimum bonarum artium adoleſcentem ſimulq́; & clariſſimum Cardinalem Carolum Buorromeum eo conſilio ſeruari, vt commodius edantur. Hic tamen licet perſpicax fuerit, ad Octauij Pantagathi gloriam in hoc, ſicut nec ceteris in rebus ac diſciplinis, non peruenit. Hunc enim vnum ex omnibus, in omni iudicio politiſſimum & elegantiſſimum, ſæpe mirari ſoleo: quem qui Varronem ſeculi huius appellant, ne illi mihi viſi ſunt, quid maxime deceat intelligere. Sed, vt in pauca conferam; non eſt eorum hominum induſtria contentioq́; infringenda, quæ nocere nihil poſſit, iuuare poſſit. Eorum tamen, ſiqui ſunt, quos equidem neſcio, licentia ferenda non eſt, qui vt vni ſapere, & ſui aliquid afferre videantur, recta etiam deprauant: ſed cenſeo tamen etiam atque etiam videndum, quæ illi praua quǽue recta vocari velint. Nos quidem non pauca in his ipſis epiſtolis deprehendimus, ſpeciem quidem præferre naturalis partus, ſed adulterina eſſe, & ſubdititia. Deprehendimus autem hoc modo. Cum enim ita ſtatuerim, nihil ab hcc pruden-*

*tiſſimo, omnibusq́; & doctrinæ & naturæ præſidijs munito ad dicendum magiſtro, niſi perfectum, atque omnibus numeris abſolutum gigni poſſe: ſiue ei meditata & elaborata, ſiue ſubita & fortuita oratione vtendum eſſet: ſiquid in ea inueniatur non nunquam, non dicam parum latinum, aut ſecum ipſum vel cum ueritate pugnans, (nam id quidem piaculum, ne dum ſtultum eſſet cogitare) ſed inuolutum, inane, ieiunum, frigidum, ſubinſulſum: illud ſine controuerſia, mendo non carere: nec ſatis illud eſſe ſententiam habere aliquã, cum optima ab eo poſtuletur. Ergo in hoc caſu, ſiquis, locos id genus, in dubium vocet, quod nos quandoque fecimus: is recta deprauare exiſtimandus non eſt: quin illi gratia habenda, vt bene merito: cum recta, ſua ſe vi & ueritate tueantur ac defendant, praua, niſi aperiantur, corrigi non poſſint. Omnino perſuaſum mihi eſt, antiquorum libros, erroribus carere non poſſe. Nam ſi M. ipſe Tullius, ſe viuente, & prope dixerim, ſpectante, queritur ſuos libros, ſcriptorum negligentia corrumpi: quid nobis de his eſt ſentiendum, poſt mille ſexcentos prope annos, iam inde ab eo tempore, tot hominum manibus exſcriptis: quibus, ad negligentiam, linguæ etiam imperitia accederet? Equidem mirarer magis, portentiq́; ſimile ducerem, ſi integri ad nos*

*ſinguli perueniſſent. Atque hæc calamitas, cum ad omnium ueterum ſcripta, tum hæc Ciceronis ad Atticum pertinuit, quæ malo quodam fato, peſſime accepta fuerunt, atque ita toto corpore diſcerpta ac deformata, ut cum nihil his candidius, purius, caſtius cogitari fas eſſet, iam miſerius, perditius, fedius inueniri nil poſſet. Quo minus fraudi mihi eſſe debebit, ſicubi uidebor, quod multis annis ratum alij habuerunt, illud ipſe quaſi reſcindere. Rationum momēta attendenda erunt, non illorum præcepta opinio, qui, miſera quadam & importuna religione impediti, dum ſcripturam defendunt in eaq; omnia ponunt, fatua quædam non nunquam, & a uera ſententia diſcrepantia comminiſcuntur. Ergo vt ad te aliquando me referam, lector prudentiſſime, tute ipſe cum animo tuo reputes licet, quàm illi inique faciant, quamq; de hominum genere male mereantur, qui hanc ipſam emendandi rationem ac potius pietatem damnent, aut certe non laudent: nunc mea mihi apud te cauſa agenda eſt contra eos, qui cum rem ſtudiumq; non reprehendant, me tamen, qui iam inde ab adoleſcentia in cœnobio degam, eamq; vitæ rationem ſecutus ſim, quæ in dicendi exercitatione, tantum operæ ponat, quantum ſibi ad honeſtiſſimarum artium perceptionem, ſenſuumq; noſtrorum explicationem, ſatis eſſe videatur: re-*

*liquos ſuos conatus & ſtudia, ad ſacrarum ſcripturarum intelligentiam vel referat, vel referre debeat: ea nunc omnia, in his facultatibus tractandis explicãdisq́; cõſumere, quæ Chriſtianæ religionis nihil habeant: haud ſane probet. Nã quod hæc quidam noſtra, contẽnunt ante, quam legant aut ne legãt quidem, vt hominis ex eorũ numero hominum, quis illi fortaſſe diſputandi facultatem ſcholaſtico more inſtitutoq́; concedant, ornate dicendi auferant: ſubtilitatum Diui Thomæ Scotiq́; & reliquorum claſſis eiuſdem tribuant, oratorum poetarumq́; guſtum adimant: non valde me perturbat. Equidem ſic ſtatuo, quod & ipſi, niſi nos ſtipites ac truncos eſſe velint, fateantur neceſſe eſt, noſtris ingenium nec deeſſe, nec defuiſſe vnquam; ſed ſui ordinis inſtituta ſtudiaq́; ſecutis, magna atque præclara, ſi in his minores apparent, ignoſcendum eſſe: dicendi gloria delectatis, non eſſe auctoritatem abrogandam: nec ex aliquorum infantia, de omnibus iudicium faciendum. Sane e familia noſtra, vt de reliquis taceam, in ſuo quibuſque ſtudio nobiliſſimis: vnum atque alterum poſſim afferre, ne plures dicam, cum quibuſuis ætatis huius eloquentiſſimis hominibus, conferendos: qui ſi huc ſe reieciſſent, nihil eſſet, cur ij noſtrum genus tantopere faſtidirent: ſed altius illi intuentur: maiora diuinioraq́; ſpectant, quæ neq;*

*nos unquam neglexímus, idq; nos aliquando declaraturos ſperamus: ſed alia quædam ratio, non iniuſta illa quidem, alio nos traduxit: quam ſi tibi probare uelim candide lector, vt honoris mei cauſa ſane cupio: vetuſtior mihi memoria repetenda eſt. Nanque ab hinc annos paulo plus duodecim, cum optimum & clariſſimum virum Nicolaum Rodulſum Cardinalem patronum meum, decus & ornamentum ordinis illius, Balneariam ſecutus eßem: quo ſe ille quotannis, prolatis rebus conferebat: non modo, vt æſtiuos calores Romanæ vrbis declinaret (eſt enim locus ille vmbroſus & ſalubris, fluentesq; & gelidas habet aquas, atque eas vberrimas, illius opera, in latiſſimum viuarium primum exciſo monte, inde in oppidum, ædesq; adeo ipſas deductas: ut alſius, uenuſtius, ſuauius eſſe nihil poſſit) ſed etiam, vt aliquando ſibi ab arbitris & quotidiana interpretatione remoto, liceret uiuere: cumq; ibi pomeridianis horis, cum ſe iam calor paululum fregiſſet, hoc ipſum epiſtolarum uolumen ſtrictim attingeremus, egoq; vt ſunt hominum ſenſus diſpariles, ab ijs, qui inſigne aliquod in eas ingenij ſui monumentũ reliquiſſent (omnes enim habebamus) alicubi diſſentirem: & ne hoc uno ſtudio tantum delectatus viderer, periculum aliquando ipſe facerem, num loca ab eis uel neglecta, & quaſi percipi non poſ-*

*ſent, depoſita & deſperata, vel emendata quidem, ſed non ita, vt ſibi ipſi ſatisfacerent, ipſe aperire, in melioremq; formam, uel exemplarium, quæ tum pauca habebamus auxilio, uel ingenij vi, cuiuſmodi in me eſſet, reſtituere poſſem: atque ea eſſent non pauca: placuit eidem patrono meo, ut litteris conſignarem. Itaque toto illo calorum tempore, quinque libros confeci. Sed Hæu mens hominum heu venturi neſcia fati, cum rediſſemus in vrbem, ecce fulmen: Paulus Farneſius Pontifex Maximus, quem propter immortalia in omne hominum genus beneficia, æquum erat, noſtriſq; rationibus conducebat, eſſe immortalem: ſed is tamen cum ſuum diem obijſſet, extremumq; uitæ ſpiritum edidiſſet, haud ita poſt, & patrono ipſi meo, dum patrum Senatus, ad noui pontificis creationem, conuocatus eſſet, reſq; ut ſæpe accidit; longius duceretur: repentina quædam uis morbi, in optima ſpe altiſſimi gradus ciuitatis, uitæ finem attulit, & ſtudia illa noſtra reſtinxit. Quapropter annos aliquot, litteram eo in genere nullam fecimus. Nam & ſi in his indormire non plane ſoleo, attamen hominis illius nutus & ſignificatio, quantam mihi facem admouebat? Tantã ſcilicet, quantam decuit admouere eum, de cuius egregia erga me uoluntate, certa ſæpe pignora cepiſſem: quiq;*

*litteratos homines, & inſigni aliqua arte ornatos, quos ille domi, non inani quadam ſpecie, aura'ue populari, qua pleroſq; duci non ignoramus, ſed veritatis virtutisq́; amore incenſus, complures haberet, ſummisq́; honoribus ac premijs afficeret: ipſe, cum liceret per Remp. nullam pæne horam amitteret, de rectis ſtudijs, cum ijs vel loquendi vel meditandi. Fuit omnino uir ille, cui paſſim omnes teſtimonium moderati, & ad honeſtum otium nati animi, ſine controuerſia darent: fortis etiam & prudentis, qui eo familiarius vterentur: quo id minus teſtari orbis terrarum poſſet, quidam, hominum fraudem & perfidiam (nam reliqua ſatis prolixa uidebantur) accuſant: nos fata tantummodo, aut potius inſcrutabilem ſummi numinis voluntatem, cauſam fuiſſe iudicamus. Eſſet hic forſitan locus, caſum hominis vicemq́; deplorandi, niſi tanto interuallo verendum eſſet, ne non modo importuni, ſed etiam inepti videremur. Quare, abeat ille optimis ominibus, nos ad inſtitutum ſermonem reuertamur. Hanc dicimus ceſſandi nobis cauſam, compluris annos fuiſſe: quo ad iuſſu doctiſſimi & grauiſſimi viri Marcelli Ceruini tum Cardinalis, in curſum reuocati ſumus. Iamq́; opus ad finem pæne perduxeram, cum ille Pontificatum cepit. Sed, vt ſunt res hominum fluxæ atque incertæ, ante ereptus*

*eſt e vita,*

*eſt e vita, quàm quid eſſet agnoſcere, vt ita dicam, poſſet. Ergo vt hæc rurſum abijcerem ac damnarem, cum acerbum hominis fatum, tum conſecuta noſtra tempora; quibus vſque adeo vexati fuimus, vix vt conſiſtere potuerimus, effecerunt. Verum, quo hæc noſtra tam longa ſpectat oratio? vt ſiquis forte in perſona hominis ſacerdotis, ſtudium huiuſmodi, quod quidam profanum ſolent appellare, reprehendat, huic nos duos præſtantiſſimos ſacrorum, religionis, ceremoniarumq; antiſtites, quorum de ſententia & auctoritate rem ſuſcepimus, opponeremus: quibus omnino impiũ fuit hominibus ſanctiſsimis, non obtemperare & obſequi. Quanquam, ſi hoc quidem vitio datur, eripiatur e ſacerdotum manibus vel Ariſtoteles ipſe: abijciatur vel Plato: quorum neuter, omniũ bonorum ſententia, nec ſcriptor grauior aut religioſior: nec ciuis integrior, aut honeſtatis, temperantiæ, iuſtitiæ, conſtantiæq; retinentior. Diuũ certe Auguſtinum, Chriſtianæ Reip. columen, inſigniq; doctrina & pietate præditum, non puduit fateri, & litterarum quoque monumentis teſtatũ relinquere; ſe, viri huius lectione, principio mentem auertiſſe a mundo, & ad Deum erigere ſuſtollereq; cœpiſſe. Sed quid ago? Quaſi non hæc in eis culpari ſoleant, qui poſthabita cura ſacratiſſimorum librorum, in his verſentur tantummo-*

*do & acquieſcant. Quod equidem ego pro vitæ meæ ratione, ne mihi poſſet obici, etiam atque etiam caui. Nam ne tum quidem, cum huic vni rei maxime ſtuderem, diem vt præterirem commiſi, ſine linea: quin idem mihi dies finem pene attulit eorum ſtudiorum, qui & viris illis vitæ. Itaque iacuerunt hęc dein in tenebris, & iacerent adhuc, (neque enim ego ea multum amabam) niſi amicorum, quos compluris habeo eruditiſſimos, non modo vocibus, ſed quodammodo etiam conuicijs, in aſpectum lucemq́ue euocata fuiſſent, & quaſi ab Orco excitata. Qua in re (fatendum eſt enim) plurimum apud me valuit, eximia ſpe, ſummæq; virtutis adoleſcens Alfonſus Cardinalis Carafa: quem ego cum ad reliqua ſtudia præclariſſima, tum ad dicendi gloriam ita incitatum vidi; ita magnos progreſſus iam feciſſe, vt alijs diſciplinis auitum nomen æquaturus eſſe videatur, dicendi laude, etiam ſuperaturus. Et ſane apud me, eo etiam pluris eſſe illius auctoritas debuit, quod tota natio familiaq; noſtra, in eius fide iamdiu clientelaq́; ſit: vt ſuo etiam iure quodammodo, vt patronus imperare potuerit. Ii ergo auctores mihi fuerunt, vt hæc emitteremus: quibus haberi gratiam volumus, ſi hoc induſtria noſtra aſſecuti ſumus, vt ex parte aliqua, ſtudia iuuentutis iuuauerimus: ſin minus, ignoſci tamen*

*facilitati meæ, qui officio monitus, illorum obſequi volũtati maluerim, quàm exiſtimationi meæ. Me tamen res vna illa conſolatur, quòd multis ſæpe argumentis didici, paria in his momenta & integritatis animi, & iudicij reperiri: vt nec aliter ac ſentiant loqui, nec ſentire niſi egregie ac ſapienter potuerint. At, prope eſt, dicat aliquis, vt eam tibi laudem tribuas, quam neſcio an quiſquam nemini: vt nihil offenderis, nihil titubaueris. Nequaquam vero: neque enim vſque adeo inſanio: ſed fateor me, vt non pauca recte excogitare, ita non raro etiam, vt fert hominum natura, in ſaxum vt dicitur impingere, & exiſtimatione falli potuiſſe: ſed tamen illa ipſa, quæ recte dici viderentur, viros illos in eam mentem induxiſſe, vt me ad editionem hortarentur. Satis iam mihi uideor, cauſam tibi meã probaſſe lector candide, aduerſus eos, qui in mea perſona, hæc ſtudia non ferant: reſtat vt fidem moresq; meos probem. Sunt enim qui emendatores in hanc calũniã vocent, vt eos dicant, quo ſuis opinionibus fidẽ faciant, falſo nõ nunquã vetuſta exẽplaria laudare, cõtentos cõfuſe atq; permixte dicere, Quidã libri ſic, aut ſic habent. Nos ergo quo eam fugeremus, nũquã aut perraro hoc modo noſtra cõfirmamus: et tamẽ ſiquãdo accidit, unũ aut plura ex his ĩtelligi volumus, quę nominatim appellauimus. Vn-*

*decim vero habuimus. ex quibus quinq;, cum vulgata Manutij atque etiam Victorij editione, diligentiſſime conferentes, a carceribus vt dici ſolet, ad calcem vſq; percurrimus: nempe Faerni duos: quorum vnum, Romanum exemplar appellare ſoleo, quòd ſub id tempus Romæ impreſſum fuerit, quo hæc typis excudendi ars, diuinitus eſt inuenta; alterum Faërni ipſius nomine, valde probum & antiquum: quos ambos apud eos eſſe arbitror, qui librorum ipſius fuerunt heredes. Guidonis Lolgij item duos; vnum manu Poggij Florentini (ita enim in fine libri legitur) deſcriptum, ab editione Victorij, ſiue Græca ſiue Latina ſpectes, non magnopere diuerſum: alterum recentiorem, quem librum Lolgij vbique, vt illum Poggij voco. quos qui volet (ea eſt hominis humanitas) arbitratu ſuo poterit inſpicere. Quintum e Bibliotheca Dominici Grimani Cardinalis accepi, quam vir ille clarus & magnus, in noſtris ædibus Antonianis Venetijs exædificauit, omniumq; librorum copia & uarietate inſtruxit atque ornauit: quæ nemini clauſa eſt, inuiſere uolenti. Hos ergo quinque in poteſtate habui; totoſq; cum totis ſyllabatim faſtidioſeq; contuli: reliquos ſex, quod nihilo meliores comperiebam, pro ut res tulit, conſului potius aliquando, quàm legi: in quibus tres fuerunt doctiſſimi viri Bernardini Maffei*

*Cardinalis, quos penes heredes reperire licet: vnus Cardinalis mei, qui poſt obitum illius, cum reliqua optimorum librorum bibliotheca, in manum venit clariſſimi Imperatoris & fortiſſimi hominis Petri Strozæ, non minus latinis græcisq; litteris, quàm animi magnitudine, qua ceteros ſuperauit, præcellentis: quam omnem bibliothecam, audio Philippum filium, cum reliqua cum pecuniarum tum virtutum paternarum hereditate creuiſſe. Reliqui duo libri, alter apud Octauium Pantagathum erat, cuius ille mihi copiam, quotieſcunque volui, vltro fecit: quem tamen aiebat fuiſſe, eruditiſſimi viri, & innocentiſſimi epiſcopi, Antonij Auguſtini: de quo vere hoc tempore affirmare poſſumus, quod ſuo de Q. Scæuola dixiſſe Craſſum, M. Tullius ſcribit: eſſe illum Iuris peritorum eloquentiſſimum, & Eloquentium Iuriſperitiſſimum: alter in noſtris ædibus Diui Seruatoris Bononiæ, in locuplete & ornatiſſima Bibliotheca: quem ego ea præteriens, aliquot in locis, vt fit, nullo ordine attigi. His ergo omnibus uſus ſum: quos ego, quorum in manu eſſent ſignificare volui, vt, ſi cui fides noſtra in ſuſpicionem veniret, is haberet vnde eam poſſet deponere. Nos certe ut a culpæ conſcientia abſumus, ita omni ſuſpicione mendacij carere uolumus. Emendationum uero & ſuſpicionum inſcripſimus, ne eodem loco uide-*

*remur habere & quæ ex ingenio, & que ex vetuſtis libris reſtituta ſunt. Nam cum ſciam, ſcriptū, imaginem eſſe ſcriptoris voluntatis, hæc atque illa, in æqua lance non pono: ſed correctiones & coniecturas, his diuinationibus præfero, quas nobis ipſi formamus: ſi & Cicerone dignæ illæ ſint, nec hiſtoriæ ſententiæ'ue repugnent: Ita enim iudiciū ſequi malo. Siquidem ob eaſdem cauſas, vt diximus, vnius libri auctoritatem, multorum ſæpe conſenſione, potiorem antiquioremq; ducimus. Et tamen vbique fere aſſenſionem ſuſtinemus: noſtrarumq; omnium exiſtimationum, doctorum hominum iudicium eſſe volumus. Vnde factum eſt etiam, vt cum his noſtris vigilijs, epiſtolas ipſas, de integro ne excudendas curaremus: ſed poſtremam editionem Manutij, epiſtolarumq; ſectionem omnem ſecuti pene ſimus: lectores monentes tantummododo, ſiquid aliquando vel aliter ſcriptum in meis exemplaribus inueniretur, uel melius a nobis excogitatum uideretur. Nam ſi vndique purgata eſſet, vitijq; nihil haberet, inanis & ridiculus fuiſſet conatus hic noſter. Nunc uero, non paucis adhuc mendis inquinatam accepimus: atq; ita dimittimus, vt campus alijs quoque relictus ſit (vellem ereptum) vbi ingenium induſtriamq; ſuam atque vires exerceant. Nobiſcum præclare actum videbitur, ſi poſſimus di-*

*ſcedere, vt quando omnem non valuimus, aliqua ex parte, meliorem reddiderimus. Qua quidem in re, ſæpe mihi Octauius Pantagathus, oraculũ, vt ſic dicam, meum, ſubſidio fuit: ſæpe Donatus Iannoctius; ad quem, dum Nicolaus Rodulfus vitã ac ſpiritum duxit, nosq; vnà fuimus, ſiquid deliberationis egeret, referebam: hominem acri certoq; iudicio: quod teſtatum eſſe volui ad memoriam ſempiternam. Studioſos autem bonarum artium oratos velim, vt ſe nobis benignos æquosque præbeant: vt ſi non pauca commode dixiſſe videbimur, ne quod non potuimus reprehendant: & ſiqua in re, vt neceſſe eſt, offendimus, id tanti ne ſit, ut illa etiam quæ forſitan ſint laudanda, obſcuret & obruat. Sane quidam hodie iniquiſſime faciunt, qui in alienis laboribus, vitia acutiſſime videant, & magna uoce peruulgent: ad recta conniueant, ac perpetuo ſilentio inuoluant: tantũ ſuæ laudi, demptum exiſtimantes, quantum cedant alienæ. Illud admonendũ videtur, nos officium qui dẽ correctoris, ſed ſicubi quid mihi aut mei ſimilibus, dilucidum minus eſt uiſum; uel ab alijs omiſſum: (neque enim actum agere uolebamus) uel aliter ac mihi uideretur explanatum: etiam expoſitoris executos eſſe. Argumenta in libros ſingulos earum rerũ, quæ hiſtoriam tãtum illorũ temporum non etiã res priuatas domeſticasq; contineãt*

*confecimus: moniti in primis, Cornelij Nepotis uerbis, quæ ſunt in uita Attici, de eo ſic ſcripta. Quanquam eum præcipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quinctus carior fuerit, aut familiarior. Ei rei ſunt indicio, præter eos libros in quibus de eo fecit mentionem, qui in uulgus ſunt editi; ſexdecim uolumina epiſtolarum, ab Conſulatu eius uſque ad extremum tempus, ad Atticum miſſarum. Sic enim omnia de ſtudijs principum, uitijs ducum, æmulationibus Reip. perſcripta ſunt, ut nihil in his non appareat, & facile exiſtimari poſſit, prudentiam quodammodo eſſe diuinationem. Non enim Cicero ea ſolum, quæ uiuo ſe acciderunt, futura prædixit, ſed etiam quæ nunc uſu ueniunt, cecinit ut uates. Hæc ille; quæ huc eo libentius tranſtuli, ut ad horum lectionem librorum, animatus uehementius ſis lector, unde intelligas te, non modo eloquentiam, latiniq́; ſermonis puritatem, ſed prudentiam quoque & ſapientiam poſſe referre. Atque hic mihi modus finisq́; ſit præfationis meæ.*

# INDEX RERVM, ET VERBORVM.

*NVMERVS PAGINAM ſignificat. Littera uero eidem adiecta, ſi A. fuerit primam faciem, ſi B. ſecundam verſam denotat.*

## A


ABVRTOTO, quo ſenſu accipiẽdum. 112.b
Abutiſcelere. 72.b
Accenſi officium. 281.a
Accerſo. 237.a.b
Accuſatiuus in is, & eis 84.a.b. 85.a.b
ἀκρωτήρια 123.b
Ad Tarentum quo ſenſu. 112.b
Ad ſummam, & ad ſummum. 254.b. 255.a
Adque, & Atq;. 285.b
Adrianum mare, & Adriaticum. 210.a
Aeratus &
Aerarius. 27.a.b
Age 74.b
Agere amplius. 115.b. 116.a
Ain tu. 142.a.b
Albæ dux. 191.a
ἀλλὰ δὴ ἀλλὰ καί. 131.a
Aliter pro male. 279.a
Alienor huic rei. 197.a
Alterius utrius. 207.a.b
Allegatio. 20.a
Amare pro Tueri. 89.b
Ambo pro Ambos. 109.a
Amiternum. 37.a.b
ἀνέκδοτα Ciceronis quæ eſſent. 50.a.b
An pro vel. 280.b. 281.a
ἀπαγωγὴ εἰς τὸ ἀδύνατον. 5.a
Aphractus. 123.b
Ἀπλῆ. 178.a
Apoſtrophe. 252.b
Apollonius Molo. 43.a.b
Apollonide urbs Aſiæ. 124.b

ἀποσκευάζω. 226.a
Apprime. 228.b.229.a
Aradus. 194.a
Arabarches. 58.b.59 a
Arceſſo. 237.a.b
Arce, &
Arcanus. 113.b.114.a
Arpinàs cur accentum habeat in vltima. 113.a.b
De ea voce item. 302.b
Artemita. 36.b
Aſianus &
Aſiaticus. 32.b.33.a
Atqui. 142.a
Aternus. 37.a
Audiui cum diceret pro dicentem. 273.a

B

Baſilus. 163.b
Bene eueniat &
Bene conueniat. 155.a.b
Bene narras. 245.b

C

Cæſarinus &
Cæſarianus. 270.b
Calide &
Callide. 257.a.b
Captio. 116.a.b.117.a
Capitale. 289.a
καταβίωσις. 230.b
Cauſſa. 180.a
Cauſſa, an cauſa ſit ſcribendum. 262.a.b.263.a
Cautio. 116.a.b.117.a
Cernere 137.a.b
Cernere hereditatem. 243.a.b
Certus. 131.b
Ciceronis liber de ſuis con ſiliis. 50.b
Ciſtophorum. 52.a
Ciuitas quid. 294.a
Ciuitate donare. 293.b. 294.a
Ciui pro ciue 158.a.248.b
Coemptione in manum venire. 16.a.b.17.a.b
Comenſes ciuitate donati. 121.a.b.122.a
Commiſſatio. 29.b
Compendium. 136.a
Contumelia. 53.a
Corripio. 260.b
Coſſa. 195.b
Cretio ſimplex & Duplex. 220 b
Cretio quid & unde dicta. 243.a.b
Cretio libera, vulgaris continua. 244.a.b
Cui, pro Quoi. 167.b
Cum dedi, & cum dediſſem quo differãt. 274.a

D

D. eſſe mollitum T. 285.b
D. hoc eſt dies. 156.a
De. monentem cauſam ſignificat. 14.a
De nocte. 184.a.b
De re aliqua venire aut

mitti. 161.a
De eodem oleo & opera. 241.b
Decretas. 73.b
Decreſſe. 152.b
Delus. 196.a.b
Denarius. 154.b
Deſignatio. 90.a
Deterreor. 279.b
Diple, ſeu διπλῆ. 177.b
Diphthõgi ei & ai. 86.a.b
Diſcidium. &
Diſsidium. 223.a.b
Diſpendium. 135.b
Diagramma. 196.a.b
Diſertus. 42.b
Diuortium &
Diuergium Aquarum. 129.a.b
Duo luci. 88.b
Duo pro duos. 109.a
Duumuir. 49.b

E

E litteræ duplex ſonus. 87.a
Egeo conſilii, & conſilio. 175.a
Eliſio quando adhibetur. 253 a
Eius pro eius rei
Epanalepſis. 62.a
Ergo & igitur breuibus concluſionibus. 69.b
Et pro εἶτα. 188.b
Euigilo. 289.a.b
Exilii nomen ſemper horruit Cicero. 210.b
Explicitus &
Explicatius. 192.a.b

F

Factus. 62.a.b
Fœnus. 135.a
Fœnus & impendium. 135.a.b.136.a
Fabularum tres actus. 281.b
Facit vt intercedat pro antecedit. 204.b
Fallaciæ. 3.a
Feralia. 187.b
Finis in fœminino genere. 197.b
Flocci facio. 30.b
Flocci non facio. 30.b
Flagitium. 170.b
Focus Curianus. 58.b
Forte &
Fortaſſe. 278.b
Fractæ res. 80.a
Fraus. 73.b
Fucus. 3.a
Fucoſi ſuffragatores. 3.a
Fucum facere. 3.a
Fuſius non fuſius. 24.b. 256.a.b
Futurum exactum. 170.b

H

H. Hora. 214.a.b
Haud & Haut. 168.a.b

Helenius acron. 123.b
Heres iuſtus. 17.b.18.a
Heres legitimus. 17. b. 18.a
Hereditatẽ cernere.243.b
Heraclea in trachine. 278.a
Here & Heri. 214.b
Humane &
Humaniter. 13.a
Humanus pro homo. 234. b.235.a
Hyperbaton: 238.a.b
Hypotheſis. 253.b

I

Iguuium, & Iguuini. 169.a.b
Impendium. 136.a
In. 112.b
In communis præpoſitio licenter adhibita a ſcriptoribus. 251 b
In manum cõuenire, vſu, coemptione. 17.a
In metu eſſe & ponere. 69.a
Incolumis. 72.b.73.a
Inductio. 73.b
Infinitum ſubiunctũ etiã cum indicatiuo. 249.a
Infinitum verbum pro gerundi modo. 249.a
Inhibere. 233.a
Intercalatio. 119.b
Inter cæſa, & porrecta. 126.a.b
Ioculator. 101.b
Ipſi pro integri. 74.b.75.a
Iulio Menſi quando nomen impoſitum. 241.a
Iurare bonã copiã. 156.b

K

K. Calendæ. 239.a.b
K. Cæſo prænomẽ.239.a b
KK. Calũniæ cauſſa.239.b
Kanus. 239.a.b

L

Lanuuinum, &
Lanuinum. 195.b.196.a
Laterna. 89.a
Laute. 59 a.b
Legatio. 19.b
Legatio ꝓuincialis honoris cauſa dabat aliquãdo ſicut & libera. 258.b
Legere pro legare. 207.b. 208.a
Lenitas. 280.b
Libella. 154.a.b
Liberalia. 197.b.195 a
Libri tres Ciceronis de ſuo Conſulatu carmine conſcripti. 287.a
Lictoris officium. 281.a
Littus aer & ſolitudo. 33.a
Litteræ latius patẽt quàm epiſtolæ. 300.b
Locus. 126.a
Locris. 66.a
Lucretilis &
Lucretianus. 164.b
Luſtrum. 36.b

M

M. 147.a
Male odiſſe. 42.b
Male narras. 245.a.b
Maliuolus. 37.b
Manius. 147.a
Mancipio accipere. 11.b
Manu conſerere. 174.b
Maſtigia. 91.b
Maxime liberaliſsima. 228 b. 229.a
Mecum ſimul. 69.a
Me Dius Fidius. 90.a
Me Hercules 90.a
Melita 211.b
Melitei catuli 211.b
Melpha fluuius 113.b
Mi pro mihi 236.a.b
Minore centeſimis pro minoris 20.b.21.a
Minucia 191.a
Minturnæ 114.a
Monere pro vocare. 97.a
Myſteria 261.b

N

Næ. 138.a.b. 139.a.b
Nar 100.a
Narix uel
Naricium. 66.a.b
Narro tibi. 245.a.b
Naui aut claſſe iter facere 268.b
Nedum pro non modo. 215.b
νεμεσᾶν 128.a.b
Neminis. 247.b
Neminius 247.b
Niſi pro ſed. 218.b.219.a
Nomina greca in ων, latini per o 155.b
Non modo 215.b
Non eſt melius. 232.b
Noli querere 246. a.b
Notũ pro Triuiale. 288.b
Nugas 146.b
Numicia uia 191.a

O

Omnino pro ad ſummum 254.b.255.a
Orare cauſam &
Orare litem. 208.a
Ordo librorum epiſtolarum 175.b.176.a
Os præbere tradere. 136.a
Oſtia 291.b.292.a
Ornatæ quædam dicendi rationes & periphraſes. 246.a.b

P

Palpo. 194.a
Parochus 231.a
πάκτων 119.a
Palicanus. 10.a
Participium, quod vocant in Dus non eſt participiũ ſed nomen. 98.b
Paulo ſalubre &
Paulo humanior. 186.b
Pecuniæ in fanis deponebantur. 133.a.b
Pedanum &
Pedum 205.b.206.a
Pedibus iter facere. 268.b

Pedibus trahere. 104.b
Pellectio. 23.b
Periphraſes quędam pulchrę. 272.b.273.a
Per me 104.b
Pindeniſſus 129.b
Petere conſulatum differt ab rationem habere. 5.b. 6.a.b.7.a
Polus per vnicum.L. 91.a
φθονεῖν 128.a
Pontificum fuiſſe, iudiciũ religionis 24.b
Poteſtas tua eſt 250.a
Præ. 80.a
Prętmonere 92.a
Præpoſitiones Communes licenter adhibitę. 251.b
Pridie & II Id. 193.a
Pridie pro Heri. 198.a
Pridie illum diem. 223
Pridie genitiuo & accuſatiuo iunctum 264.b
Pro 80.a
Proinde 71.a.b
Prolixum. 11.a
Propagare &
Prorogare prouinciam. 179.b.180.a
Prorſus &
Prorſi limites. 253.a.b
Propter pro præ,uel pro. 80.a
Proximus Pompeio & Pōpeium 25.a

Q

Quadrans 254.a
Quare &
Quamobrem longioribus concluſionibus. 69.b
Quanti reip.ſit, pro inten ſi. 181.b.182.a
Quid auro fiet? 140.b
Quid me fiet? 140.b
Quid quæris? 246.a.b
Quid ſcribam neſcio. 23.a
Quid ſi hoc melius. 157.b
Quinquatrus.200.b.201.a
Quis pro ſiquis 103.a
Quis pro quibus nō queis 212.b.213.a
Quo 275.a
Quod ſcribam non eſt, nō quid 23.a
Quód ſcribam non habeo non quid 23.a
Quod efficienté cauſam, quo finem 275.a
Quod 275.a
Quotiens 108.b

R

Reciprocum pro demonſtratiuo 199.a
Rei non prohibebantur petere Magiſtratus. 6.a
Res eſt 158.a.b
Reuereri alicuius & aliquem 183.b
Rure pro Ruri 245.a

S

S; & σ uitatum in ſcribendo 205.a.b
Salinę 124.a
Satiſdare,ſuum Mancipiũ.

111.a.b
σκη'πτομαι 270.b
σκέψεις καὶ ἀναβολαί.
21.a.b
Scida &
Scheda 39.a.b
Sed etiam 131.a.281.b
Secus 194.a.b.279
Senati pro Senatus.276.b.
277.a
Seſtius &
Sextius 172.a.b
Si quęris 246.a
Si quiſquam,hic 27.a
Si qua pro aliqua,& ſi quę
81.b
Si qui, pro ſi quis. 82.a.b
Si qui 82.a.b
Simul &,ac,atque,vt. 215
a.b.286.b
Sine ſacris hæreditas.
244.b
Sit pro interſit. 181.b.
182.a
Sittybæ 95.b
Si quid uis 246.a
Soluta res, pro ſolutione
ſatisfactum 136.b
Spectaculum. 100.a
σπονδεῖάζον 153.a
Στρατηλάτης nō ςρατηλάξ
273 b
Statuere 31.b
Stiti a ſiſto 272.a
Strues 124.b
Subiunctiuum & indicatiuum pro imperatiuo.
73.a
Sub poſteaquam 193.b
Succenſere &
Suſcenſere 263.b
Succipere &
Suſcipere 263.b
Sum qui optauerim pro
optaui 272.b.273.a
συγγενέσαι 155.a
συνοικεῖν 155.a

T

Tampiorum familia.185.b
Tamen 218.a
τὰ μὲν διδόμενα 260.b
Teruncius 154,a.b
Tertio quarto v. Nonarū
Kalendarum cur dicatur.
264.b.265.a.b
Tempus pro tempore.
68.a.73.a
Tignium 199.a.b
Toto negotio opus non
fuit 146.b
Totiens, non toties. 108.a
Trebula 114.a.b
Trice 260.a
Tris in Accuſatiuo,
Tres in nominatiuo, &
vocatiuo. 194.
Tutela legitima &
Tutores legitimi &
Tutores iuſti 17.b.18.a
Tum pro Et 229.a
Tum pro in primis. 75.b

V

Vel pro an. 280.b.281.a

Velinus flumen & lacus. 100.a
Velim queras. 246.b
Verbo Re 70.b.71.a
Venire in ſermonem alicui & alicuius 247.b
Vettius non Vectius. 90.b 91.a
Vicus 159.b
Vinciri pręſidiis 173.b
Vocales denos habent ſonos. 86.a.b.87.a
Vrbs. 294 a
Vſu in manum conuenire. 17.a
Vt παρέλκον 67.a
Vti pro ut 109.a
Vulgare ꝑ Triuiale. 288.b
Veſcia 255.b

Loci tum ipſius Ciceronis in aliis eius litteris, & libris tum aliorum auctorum uel emendati uel Illuſtrati.
Ariſtotelis in primo libro φυσικῆς ἀκροάσεως. 131.a
Ariſtotelis in Categoria habendi 155.b
Aſconii locus illuſtratus. 8.a
Ciceronis in oratione pro Flacco 16.b
In oratione pro Cælio. 8.a
Ex epiſtolis ad Appium. 109. a
In lib. I. de Oratore. 244.b
In lib. III. de Oratore. 87.a
Cæſaris in primo commẽtariorum. 169.a
Ex Cõment. eiuſdẽ. 188.a
Diomedis grãmatici. 25.a
Dionis 50.b
Feſti 252.a
Gellii 11.a
Liuii 272.b
Plauti ĩ Bacchidibus. 133.b
Plinii. 170.a
Priſciani 265.a
Quintiliani 86.b
Eiuſdem 233.b
Soſipatris in inſtitutionibus. 21.a
Eiuſdem. 138.a
Terentii 36.a
Eiuſdem 112.a
Eiuſdem 245.a
Varronis 82.b
Eiuſdem duo. 87.b
Eiuſdem 136.a

Aduertendum quòd folio. 100. pagina prima, uer ſu. 13. ad ea uerba (nec multo poſt, ingenti) addendum eſt (deſiderio.)

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Atticum, EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*Argumentum libri Primi.*

LIBRI *huius epiſtolæ, partim ante conſulatū Ciceronis, partim poſt Conſulatū ſcriptę ſunt. Nam toto conſulatus illius tēpore, Atticus Romæ fuit, omnium conſiliorum & actionum eius monitor, adiutor, & adminiſter. Porro illæ, quæ conſulatum antecedunt, quæ ſunt numero nouem, nimirum vſq; ad eam quæ incipit, Teucris illa: nihil ſane continent, quòd ad hiſtoriā magnopere pertineat: Conſequētes uerò, vſq; ad Epiſtolā Nihil mihi: M. Meſſalla & M. Piſone Coss. datæ, primum, rem Clodij narrant; vt domi C. Cæ-*

*ſaris, cum ueſtitu muliebri deprehenſus fuerit, cũ pro populo fieret: totumq; de re illa iudicium: quo non modo præter fas & æquum, ſed etiam præter omnium hominum opinionem, abſolutus fuit: deinde quã mortuo plauſu populus Romanus, Pompeium exceperit, e nobili illa Aſiatica expeditione redeuntem. Nam cum nobiles homines, in ijs L. Lucullum cum primis, haberet infenſos: illos, quia hominis potentiam ægre ferrent adeo creuiſſe, vt iam formidabilis poſſet eſſe: hunc, quia erepti ſibi triumphi de Mithridate, iam fere debellato, hæreret memoria: non modo obtinere nunquam potuit, vt acta ſua a populo confirmarentur: deq; militum præmijs decerneretur: ſed ne illud quidem, vt rebus ab ſe geſtis recitandis, plauſus ex animo daretur. Atq; id eſt quod ait epiſtola* XII. *Prima concio Pompeij qualis fuerit, ſcripſi ad te antea: non iucunda miſeris: inanis improbis: beatis non grata: bonis non grauis. Quæ quidem res, omnium quæ deinceps ſecuta ſunt, malorum, fons & origo fuit. Nam quod nec per Meſſallam & Piſonem primo anno: nec per Metellũ & Afranium, ex quibus hunc, omnibus inuitis, per largitionem & ambitum, quo acta ſua confirmarentur, creandum curauerat ſequenti anno: quod per Flauium Tribunum pl. vt lex agraria perferretur, impetrare non potuit: coitione facta cum*

*Cæſare & M. Craſſo, anno tertio obtinuit, Cæſare in primis Conſulē declarato. Tres vltimæ epiſtolæ, Q. Metello Celere. L. Afranio Coss. miſſæ ſunt: quorum conſulatu, de Clodio ad plebem traducendo, agi cœptum eſt. Quare ſi ratio temporum ſubducatur, intelligemus tam paucas libri huius epiſtolas, annis amplius octo ſcriptas fuiſſe: nempe a Conſulatu minimum L. Cæcilij Metelli Cretici: & Q. Martij Vatia, qui Aedilitatem Ciceronis, ſtatim ſecutus eſt: vſque ad eos quos proxime diximus Coss. Scite autem Manutius, primas epiſtolas diſtribuiſſe videtur, & quaſi in ſuum locum ſingulas reuocaſſe. vt nullo negotio, quando primum inter eos initium ſcribendi factum eſt, cognoſci poſit.*

## IN EPIST. I.

Prensat vnus P. Galba ſine fuco & fallacijs more maiorum: negatur. *Quantum momenti in ſcriptura interpunctio habeat, hic locus argumẽto poteſt eſſe: qui ſecus ac debuit diſtinctus, viros etiam acri iudicio ac multa doctrina præditos, niſi me iudicium fallit, fallere potuit. Nam fucum & fallacias, ad prenſantem Galbam retulerunt, cum ad hominum infitiationem, ſiquid ego video, referenda ſint: qui prenſanti Galbæ, aperte, ſincere, ſineq; vlla ſimulatione ac dolo, &, vt alibi idem inquit Cicero,* ἀγοητεύτως *negarent: idq; more maiorum, qui dolos adhibere, fallereq; neſcirent. Et ſane fucus, tametſi herbæ genus ſit, tingendis lanis comparatum: ad illudq; etiam medicamentum, quo cuti ſuperinducto, mulierculæ vitia formæ, vel vt Plautus ait in Moſtel. vitia corporis occultant transferatur: non raro tamen inuenias, etiam ad ſuffragatores transferri: qui tum fucum facere dicerentur, cum fallaci verborum ſpecie, verum mentirentur: aliudq; clauſum in pectore, vt inquit ille, aliud in lingua promptum haberent. Id quod Homerus Iliad. ϑ. ſic videtur expreſſiſſe.* ὅσ χ᾽ ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο δὲ βάζει. *Hoc ex Q. Cicerone*

de petitione conſulatus ad M. fratrem, manifeſte perſpicitur: vbi etiam docetur, quo modo fucoſi ſuffragatores firmi fierent, his verbis. Qui domũ tuam venient, ijs ſignificato te animaduertere: & eorum amicis, qui illis enuntient, oſtendito ſæpe ipſis dicito: ſic homines ſæpe, cum obeunt plures competitores, & vident vnum eſſe aliquem, qui hæc officia maxime animaduertat: ei ſe dedunt, deſerunt ceteros: minutatim ex communibus proprij, ex fucoſis firmi ſuffragatores euadũt. Iam illud teneto diligenter, ſi eum qui tibi promiſerit, Fucum, vt dicitur, facere velle ſenſeris: vt te id audiſſe, aut ſcire diſsimules: ſi quis tibi ſe purgare volet, quod ſuſpectum eſſe arbitretur, affirmes te de voluntate illius nunquam dubitaſſe, nec dubitare debere. Is enim qui ſe non putat ſatisface re, amicus eſſe nullo modo poteſt. Hæc ille: quæ fucum prorſus declarent, prenſanti conuenire non poſſe. Et vt de fuco ita de fallacijs eſt dicendum: quæ cum ex eo dictæ ſint, quod fando decipiant: aut contra, quàm dixerint faciant, a prenſante quidem prorſus alienæ ſunt. Quæ cum ita ſint, ſic & interpungimus & exponimus. Prenſat vnus P. Galba: hæc de prenſante. Sine fuco & fallacijs more maiorum negatur: hæc de ſuffragatoribus dicta ſunt. Atque hanc eſſe veram loci huius ſententiam, illa etiam declarant: Nam ita illi negant

*vulgo, vt mihi ſe debere dicant. Quid eſt porro, vulgo negare, niſi paßim ac palam; hoc eſt ſine fuco & fallacijs negare? Additur etiam iuſta negandi cauſa, quod Ciceroni deberent.*

IN CAMPO comitijs tribunitijs. *Hæc verba, proximis ſuperioribus adnectimus, deleta diſtinctionis nota, qua ambitus ſeparantur: proq; illa inciſo adſcripto: vt ſignificetur, non vbi & quo tempore, Cicero competitorum iudicium feciſſet, ſed quo loco ac tempore, initium prenſandi facere cogitaret: nimirum in campo, comitijs Tribunicijs, ad* XVI. *K. Sex. Nam & locus oportunus, & tempus idoneum, minusq; conquiſitum videbatur, cum populus cõueniſſet magiſtratuum cauſa, initiumq; comitiorum fieret: vt res ipſa locusq;, propemodum admoneret eius officij. Galbæ enim prenſatio, his maxime nominibus odioſa videri potuit: quòd & præpropera fuit, ante omnia eius anni comitia (prima enim erant Tribunicia) & ſine alijs qui erant petituri: et extra campum, vt ſingulorum domos obire quodammodo cogeretur, nimium manifeſta cupiditate: cuius vt ſuſpicionem vitaret Cicero, ſcribit ſe, primis comitijs, in campo, prenſandi initium eſſe facturum. Atq; hac quidem ratione, incommodum illud effugitur, quo ne & ſolus eodem tempore et cum alijs prenſare Galba diceretur, quidam coacti ſunt hãc epi-*

ſtolam, articulatim, vt ita dicam, concidere: &, quod in multa rerum copia, ne uel effluant ſi differantur, vel in vnum tempus dilata, ſua nos mole opprimant: quód ve in certo tabellario, ne cum occurrerit, ſiſtendus ſit, aut occaſio amittenda, fieri plerunque ſolet: id Ciceronẽ dicere, in re, haud ita ſane magna, certiſsimo quidem tabellario feciſſe, vt per interualla ſcriberet: &, quod vix eſt veriſimile, cum ſe ſciret, non niſi a comitijs conſulari bus eſſe daturum, tamen ante comitia Tribunorũ, ſcribere aggreſſum fuiſſe: præſertim quod horæ vnius, aut ſummum ſeſquihoræ ſpatio tranſigi potuit. Enimuero epiſtolæ partem illam quæ Galbæ prenſationem continet, ante comitia Tribunorum elucubratum fuiſſe, ne illi quidem negare poſſunt, qui ſæpius ad ipſas litteras, reditũ eſſe volunt: niſi vnum prenſare Galbam vno atque eodem tempore, & non vnum velint dicere ἀποφατικῶς. Nos vero, non modo eam partem, ſed plane totas litteras, ante comitia Tribunicia & ſcriptas, & datas arbitramur; nempe x v i. K. Sext. vt diximus, illo ipſo die, quo Attici puerum diſceſſurũ, Cincius Ciceroni prædixerat. Video quid opponãt nonnulli: nimirum ex litterarum clauſula, manifeſto cognoſci, eas a Comitijs Conſulum, iam videlicet L. Iulio Cæſare, C. Marcio figulo deſignatis, datas eſſe. Et profecto, ſi eam clauſulam conſi-

*tererlocum ſuum obtinere, basq; litteras ante comitia Tribunicia datas eſſe defenderem, facerem impudenter ne dum ſtulte: ſed nos eam, ad initium ſequentis epiſtolæ, transferendam putamus: quibus adducti rationibus, eo loco dicemus. At rurſum occurri poßit: ſi litteræ & ſcriptæ & datæ ſunt ante comitia Tribunicia, eodem recidimus, vt falſum omnino ſit, vnum Galbam prenſare, qui cum Antonius & Cornificius dicantur prenſare. Huic obiectioni, tametſi iam ſit reſponſum; tamen non grauabimur, id rurſum inculcare: hic nullam prenſationis a Cicerone mentionem fieri, ſed iudicij dumtaxat & coniecturæ futurorum competitorum: quæ coniectura, ſine prenſatione, multis alijs rationibus fieri potuit. Ita enim Cicero. Competitores qui certi eſſe videbantur, Galba & Antonius & Q. Cornificius: quaſi dicat, Idem Galba & præterea Antonius & Cornificius: non in campo quidem perſpecti & comitijs Tribunicijs, quæ non dum fuerant, ſed γενικῶς, quodam hominum indicio: ita vt vnus prenſet Galba: qui tamen petituri præter illum ſint, facile appareat. Illud præterea notandum, Tribunos pl. quanquam minores magiſtratus, aut non magiſtratus vt alij volunt, in campo etiam creari potuiſſe, licet tributis comitijs.*

Catilina, ſi iudicatum erit meridie non

lucere, certus erit competitor. *Hic vereor, ne mea ſedulitas non nullis putidior, alijs etiam odioſior uideatur: qui receptam ſcripturam quodammodo tentare, inq; ea uitium inuenire, quaſi nodum in ſcirpo, conari videar. Verum ego, neque id ago, & ſiquid in dubium reuoco aliquando, hoc mihi videor, non ſane leuibus argumentis adductus facere. Nam cum ita ſtatuam, nihil ab hoc artifice repugnans: nihil abſurdum aut abſonum: nihil frigidum aut inane: nihil non candidum ac perſpicuum, nihil deniqne parum latinum proficiſci poſſe: atque in his verbis quiddam lateat, quod non ſatis probem: eſſe mihi fraudi non debet, ſi de his nõ prorſus bene ſentiens, id præmeferam: præſertim ſi, cum nihil immutauero, quiq; meus ſenſus ſit aperuero, ſuum cuique relinquam. Sed vt ad rem veniam, ea verba duos ſenſus habent, ambos, huic quidem loco, parum aptos, niſi fallor, & appoſitos: quorum alter apparens atque in promptu, ſtatim cuius occurrit: nempe fore vt Catilina tum petat, cum meridie iudicatum erit, non eſſe diem. Quod argumenti genus dialectici,* ἐπαγωγὴν εἰς τὸ ἀδύνατον, *ſolet appellare. Verum hic hiſtoriæ repugnat: nam petijt, idq; ſe antea ſemper profeſſus eſt facturum, & præſetulit: vt in re tam clara & peruulgata, Cicero dubitare, aut iudicio falli non potuerit. Alter ſenſus eſt*

*abditior, & quaſi ἐν αἰνίγματι, cum* Meridie *pro manifeſtis criminibus*, non lucere, *pro non feciſſe videri, accipiatur, illo ſenſu: Catilinam certum fore competitorem, ſi, in tam manifeſtis criminibus, quibus tenebatur, tamen iudicum ſententijs abſolutus fuiſſet: quod eſſet, ac ſiquis diceret, Meridie non lucere. Sed hæc ſententia, ingenioſior eſt, quam verior. Non enim ſi iudicum ſententijs abſolutus non fuiſſet, eo minus ei licitum erat conſulatum petere: propterea quòd nec reis, quo minus populo ſupplicarent, cuius erat ſumma poteſtas omnium rerum, ſi quam ſpem modo haberẽt, poſſe ſe aliquid ab illo obtinere, vllis erat legibus interdictum; & de Candidatis quærere, vtrum eorum ratio haberetur, ad eum Conſulem pertineret, qui habebat comitia. Is enim de candidatis quærebat: nec cuiuſquam nomen in tabellis ſcribebatur, niſi cuius rationem haberi licere, antea iudicatum eſſet. Id a Conſule Volcatio, anno proximo ſuperiori, quam hæc eſtiſtola ſcripta eſt, in Catilina, cum repetundarum quęreretur ex Africa, factum fuiſſe, Pedianus docet his verbis. Profeſſus deinde eſt Catilina, ſe petere Conſulatum. L. Volcatius Tullus Conſul, publicum conſilium habuit, an rationem Catilinæ habere deberet, ſi peteret Conſulatum: nam quærebatur repetundarum. Catilina ob eam cauſam, deſtitit, a petitione.*

*Hæc ille: Quærebatur inquit repetundarum: quo, quid aliud ſignificatur, quam quæſtio habebatur, quod ad forum pertinet? Et ne calumniæ locus relinquatur, Criſpus in Catilinario, reum vocat, ſic ſcribens. L. Tullo. M' Lepido Coſ. P. Autronius & P. Sylla deſignati Coſ. legibus ambitus interrogati, pœnas dederunt. Poſt paulo, Catilina repetundarum reus, prohibitus erat petere Conſulatum, quòd intra legitimos dies, profiteri nequiuerit. Ex quibus licet concludere, petiturum fuiſſe Catilinam licet reum: ſi profeſſionis tempus obire potuiſſet. minus enim celeritatis forſan adhibuit, quòd Senatus Conſultum de ſe factum audiſſet, ne eius ſi peteret, ratio haberetur. Non ergo rei: quia rei eſſent, a petendo excludebantur, ſed Senatus iudicio. Et vt me omnia deficiant, in eo certum mihi preſidium ſitum eſt, quòd lex nulla inuenitur, quæ reos a ſupplicando populo, ſummoueret: multa quæ non obſcure ſignificant, locum ijs datum fuiſſe: illud etiam palmare, populi rerum omnium ſummam fuiſſe poteſtatem. At exiſtent qui dicant: me ſimilium rerum propinquitate decipi: eſſe enim aliud permittere, vt quis conſulatum petat, aliud, vt eius ratio habeatur: Petendi enim poteſtatem, vel reis factam fuiſſe, idq; tum ante profeſſionem, tum in ipſa: rationem vero, niſi illorum, quibus a ſenatu iudicatum eſſet li-*

*abditior, & quaſi ἐν αἰνίγμασι, cum* Meridie *pro manifeſtis criminibus,* non lucere, *pro non feciſſe videri, accipiatur, illo ſenſu: Catilinam certum fore competitorem, ſi, in tam manifeſtis criminibus, quibus tenebatur, tamen iudicum ſententijs abſolutus fuiſſet: quod eſſet, ac ſiquis diceret, Meridie non lucere. Sed hæc ſententia, ingenioſior eſt, quam verior. Non enim ſi iudicum ſententijs abſolutus non fuiſſet, eo minus ei licitum erat conſulatum petere: propterea quòd nec reis, quò minus populo ſupplicarent, cuius erat ſumma poteſtas omnium rerum, ſi quam ſpem modo haberét, poſſe ſe aliquid ab illo obtinere, vllis erat legibus interdictum; &* de *Candidatis quærere, vtrum eorum ratio haberetur, ad eum Conſulem pertineret, qui habebat comitia. Is enim de candidatis quærebat: nec cuiuſquam nomen in tabellis ſcribebatur, niſi cuius rationem haberi licere, antea iudicatum eſſet. Id a Conſule Volcatio, anno proximo ſuperiori, quam hæc eſtiſtola ſcripta eſt, in Catilina, cum repetundarum quæreretur ex Africa, factum fuiſſe, Pedianus docet his verbis. Profeſſus deinde eſt Catilina, ſe petere Conſulatum. L. Volcatius Tullus Conſul, publicum conſilium habuit, an rationem Catilinæ habere deberet, ſi peteret Conſulatum: nam quærebatur repetundarum. Catilina ob eam cauſam, deſtitit, a petitione.*

*Hæc ille. Quærebatur inquit repetundarum: quo, quid aliud ſignificatur, quam quæſtio habebatur, quod ad forum pertinet? Et ne calumniæ locus relinquatur, Criſpus in Catilinario, reum vocat, ſic ſcribens. L. Tullo. M' Lepido Coſ. P. Autronius & P. Sylla deſignati Coſ. legibus ambitus interrogati, pœnas dederunt. Poſt paulo, Catilina repetundarum reus, prohibitus erat petere Conſulatum, quòd intra legitimos dies, profiteri nequiuerit. Ex quibus licet concludere, petiturum fuiſſe Catilinam licet reum: ſi profeſſionis tempus obire potuiſſet. minus enim celeritatis forſan adhibuit, quòd Senatus Conſultum de ſe factum audiſſet, ne eius ſi peteret, ratio haberetur. Non ergo rei: quia rei eſſent, a petendo excludebantur, ſed Senatus iudicio. Et vt me omnia deficiant, in eo certum mihi præſidium ſitum eſt, quòd lex nulla inuenitur, quæ reos a ſupplicando populo, ſummoueret: multa quæ non obſcure ſignificant, locum ijs datum fuiſſe: illud etiam palmare, populi rerum omnium ſummam fuiſſe poteſtatem. At exiſtent qui dicant: me ſimilium rerum propinquitate decipi: eſſe enim aliud permittere, vt quis conſulatum petat, aliud, vt eius ratio habeatur: Petendi enim poteſtatem, vel reis factam fuiſſe, idq́; tum ante profeſſionem, tum in ipſa: rationem vero, niſi illorum, quibus a ſenatu indicatum eſſet li-*

*cere, niſi in ipſis comitijs, eſſe habitam neminis. Nos exquiſitam hanc ſubtilemq́; vocum differentiam non contemnimus: eam tamen affirmamus opinioni noſtræ, nihil officere: ſatis enim habemus, ſi de reis fateantur referri conſueuiſſe. Cum enim περὶ τῶν ἀδικημάτων nemo referat, fateantur neceſſe eſt, fieri potuiſſe, vt aliquando licere iudicaretur: & quod eſt conſequens, etiam habitam eſſe rationem. At σοφίζονται, in reis habendos non eſſe, qui abſoluti fuiſſent a Senatu. Ego abſolutos eſſe, vereor vt poſſim concedere: nam neque vlla huiuſce rei tam inſignis, apud rerum ſcriptores, quod ſciam, extant teſtimonia, quæ fidem faciant: & iniquum fuiſſet, nedum inuidioſum ad populũ, quod vix multis menſibus a conſilio iudicabatur, re diligenter cognita, id paucis diebus a Senatu per ambitionem tranſigi. Puto tamen, Conſilium publicum haberi, non niſi de inſignis alicuius capitalisq́; criminis reo, conſueuiſſe: præterea de reo illo, cuius nomen delatum eſſet tantummodo, non etiam accuſatio inſtituta. Nam qui accuſaturus eſſet aliquem, is eum apud Prætorem interrogare ſolebat: Aio te Clodium interfeciſſe, aio te prouinciam ſpoliaſſe: vt ſi negaſſet, nomen eius referretur inter reos, Iudicium daretur, accuſatio inſtitueretur. Sed prorſus mihi perſuadeo, reorum potuiſſe rationem haberi. Verum vt hoc extet ma*

*gis, pauca de Catilina, ſed altius repetemus. Is ex prætura in prouinciam Africam, L. Cæcilio Metello Cretico, Q. Marcio Vatia, Coſs. profectus: inq; illa biennium (tot enim annos Prætorios eſſe oportebat) auare, libidinoſeq; verſatus, Romam reuerſus eſt, Lepido & Tullo Coſs. eo conſilio, vt conſulatum peteret, quòd ei per leges eſſet licitũ: deſtitit vero a petitione his de cauſis, quas ex Sal luſtio Aſconioq; demonſtrauimus: nempe, quia intra legitimos dies profiteri nequiuerit: (nam indictis comitijs, qui eſſent petituri, niſi intra legi timos dies profeſſi eſſent ſe petere, eorum ratio haberi comitijs non poterat) & quia iam præcautũ a ſenatu fuerat, referente Volcatio, ne eius ratio haberetur, ſi peteret: propterea quòd legati Afri, quòd grauiter prouinciam vexaſſet, abſente illo, queſti fuerant, & repetundarum vt ex Aſconio diximus quærebatur. Vbi non modo cauſam ceſſationis a petendo, ſed etiã illa cognoſcimus: ex Sal luſtio rediiſſe illum Volcatio & Tullo Coſs. & quidem ante comitia, licet non ita maturauerit, vt tempori, profiteri poſſet: ex Aſconio vero, an num fuiſſe petitionis: aut quid neceſſe fuit referre, cum annali lege prohiberetur? Et, ſi Cotta, & Torquato Coſs. vt alij opinantur rediјt, qui ſerus eſſe potuit? ſane Romæ fuiſſe in conſulatu Lepidi & Tulli, nemo negabit, qui Salluſtij Pedianiq; et*

*aliorum etiam ſcriptorum litterarum monumenta paulo accuratius legerit. Nam Criſpus quidē, cum cauſam narraſſet, qua de cauſa a petendo Catilina fuiſſet excluſus, continenter hæc addit. Erat eodem tempore Cn. Piſo adoleſcens nobilis, ſummæ audaciæ, egens, factioſus: quem ad perturbandam Remp. inopia & mali mores ſtimulabant. Cum hoc Catilina & Autronius circiter Non. Decemb. conſilio communicato, parabant in Capitolio Kalendis Ianuarij, L. Torquatum & L. Cottam Coß. interficere. Fuit ergo Romæ menſe Decembri. Quòd, ne quis animi pendeat, incertus, vtrius anni December ſignificetur, Aemilij ne ac Tulli, an Torquati & Cottæ: hic ſi Dionem legerit libro xxxvi, plane dubitare deſinet, ad annūq; Aemilij atque Tulli, pertinere intelliget: nec eſſe dubitandum, quin ijs Conſulibus, Romam ſe Catilina retulerit ex prouincia. Id quod Aſconius etiā manifeſtius facit, cum in Cornelianam, vbi Cicero de ijs loquitur, qui Manilianum iudicium diſturbare conati eſſent, his vtitur verbis. Lucium Catilinam & Cn. Piſonem videtur ſignificare: Fuit autem Catilina Patricius, et eodem illo tempore erat reus repetundarum, cùm prouinciam Africam obtinuiſſet: & Conſulatus candidatum ſe oſtendiſſet. ſic ibi. Accuſatum porro Maniliū fuiſſe in Conſulatu Lepidi & Tulli, cum ex Dio-*

ne lib.xxxvi, tum ex eodem M. Tullio in eadem Corneliana perſpicitur. Nam paulo ante, petitum a ſe Prætore ſcribit, maxima contentione, vt cauſam Manilij defenderet; cuius iudicium Catilina diſturbare uoluerit. Prætorē porro fuiſſe M. Tullium illis Coſſ. hiſtoriæ omnes teſtantur: & hodie nemo aliter ſentit. Animaduerte etiam illud in verbis Pediani, Catilinam eo tempore reum fuiſſe: id quod etiam ſupra latius confirmauimus. At video, quid non nulli ſecum: maius adhuc mihi reſtare negotium: expectari enim, quo modo ad ea, quę idem Aſconius in orationē M. Tullij in toga candida, atque ipſemet Tullius pro Cælio, memoriæ, litteriſq; prodiderunt, reſpondeam. Illum enim ita ſcribere: Ante annum, quàm hæc dicerentur, Catilina cum rediſſet ex Africa, Torquato et Cotta Coſſ. accuſatus eſt repetundarum, a P. Clodio adoleſcente: Ciceronem vero ſic. Fuit adoleſcens mecum, Prętore me: nec nouit Catilinam: Africam tum Prætor ille tenebat. Conſtat vero M. Tullium Prætorem fuiſſe, Aemilio Lepido, Volcatio Tullo Coſſ. vt Catilina eo Prętore, in Africa & Romæ eſſe non potuerit. Hæc mihi vt vere dicā, negotij nibil exhibent: Ex verbis enim Aſconij, non Catilinam rediſſe Cotta & Torquato Coſſ. ſignificari, ſed repetundarum his Conſulibus accuſatum fuiſſe dicimus. Nam Lepido &

Ciceronis locus in oratione pro Cęlio illuſtratus.

Aſconii locus illuſtratus.

*Tullo, nomen Catilinæ delatum eſt; & , vt alia Iudiciorum impedimenta prætercam, tempus poſtulatum, vt mos erat, ad inquirendum: et in Africam forſitan itum & reditum: & in hiſce aliјsq; rebus, tantum temporis conſumptum, vt accuſatio in ſequentem annum reiecta fuerit. Nec grauius vrgent Cæliana. Satis enim conſtat, anni initium Proprætoribus, & Proconſulibus, non ab ineunte Ianuario, ſed ex eo die ſumi, quo illi prouinciam attigiſſent. Res eſt manifeſta in his ipſis epiſtolis, ex Ciceronis prouincia Cilicienſi. Fieri ergo potuit, vt aliquot, anni alterius, reliqui menſes, in Conſulatum Lepidi & Tulli ceciderint: & tamen eodem anno Catilina redierit, ad petitionẽ Conſulatus. Ergo vt omnia in pauca conferamus, non dubitamus Catilinam rediјſſe Romam, Lepido & Tullo Coſ. reumq; factum fuiſſe eodem anno, iudicium Afris poſtulantibus: cauſam vero dixiſſe, Cotta & Torquato Coſ. reis præterea inhibitum nequaquã fuiſſe, & quo minus vel conſulatum peterent, vel eorum ratio haberetur, ſi licere iudicatum fuiſſet: atque ob hanc rem, verbum illud* ſi iudicatum, *ad conſilium prætoris nullo modo pertinuiſſe, vt ex eo Cicero coniecturam facere debuerit, fore vt peteret, ſi eſſet abſolutus. Quare, vt eo reuertatur, vnde hæc declinauit oratio, cum ſenſus qui ex ſcriptura illa eruuntur,*

*tur, vtrique falſi ſint mea ſententia: nec vllus inde præterea, ſiquid video, commodus eliciatur: nõ arbitror dubitandum, quin ea parum ſincera integraq; ſit: eoq; magis, quod ſcripti libri,* licere *habent fere omnes. Difficilis eſt ratio veri inueniendi. verũ tamen Sebaſtianus Corradus, homo doctus, & de his ipſis epiſtolis optime meritus, ita emendauit,* ſi iudicatum erit haberi rationem licere, *eâ Ciceronis auctoritate inprimus adductus, quæ eſt in Bruto de Glaucia. In Prætura Conſul factus eſſet, ſi rationem haberi iudicatum eſſet. Hac lectione, ſi quis vel ſententiam ſpectet, vel dicendi rationem, nihil poteſt nec aptius nec ornatius eſſe. Nam cum & Catilinæ vitam ingeniumq; ſciret Cicero improbatum eſſe Senatui, & cupiditatem ſuſpectam, videbat, etiam ſi repetundarum iudicio abſolutus eſſet, non facilem tamen ei futuram petitionem. Poſſit aliquis tamen, qua de ſcriptura, emendationem fortaſſe verecundiorem deſiderare: quæ tamen curioſius, & litterarum numerum & ſonum attendenti, & morem in ſcribendo, quem ſecuta eſt poſterior ætas, non valde abhorrere videbitur a vulgata. Verum tamen, ſi cui minus ſatisfaceret, ſuccurrebat & illa ratio, vt* Meridie *aboleremus, Velut adulterinum, & huc eorum opera intruſum, qui* lucere *in ſuo exemplari habuerint. Hi enim ver-*

*ba illa*, ſi iudicatum erit non lucere, *cum inchoatam ſententiam habere viderent, iudiciumq; ex eis facerent, Catilinam a Cicerone ſignificari, competitorem nullo modo fore; ad illud argumentationis genus animo cucurrerũt, quod ſupra* ἐπαγωγὴν εἰς τὸ ἀδύνατον *diximus a Græcis vocari: quóque plena eſſet ſententia* Meridie *addiderunt. Ergo extrito* Meridie, ſi iudicatum erit non licere *forſitan legi poſſit.* Liquere *minus placet, vel quòd in ſcriptis nullis inuenitur, vel quia non ſatis erat, ſi amplius a conſilio pronuntiatum fuiſſet, cũ Senatus iudiciũ expectaretur. Verũ eorũ mihi dubitationi reſpondendũ eſt, quibus hæc noſtra ſcriptura multo quàm vulgata obſcurior, & ſecum ipſa pugnans videatur: ita putantium. Quî competitor futurus eſt Catilina, ſi iudicatum erit non licere? Nodus facile ſoluitur, ſi tempora diſtinguantur. Neque enim Cicero Catilinam ſignificat, proximo ſequenti anno, fore competitorem ſuum, ſi tamen eo ipſo ſequenti anno, iudicatum eſſet, non licere: Id enim eſſet diſiuncta maxime & contraria dicere: ſed ſecum petiturũ, ſi tunc ipſum atque eius anni, quo hæc ſcribebat comitijs, prohibitus eſſet petere. Quod vtrunq; accidit. Nam & prohibitus eſt hoc anno, aut certè ſponte abſtinuit a petitione, & proximo petijt. Atq; hoc Cicero eo aſſeuerantius affirmat, quòd*

*eum ſciebat facile abſolutū iri, qui, vt in ſequenti proxima epiſtola ſcribitur, iudices haberet quos vellet, ſumma accuſatoris volūtate. Nā, vt Aſconius ait, reiectio iudicū, ad arbitriū rei videbatur eſſe facta: & P. Clodius, is qui poſtea cū Cicerone inimicitias geſſit, quiq; eam ſibi accuſationē popoſcerat, pecunia accepta, præuaricatus eſt. Quare & ſuum competitorē ibidē vocare non dubitauit.*

De Aufidio & Palicano &c. *Puto M. Palicanum ſignificari, quē ab hinc anno tertio cōſulatus canddiatū, C. Piſo Conſul, negauit ſe, ſi creatus eſſet, renuntiaturū: ſe non exiſtimare, tantis tenebris obfuſam eſſe Remp. vt huc indignitatis veniretur. Quo ſane libere dicto, conſulatū ei eripuit. De hoc itē nunc Cicero, vt de turpi et ignominioſo homine, Non puto te (inquit) expectare dū ſcribam. Hiſtoria eſt apud Valerium Maximum.*

Curium obducere. *Manium Curium aleatorem: cuius facete dictum Quinctilianus refert his verbis lib. vi. Refutatio cū ſit in agendo, redarguendo, defendēdo, eleuando: ridicule negauit Manius Curius. Nam cum eius accuſator in Sipario omnibus locis, aut nudū eum, in neruo, aut ab amicis redemptum ex alea, pinxiſſet: ergo ego inquit, nunquā vici. Obducere Petrus Victorius in ſuis lectionibus uarijs, ita exponit, ut dicat, hoc loco, bibere et abſorbere ſignificare: eo ſenſu ſcilicet, quo di-*

*cimus bibere pro ferre, quanuis ægre: translate ſcilicet a medicatis potionibus, quas cum ſtomacho quidem, ſed quo minus nauſeę faciant, vno hauſtu abſorbemus: vt ſenſus hic ſit, Poſtquam Thermus & Silanus, adeo et ab amicis & ab exiſtimatione inopes, conſulatum petunt, iam non eſſe* ἀδύνατον, *Curium aleatorem, ſi eo forte aſpiret, æquo animo ferre. Quod vero obducere, id valeat, idem auctoritate illa ex v. Tuſculana confirmat. Qui cum coniectus in carcerem triginta iuſſu Tyrannorũ, venenũ vt ſitiens, obduxiſſet &c. Item ex libro xvi, infra, epiſt. xiiij. Igitur ad ſicã. ibi tanquam domi meæ ſcilicet. Itaque obduxi poſterum diem. Quo ſenſu, & illud ab Horatio dicatur, Ducere pocula Lesbij. Hæc adſcribere volui, ſicui forte libri illius copia non ſit. Nec mei iudicij eſt, utra melior, hęc ne an illa Manutij, decernere.*

Informata cogitatio. *Hęc eſt inquit, vel mea vel hominum, de tota candidatorum ratione opinio atque animi indicium: imperfectum ſcilicet, & quod adhuc coniectura prouideri poſſit.*

Cetera ſpero prolixa eſſe. *Vide quo progreſſa imperitorum audacia ſit: quæ ne a manifeſte quidem bonis, manus abſtinuerit. Nam in vno meorum,* Prolixa fore *ſcripſerunt, non intelligentes, cum verbis, futuri temporis vim haben-*

*tibus, qualia ſunt ſpero, Confido (futurorum enim ſpes eſt, atque fiducia) infinitum præſentis temporis, fere iungi. Sic quarta Epiſtola huius libri. Confido ita eſſe omnia, vt & oportet & volumus. Quod accidit etiam in his, quæ tempus præteritũ ſignificant. Vt, Memini videre, Memini dicere. Neque tamen reprehendo dicendi ratioñe, quæ & ipſa bona eſt, ſed hominũ imperitiã, qui omnia ad ſuum ſenſum trahere conantur. Nam alias idẽ infra Epiſtola viij, Magnopere confido (inquit) illum fore in officio, et in poteſtate noſtra. Prolixa autem hoc loco, ſecũda, & vt volumus cadẽtia et* εὔροιαν τῶν πραγμάτων *ſignificare putamus. Perſpicuũ fit maxime ex loco quodam ex oratione Catonis, a Gellio lib vij. cap. iij. adducto. Is talis eſt.* Gellii locus.
*Scio ſolere pleriſque hominibus, in rebus ſecundis atque prolixis atque proſperis, animum excellentem, atque ſuperbiã atq; ferociã augere & creſcere. Illud* ἐν παρέργῳ, *in eodem cap. locũ illum inquinatũ eſſe, vbi de legatis Rhodienſium agitur: qui Romam miſſi, vt temeritatem quorundam popularium ſuorum deprecarentur, & fidem conſiliumq; publicum expurgarent: Sic enim habet. Legati, poſt quam Romam venerunt, & in Senatum intromiſſi ſunt, verbiſq; ſuppliciter pro cauſa facti s, ſecuri acceſſerunt; ſententiæ rogari cœptæ. Lege, è curia ceſſerunt. nec pluribus verbis opus*

*eſſe reor, ad hoc probandum.*

Quas eum dolo malo. *Ego ſic expono. P. Varius, cum æs alienum plurimum haberet, illudq́; diſſoluere nollet: fratri Caninio ſua bona vendidit, in quæ, veluti prędia, ceſſante illo in ſolutione, reditum creditores ante habere poſſent. Ii ergo, qui venditionem illam ſimulatam eſſe, & ad ſe fraudandos, hoc eſt, dolo malo factam, intelligerent: nihilo minus bona ipſa perſequebantur, agereq́; cum Caninio quaſi cum iniuſto poſſeſſore cœperunt. Et quamuis mancipio accipere ſit ea lege emere, vt venditor periculum præſtet: cui contrarium eſt, ſuo periculo emere: tamen hoc loco, Emere tantum, ſignificat: nulla eius ſolemnitatis habita ratione. Quid enim Vario profuiſſet, ad fallendos creditores, ſi Satyro cauiſſet? Nam Satyro nihil loci fuiſſet ad tergiuerſandum, cui prędæ cautum fuiſſet.*

Gellii locus.

Demonſtraui hæc Cæcilio. *Hic vitij nihil eſt: Sed quoniam feſtiuum ac ſalutare, hac ipſa de re, traditur a Q. Cicerone pręceptũ, in libro de petitione conſulatus, non grauabor illud adſcribere: eoq́; libentius, quòd ex eo cognoſci poteſt, iuſtiorem negandi cauſſam Ciceroni fuiſſe. Illud tale eſt. Illud difficilius & magis ad tempus,*

*quàm ad naturam accomodatum tuam: quod facere non poſſis, vt id iucunde neges. quorum alterum eſt boni viri, alterum boni petitoris. Nam cum id petitur, quod honeſte, aut ſine detrimento noſtro promittere non poſſumus; quo modo ſi quis roget vt contra amicum, aliquam cauſſam recipiamus: belle negandum eſt: vt oſtendas neceſſitudinem: demonſtres quàm moleſte feras: alijs te id rebus exſarcturum eſſe perſuadeas. Audiui hoc dicere quendam, de quibuſdam oratoribus, ad quos cauſſam ſuam detuliſſet: gratiorem ſibi fuiſſe orationem eius, qui negaſſet, quàm illius, qui recepiſſet. Sic homines fronte & oratione magis, quàm ipſo beneficio req́; capiuntur.*

L. Iulio Cęſare. *Hanc epiſtolæ partem, etſi ea non nullis clauſulæ conuenire viſa eſt, nos tamen in fronte ſequentis collocamus: ad ea, quæ ſupra attulimus, hoc etiam argumento perſuaſi; ne videlicet Cicero, prenſandi oportuniſſimum tempus, cuiuſmodi erat comitijs, omiſiſſe videretur, præſertim prenſante Galba: et ſi alios audiamus, etiam Antonio & Cornificio. Omiſiſſet autem, ſi hæc epiſtola, poſt comitia conſularia data eſſet. Recordari enim debemus, quæ ille ſupra ſcripſerit, prenſandi initium ſe factu-*

*rum, eo ipſo tempore, quo puer Attici, cum his litteris diſcederet. Quòd ſi deſignatis iam conſulibus, profectus eſt, videbitur Cicero non ſatis diligenter, candidatorio munere functus fuiſſe; qui tempore illo ceſſauerit, quod eſſet maxime idoneum: quodq́; competitores obijſſent. Hæc ratio apud me plurimum valet: & vero debet valere. Adde quòd nec veriſimile eſt, nullam in his deſignatorum Tribunorum pl. mentionem factam fuiſſe. Quamobrem, maneo in illo, vt putem hanc epiſtolam, ante omnia comitia, & ſcriptam vna opera & datam. nec temere feciſſe, vt mea fert opinio, videri poſſumus, qui finem huius epiſtolæ abſcindamus a reliqua, & ſequenti attribuamus: eoq́; magis, quòd hæ duæ epiſtolæ, in nullis neque impreßis paulo antiquioribus, neq; ſcriptis libris, ſeiunctæ inueniuntur: vt diſtinctionem fecerit, hominum coniectura. Itaque etiam videmus, aliter ab alijs eſſe diſtinctas. Corradi quidem diſtinctio, a nobis facit. Et ſane potuit Cicero, ſuſcepti filioli gaudio euectus, hinc initium facere: id Attico quoque, auditu iucundiſſimum fore non dubitans.*

## *IN EPIST. II.*

Humaniter feremus. *Aequo animo, humane.*

*Cariſius lib. primo. Dixerũt veter, Nauiter et Duriter. et humaniter: quæ nos Naue, Dure, Humane: Sed humaniter quidẽ, ſignificat* φιλανθρώπως: *Humane autem* ἀνθρωπίνως. *Diomedes cum idem tradat, niſi quod* φιλανθρώπως *humanitus interpretatur: addit tamen ex Terentio duo hæc teſtimonia. Tamen vix humane patitur. Item, Cœpit, non humanitus, neque vt animum ægrotum decuit, adoleſcentulum tractare. Vt intelligamus, Humanitus & Humaniter, idem valere, vnamq; vtriuſq; aduerbij vim eſſe non nunquam.*

Aduerſarios honori noſtro fore. *An quia in ſuadenda lege Manilia eos offenderat? Neque enim dubitari poteſt, quin inter nobiles, atq; adeo primi Lucullus & Craſſus fuerint: quorum ille Ciceronis opera, confecti belli Mithridatici gloria priuatus eſſet: hic omnibus litteris in Pompeiana perſtrictus: an, vt Salluſtius ait, quia pleraq; nobilitas, inuidia æſtuabat, & quaſi pollui conſulatum credebat, ſi eam, quamuis egregius nouus homo adeptus foret?*

Auiam tuam ſcito &c. *Videtur initium alterius epiſtolæ, cum de Attici aduentu ad menſem Ianuarium ita in hac ſcribat, vt de eo videatur dubitare: qui tamen proxime, quaſi de re certa, Quare (inquit) Ianuario ineunte, vt conſtituiſti, cura vt Romæ ſis. Et eadem ratione, præ-*

*ponenda etiam videtur.*

Eius rei conſolationem &c. *Cuius nã rei? an mortis auiæ illius? At mors, quam rectè quidem Res appellatur, neſcio: An timoris, quia verita ſit, ne latinæ in officio non manerent? Atqui abſurdum eſt, ad eum conſolationem timoris illius mittere, ad quem timor non pertineret. Quid enim vereretur Atticus? Ergo dicendum eſt aut toto hoc loco iocari Ciceronem, in religionem aniculæ: aut ſi ſeriò loquitur, locum eſſe corruptum.* Conflationem, *quod quidam ſubſtituunt, ſane fero magis quam probo: quòd illud, quod per pronomen* eius *ſignificatur, ab legentis intelligentia nimium abeſt longe. Quid enim per conflationem innuatur? Prior'ne Catilinæ cum Cn. Piſone & Autronio coniuratio? At ea facta eſt M' Lepido, & L. Tullo Coſſ. anno ante, quàm hæc epiſtola ſcripta eſt. Poſterior'ne fortaſſe? At ea videtur facta paulo ante comitia, quibus Cicero Conſul. declaratus eſt: L. Iulio Cæſare, C. Marcio Figulo Coſſ. hæ verò litteræ ante menſem Ianuarium Cotta & Torquato Coſſ. datæ ſunt. Interea nihil accidit nouæ rei, quod aniculæ metum incuteret, ſi latinæ non conciperentur. Quare leuius fortaſſe incommodũ fuerit,* Eius rei, *ad Auiæ mortem cum ioco tamen referre: cum præſertim Res, vt Iuriſconſultis*

*placet,non minus incorporea omnia,& a viſu remota,quàm corporea & ſpectabilia ſignificet: & propterea a Philoſophis inter eas voces ponatur, quas illi tranſcendentes appellant, quòd de rebus omnibus,licet* ὁμωνύμως *dicantur.*

Quibus de ſuſpicionibus, *Propter quas ſuſpiciones, animo abalienato ſit &c. Sic paulo poſt. Quòd is me accuſare de te ſolebat.vt monentem cauſſam ſignificet.quãquam is quidem locus, commodius legi poſſe videtur, hunc in modum.* Quod is,qui me accuſare &c. *Nam vt ſiſtatur in* Solebat *non inepte, ſequentium tamen initium,ſine coniunctione,non placet.*

## IN EPIST. III.

Et eſt & fuit parata. *Vetuſti libri omnes, Parata & eſt & fuit.*

De C. Macro tranſegimus. *Hiſtoria, quæ hic a Paullo ex Valerio adducitur videndum eſt, ne quem fallat. Diſſentit enim ab his, quæ hic a Cicerone traduntur: cum ille de Macro pronuntiatum neget, Cicero affirmet. Perſpicua enim illa ſunt. Multo maiorem fructum, ex populi exiſtimatione illo damnato cepimus, quàm ex ipſius, ſi abſolutus eſſet, gratia cepiſſemus. Itaque Plutarcho aſſentior, Macrum tradenti, Craſſi potentia fretum, cum adhuc iudices irent in conſiliũ,*

*ſuffragiaq; ferrent, veniſſe domum; ibiq; quaſi viciſſet, caput totondiſſe, puramq; togam ſumpſiſſe: Et, cum in forum ita ornatus rediret, deq; Craſſo didiciſſet, omnium ſe iudicum ſententijs fuiſſe damnatum; reuerſum in lectumq; decumbentem, eſſe mortuum. Quo genere mortis, ſilet: & fieri poteſt, vt eo, quo ſcribitur a Valerio: quod etiam cauſa fuerit, vt exiſtimauerit illum, morte iudicium præuertiſſe, atque ideo damnatum non fuiſſe: quòd niſi mercede aliqua propoſita, tam turpe fatum ſane ſubiturus non videretur. Actiones enim legum effugiebant. De qua re ita Fabius*

*Præterea, cum quis rationem mortis in Senatu reddidit, vbi vna quæſtio eſt iuris: an is demum prohibendus ſit, qui mori vult, vt ſe legum actionibus ſubtrahat.*

## IN EPIST. IIII.

NON mihi graue duxi &c. *Fuerat Attico cum Acutilio negotij neſcio quid, de quo vti cum illo ageret, Ciceroni mandauerat. Et quoniam queſtus fuerat, nihil ſibi ea de re, ſcriptum ab eo fuiſſe: ei Cicero reſpondet; & rem ſe confeciſſe, cum primum Romam perueniſſet: nec ſcribendi officium, vitandi laboris cauſa, ſed alia quadam ratione omiſiſſe. Neque enim ſibi fuiſſe graue futurum, de Acutilij negotio ad ipſum ſcri-*

*bere, cum hominem audire, quod erat ſubodioſum, leue putaſſet. Atq; hæc mihi loci huius ſententia videtur: quam ſi alijs probo, illud etiam probem neceſſe eſt,* Duxiſſem, *non* Duxi *legendum eſſe: quam ſcripturam video alijs quoq; placere. Neq; enim ſcripſit: illa autem,* Non mihi graue duxi ſcribere, *valent ſcripſi. Poſſint fortaſſe ſenſum illum habere. Si malui Peduceum ad te ſcribere quam me, non graue duxi mihi: hoc eſt, non ideo feci, quia graue duxerim ſcribere. Sed dicendi ratio durior eſt, præſertim cum ſubiunxerit, Cum eas audire leue putaſſem, putarim potius dicturus, ne cum modis, tempora quoq; confunderet. Illa autem ſuperiora, in hoc eodem Acutiliano negotio: ſed accidit, vt contentione nihil opus eſſet: non minus obſcura ſunt: quæ tamen hoc dicere videntur. Sed accidit vt vana & inanis eſſet noſtra contentio, & nihil proficeret; vt ea opus non fuerit. Nam ſi ita interpretemur, ſed accidit vt res ipſa nullam difficultatem haberet; quę ſequuntur, cum his pugnabunt, in quibus Cicero Attici iudicium & contentionem vſque adeo improbat, vt ne ad illum quidem ſcribere ea de re, & quid ſentiret, uoluerit. Aegre enim ferebat, rem Acutilij tanti fieri ab illo, vt laboraret. Illud addam etiam: non in cunctis ſcriptis libris,* Duxi ſcribere, *ſed in plerifq;,* Duxi

reſcribere, *inueniri. quæ ſyllaba, tam & ſi, cum illa quam agglutinari volumus, nullam ſimilitudinem habet: tamen eſt non nihil, ſcripturam diſſentire: minusq́; videtur eſſe, mutare aliquid, quàm addere.*

In qua dicitur eſſe puella. *Quidam hunc Tadium exiſtimant, ab herede aliquid emiſſe, quod poſtea inuentum ſit, non ad eum qui vendidiſſet, ſed ad puellam, quæ eſſet in tutela legitima pertinere. De qua re, ita nos diſputamus. Si emit ab herede, ergo puellæ coherede: atqui coheredem habere puella non potuit, patre inteſtato mortuo, niſi fortaſſe fratrem. A fratre igitur emit, qui illud emit. Tunc addimus. vel diuiſa hereditate inter eos, vel ſolida adhuc, integraque manente. Si prius dicamus, nihil igitur de puellæ patrimonio detractum eſt, vt ea controuerſia naſceretur. Sin poſterius: error nullo negotio emendari potuit, in hereditate diuidenda. quæ ſi diuidi non potuit, non magis ad puellam, quæ a Tadio erepta ſunt, quàm ad fratrem pertineant. Nos ergo Tadium credimus puellæ agnatum fuiſſe, & propter agnationem, etiam tutorem: & e bonis ipſius aliquid perſecutum: quod occupatum ab aliquo, tam diu poſſeſſum fuerit, vt vſurpatum Atticus arbitraretur. Et quia il-*

lud, quidquid denique fuit, ad puellam pertinebat, eratq; pars hereditatis ſuæ, iccirco hereditatem M. Tullius vocat, cum is, qui vindicaret, heres tamen non eſſet. Negabat porro Tadius id ſibi fraudi eſſe oportere: propterea quòd puella eſſet in tutela: ſic fortaſſe lege iubente: vt bonorum, quæ manente tutela, occupata eſſent, perpetua vel pupillo vel heredi ipſius eſſet auctoritas: nec ſecus quàm furto ablata, nullo unquam tempore uſucaperentur. Atque hæc una eſt ratio, qua tolli, ſi qua tamen eſt, in his verbis repugnantia poſſit: niſi forte Deceſsiſſe, pro Dicitur eſſe, malumus, quod placuit non nullis: veterisne cuiuſpiam libri auctoritatem, an coniecturam ſecutis, non habeo dicere. Certe uerba ſunt huiuſmodi, ut ſi fidem minus faciant, eius lectionis, ſuſpicionem tamen iniјciant non leuem. Siquidem & hereditas uſucapta dicitur, cum cauſſæ nihil fuerit, quò minus pecuniam uſu captam, quod proprium erat & in promptu, aut bona, dici potuerit: & hereditas pecunia eſt, ad quempiam morte alicuius, iure perueniens. Cuius igitur morte niſi puellæ? Quo autem iure ad eum qui uſurparet peruenerit, quî ſcire poſſumus? Fortaſſe teſtamento puellæ ipſius.

*Et ſi enim ei, quæ in tutela eſſet mulier, interdictum eſſet legibus, ne quid ſine auctore tutore faceret, hoc tamen non ita ſeruatum eſt, quin neglectum fuerit aliquando: quemadmodum in Valeria intelligere poſſumus: quæ cum eſſet in tutela legitima L. Flacci, tamen ſine illo auctore, Androni Sextilio nupſit. Vnde factum eſt, vt illa mortua, Flaccus ita egerit rem illam, quaſi ad ipſum hereditas pertineret: contra adnitentente Androne, nuptiarum iure. Ita enim Cicero, pro ipſo Valerio Flacco. In manum inquit conuenerat; (de Valeria loquitur) Nunc audio. Sed quæro, vtrum vſu, an coemptione? Vſu non potuit; nihil enim poteſt de tutela legitima, ſine omnium tutorum auctoritate diminui. Coemptione? Omnibus igitur auctoribus, in quibus certe Flaccum fuiſſe non dices. Et aliquanto inferius. Doti inquit Valeria pecuniam omnem ſuam dixerat. Nihil iſtorum explicari poteſt, niſi oſtenderis illam, in tutela Flacci non fuiſſe: ſi fuit: quæcunque ſine hoc auctore eſt dicta dos, nulla eſt. Ex hoc loco intelligimus, & Valeriam in tutela legitima fuiſſe: & imprudente Valerio, aut certe non auctore, nupſiſſe. Qui locus; eo libentius a me laudatus eſt, quòd, ſi* Deceſsiſſet, *legamus, cuius tamen lectionis auctor non ſum: huic plane geminus ſit. ſin* Dicitur eſſe, *plurimum tamen*

Ciceronis loc⁹ in oratione pro Flacco illuſtratus.

*men videatur lucis allaturus. Sed quoniam obſcurior eſt, nec ab ijs qui eum hactenus attigerunt ſuis litteris, aut ſatis intellectus, aut certe illuſtratus; non puto me prolixioris orationis culpam ſuſcepturum, ſi de eo quid ſentiam, enuntiem. Ergo ſenſus hic videtur eſſe, idq; accidiſſe, L. Flaccus agnatus Valeriæ, quæ Androni nupſit, illa mortua, hereditatem adierat, ad ſe iure agnationis pertinentem: quam contra vir eius vindicabat, ſuam eſſe contendens; ſiue vſu Valeria in manum conueniſſet, ſiue coemptione. Nam, coemptione dicebatur dos, quod mutuis ſeſe fortunis quodammodo emerent: vt non modo corporum, ſed pecuniarum quoque inter vxorem & virum, communio quædam eſſet, & ſocietas: alterq; alteri, ſuus eſſet heres. Id quod ſolenni quadam mutuaque ſtipulatione fiebat: præſentibus, aut certe auctoribus, tutoribus, vt obſcurum eſſe non poſſet. In vſu vero, ius acquirebatur & mulieris, &, ſiquas haberet, etiam fortunarum, ſi annum videlicet vnum, ſed item auctoribus tutoribus, cum aliquo conſueuiſſet. ita vt non minus ipſa, quam res & pecunia vſucaperentur, & in manum conuenirent. Omnino, cum mulier in manum conueniſſet, omnia quæ mulieris fuerant, viri fiebant, vt Cicero in Topicis ait, dotis nomine. Negabat porro Flaccus,*

quidquam illi deberi; quod nec coemptione doſ dici, nec vſu, vſucapi quidquam potuiſſet: propterea quod, de tutela legitima, in qua mulier nupta fuiſset, ſine omnium tutorum, in quibus ipſe non poſtremas obtineret, auctoritate, nihil diminui poſſet: debere illum oſtendere, vel tutorum omnium auctoritatem interceſſiſſe, vel inter tutores ipſum non fuiſſe. Quare, vt ad prima redeam, ſpecies potuit eſſe non abſimilis: vt hic Tadius hereditatem perſequatur iure agnationis, heres puellæ, cuius hic nomen ſiletur, vſucapionis: quo in genere, Tadius exceptione illa vtebatur, tutelæ legitimæ, de qua nihil minui poſſet, ſine omnium tutorum auctoritate: inter quos ipſe fuiſſet. Nam vt Vlpianus, in his Inſtitutionibus, quæ non ita pridem & repertæ & editæ ſunt, ſcribit; ſi plures ſunt tutores, omnes in omni re debent auctoritatem accommodare, præter eos, qui teſtamento dati ſunt: Nam ex his, vel vnius auctoritas ſufficit. Porro tutela legitima, vt hanc non alienam appendicem addamus, dicta eſt, cum non teſtamento dati tutores ſunt, quos ſæpe etiam alienos eſſe contingit: ſed ab inteſtato, heredis curam ſuſcipiunt: qui neceſſitudine illa aliqua, aut agnatione attingunt. Diſtant verò a iuſtis, eo fere diſcrimine quo heredes: nimirum perexiguo: propterea quòd legi-

*timus heres, eſſe aliquis poteſt, ut iuſtus non ſit: iuſtus eſſe quin ſit legitimus non poteſt. Eſt enim iuſtus heres plano iure, omniq; ratione heres. Itaque ſi quiſpiam, vt ille inquit, ante diem patrios inquirens in annos, patrem inſidijs ſuſtulerit: is legitimus quidem heres fuerit, ſi ille inteſtato moriatur, iuſtus omnino non fuerit. Hoc verba illa oſtendunt Appuleij in* 11. *Apologia, ita ſcribentis. Sciebat inteſtati pueri, legitimum magis, quàm iuſtum heredem ſe futurum. De patruo loquitur, qui patris filio inſidiabatur, ut heres illi eſſet. Idem igitur de tutore legitimo & iuſto dicendum eſt: ut iuſtus is ſit, qui pleno iure tutor ſit: hoc eſt, teſtamento relictus; legitimus forte datus, & beneficio legis ut is etiam poſſit eſſe, quem mortuus minime uelit.*

Et te ſororemq; tuam. *Noſtri omnes.* Et te & ſororem tuam. *uulgata lectior.*

### IN EPIST. V.

In Arpinati prædio. *Noſtri ad unum omnes,* In Arpinatibus prædijs.

### IN EPIST. VI.

Qvod ille recuſarat. *Neceſſe eſt, pronomen*

illud relationis, vel ad Acutilium, vel ad procuratorem referri. Si ad Acutilium, deſiderari negatio videtur; vt ſenſus conſtet: Miratur (inquit) iſtam controuerſiam inter vos fuiſſe, propterea quod ille non recuſarat, quia tibi ſuo nomine ſatiſdaretur, Amplius abs te non peti. hoc eſt, Repromitteretur, vt Plautus ait in Aſina. iſthoc nomine, ſolutam rem futuram. ſin ad procuratorem; coniunctio Quæ aut Et. vt ſit: Et miratur iſtam controuerſiam inter vos fuiſſe: quodq; ille recuſarit, (ita enim puto melius) ſatiſdari. Quæ copulans particula, ſi cui minus neceſſaria videbitur, recuſarit tamen leget meo iudicio: obſeruabitq;, Miror, quod tu recuſes, loco τοῦ ὅτι διαβεβαιωτικῶς, pro, miror te recuſare, etiam a M. Tullio vſurpari, quamuis raro & parce. Eſt enim elocutio per Quod, vt Theodoro placet, magis ſupina: per infinitum erectior & vegetior. Poetis tamen frequentius adhibetur. Plautus Aſinaria. Equidem ſcio iam filius quod amet meus, Iſtanc meretricem e proximo Philenium. Frequentiſſime Græcis. Ariſtoteles lib. primo de arte dicendi: ἀληθὲς ἐστιν, ὅτι ἡ ῥητορικὴ σύγκειται μὲν ἔκτε τῆς ἀναλυτικῆς ἐπιστήμης, καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πολιτικῆς. ſed & idem Cicero infra lib. 10. Epiſt. Multas a te. Affirmabat cum ſcripſiſſet; quod me cuperet ad vr-

*bem venire. pro eo quod eſt, ſe cupere, me ad vrbem venire.*

Et me hercule vir optimus. *Mei omnes.* vir Me hercule optimus. *ſine copula.*

Mihi autem abiurare. Mi autem *in meis omnibus. Abiurare autem* ἐξομόσαι *eſt, hoc eſt, iureiurando aliquid inficiari.*

## IN EPIST. VIII.

ERIT hoc tibi pro illo tuo. *Legitur &* Mihi *non minus lepide. Scribens enim Atticus Ciceroni, illo principio vſus erat: Cum eſſem in Ceramico. Eum Cicero, caſu, vt credi poteſt, imitatus: ſuamq; epiſtolam ita auſpicatus, Cum eſſem in Tuſculano: id poſtea animaduertens, feſtiue, erit hoc mihi inquit pro illo tuo; hoc eſt, Erit hoc meum mihi eo loco, quo tibi tuum illud. In quo eſt grata oppoſitio mei & tui. Recte etiam.* Tibi *illo ſenſu. Erit hoc tibi, hoc eſt, reſtituetur reponeturq; tibi, pro illo tuo &c.*

Bibliothecam tuam. *Venalem ſcilicet, quā tibi pueri tui confecerunt, quæſtus cauſſa. Compluris enim Atticus librarios habuit, vnde fructum perciperet. Nepos in eius vita; Vſus eſt (inquit) familia ſi vtilitate iudicandum eſt, optima: ſi forma vix mediocri. Nam in ea erant pueri litteratiſſimi: anagnoſtæ optimi: & plurimi*

*librarij: vt ne pediſſequus quidem quiſquam eſſet, qui non utrunque horum pulchre facere poſſet.*

Multa ſigna ſunt eius rei: non minimumq; quod ſoror prægnans eſt. *E noſtris, præter unum Antonianum,* Rei *nullus habet: quo modo infra locutus eſt lib.* I I. *Ep.* X V I I I. *Atque hic ſtatus, qui una uoce omnium gemitur, nec uerbo cuiuſquam ſubleuatur,* σκοπὸς *eſt, ut ſuſpicor illis, qui timent ullam cuiuſquam largitionem relinquere.* Cuiuſquam *dixit, pro Cuiuſquam rei. Item lib.* X V I, *epiſt. Tu uerò ſapienter. Itaque non uideo ſciturũ me, quid eius ſit, niſi ſtatim aliquid litterarum. Sic Terent. Quicquid huius facit, cauſſa uirginis facit, pro huius rei. His addam, quod monuiſſe non oberit,* Prægnas, *ſi Probo credimus, ſcribendum eſſe. Is enim in ſuis catholicis ita ſcribit. Gnas, tertiæ ſunt declinationis: tis faciunt Genitiuo: ut prægnas, prægnatis. ubi in ſcriptura, mendum eſſe non potuit.*

## IN EPIST. IX.

NEQVE noſtra legatio. *Mihi dubium non eſt, quin, ut antea ſemper iudicaui, & poſt in uno exemplari Card. Maffei (tris enim eius uidi) ſcriptum inueni,* Allegatio *legendum ſit; ſiqui-*

*dem legatio, munus publicum eſt, a maiore poteſtate delatum (legati (inquit uarro) qui lecti publice: quorum opera conſilioq́; uteretur peregrè magiſtratus: quiue nuntij ſenatus atque Populi eſſent) Allegatio uerò, priuatum, a priuato aliquo. Nec fere alias inuenias apud ſcriptores. Nam hic idem noſter in Verrem act. prima. Petijt a me Rabonius, & amicos allegat, facile impetrat. Sed ille ex ſecunda Verrina locus, utriuſq; nominis differentiam, multo manifeſtiſſime docet. O Dij immortales, quanta iſte cupiditate, quibus allegationibus, illam ſibi legationem expugnauit. Huius loco Cicero nonnunquam, ſummittere dixit: ut in eundem Verrem, act. altera. Summittebat ille Timarchidem, qui moneret &c. Hinc Allegati, internuntij atque interpretes, nulla publica auctoritate, ſed priuati commodi cauſſa, à priuatis adhibiti & familiariter miſsi: quo modo ab Attico, Cicero ad Lucceium eſt allegatus, ut eius animum colligeret & reconciliaret ſibi. Mendum conflatum putamus ex eo, quòd cum in concurſu uocalium, in pronuntiando altera non rarò liqueſcat, ſcriptio non diſſimilis conſecuta fuerit.*

Nunc idem uideor diffidere. *Noſtri libri omnes.* Eidem, *æque bona ſententia, & uſitata dicendi ratione.*

Mirum, quam illius loci &c. Mire *fere legitur in antiquis libris, & vt rectum ſuſpicer,* Delectat *illud facit, indicandi modi: vbi ſi* Mirum *ſeruemus,* Delectet *ſit ſcribendum. Eſt autem, ſic,* Mire quam *dictum, vt ſane quam, Valde quam a Bruto uſurpatum, lib. epiſt. ad ipſum, epiſtola, Iam non ago. Ita enim ibi. Suos ualde quam paucos habet. Plautus in Capt. Nimis quam, illo carmine. Quod quidem ego nimis quam cupio ut impetret. quem ſecutus Fabius Quintil. Nimium quam dixit, libro* IIII. *cum quo pacto culpa leuanda & mitiganda ſit docet. Sententia igitur illa erit. Mire quam, id eſt, mirum in modum loci illius non modo uſus, ſed etiam cogitatio delectat.*

## IN EPIST. X.

Minore centeſimis. *Octo uel ſummum, nouem ex adiectiuis, notat Laurentius, quæ in precio ſignificando, ſi ſecum appellandi nomen habeant, in ſecundo caſu poni ſemper ſoleant: in quibus eſt Minoris. Et ſane ita fere Cicero loqui ſolet. Ad Marium enim. Nunc quoniam tuum precium noui, licitatorem potius apponam, quam illud minoris ueneat. Et ad hunc ipſum infra lib.* XIIII. *Quam ut quantum faciamus, prope dimidio minoris conſtabit iſto*

*loco. Quin hunc ipſum locum Ciceronis,in quo Cę cilij,etiam,in ſuos auaritia notatur, in ſuas epiſtolas transferens Anneius Seneca, Minoris centeſimis,dixit,non Minore.Itaque non nulli arbitrati ſunt,hunc quoque locum, ad reliquorum regulam eſſe reducendum, Minoriſq́; legendum. Nos inuenimus apud Flauium Soſipatrum, non ſolũ a vetuſtiſſimis Latinorum, verum etiam a Cicerone,plure et Minore emptum, quandoq; dictum fuiſſe. Locus eſt Inſtitut. Gramma. libro primo. Plure (inquit) & Minore emptum, antiqui dicebant.Cicero,Plure venit.Et Cæcilius.Plure feras (ſic enim puto rectius, non foras) vendunt: ſed conſuetudo, Pluris & Minoris dicit. Sed & libro ſecundo, ex Plauti Cæco aut Prædonibus, hæc adducit. Plure altero tanto, quanto eius fundus eſt,velim; ſic ibi,niſi* quanti *quis putet emendandum. Quare, vt ad* Minore *redeamus,prorſus nihil mutamus, præſertim conſentientibus in hoc exemplaribus,tum ſcriptis,tum excuſis.*

Locus Soſipatri in inſtitut. emendatus.

Σκέψεις καὶ ἀναβολαί. *Tergiuerſationes & moræ: ſed ſcribendum eſt,* σκῆψεις *vnde* σκήπτομαι, τὸ προφασίζομαι,*quod eſt,tergiuerſor,& cauſſas necto.Vtitur vtraq; voce ſimul Dio lib.xxxviij, de M.Bibulo ſcribens,legi agrariæ obſiſtente: cui cum nulla iam ratio differendi comitia reſtaret, pronuntiauerit per reliquos anni dies* ἱερομηνίαν.

BIBLIOTECA ... ROMA

ſic enim ſcribit. καὶ τέλος ἐπειδὴ μηκέτ' αὐτῷ μηδεμία ἄλλη σκῆψις ἀναβολῆς ὑπελείπετο &c. & poſt de Cn. Pompeio, M. Tullium, per ſimulationem fallēte. σκήψεις δέ τινας ἄλλοτε ἄλλας ποιούμενος. Demoſthenes κατὰ φιλίππου α΄, tergiuerſationes et ſimulationes huiuſmodi, εἰρωνείαν uocat, ita ſcribens. πᾶσαν ἀφεὶς τὴν εἰρωνείαν ἕτοιμος πράττειν ὑπάρξῃ. Porro σκέψεις, de re aliqua cogitationes animaduerſionesq́; ſunt, quæ conuenire huic loco, minime poſſunt. Neque tamen, hanc culpam Manutius ſuſtinet, qui in commentario ſuo σκήψεις excudendum curauerit:

Domi C. Cæſaris &c. Propterea quòd eſſet Pontifex Maximus. Plutarchus tamen in vita Ciceronis, ſcribit illum, quo die coniuratos deprehendit, vicini domum non ſuam veniſſe: quòd in eius ædibus mulieres ſacra Bonæ Deæ facerent: cum mos eſſet, vt in conſulis ædibus, hæc ſacra, per ipſius uel vxorem vel matrem, veſtalibus præſentibus fierent. Nec ab eo Dio diſſentit: quin hoc amplius, etiam apud Prætorem fieri conſueuiſſe ſcribit: Credo quòd quo anno a Clodio polluta ſunt, apud Cæſarem, qui tum Prætor eſſet, facta ſciret. Hæc eius ſunt verba, libro xxxvij.

Locus Dionis. illuſtratus.

ἅπερ αἱ ἀεὶ πάρθενοι, παράτε τοῖς ὑπάτοις, καὶ παρὰ τοῖς ϛρατηγοῖς ἀγνῶς τὰ ἐκ τῶν πατρίων ἐς πᾶν τὸ ἄῤῥεν ἐπετέλουν. Et veriſimile eſt apud

*Prætorem tum fieri fas fuiſſe, cum vel Conſules abeſſent; vel vxore matreq; carerent: uel aliqua cauſſa grauior obſtaret: quòd eius, ſecundum Conſules maxima eſſet poteſtas, eſſetq; in Imperio. Nam vt M. Tullius in oratione de reſponſis ait, illud ſacrificium fiebat pro populo Romano; in ea domo, quę eſſet in Imperio. Quod dictum Ciceronis, Plutarchi Dionisq; ſentẽtiam confirmat. Nec verò dubium eſt, Prætores Imperium habuiſſe, qui pręter prehenſionem, etiam vocationẽ haberent, lictorumq; & viatorum miniſterio non ſecus ac Dictator & Conſules, vteretur. Nam quibus prehendendi modo, ius fuit, cuiuſmodi Cenſores, Aediles, Tribuniq; plebis fuerunt, ij poteſtatem modo habere dicebantur, non etiam Imperium: viatoriſq; tantum opera vtebantur. Verum hæc Gellius ex Varrone pluribus eſt perſecutus. Quæ ſunt in eadem oratione, Clodium ambuſtum religioſiſſimis ignibus, ex inceſto ſtupro, atq; ex domo Pontificis Maximi emiſſum, ea probãt, apud Pontificem, tum factum pro populo: apud conſulem aut Prætorẽ fieri conſueuiſſe non negãt.*

Quod præterea ad te ſcribam, nõ habeo. *Conſtituere nondum potui, vtrum quod ſcribam non habeo, an quid ſcribam, ſit dicendum, ita & manuſcripti libri & impreſſi, ſecum & inter ſe pugnant. Nam hoc quidem loco Manutianus li-*

*ber, Quod, habet: mei antiqui, Quid. Contra, ille lib.iij.ep.x. Quid expectem iſtinc magis habeo, quam quid ipſe ſcribam: ij ad vnum omnes, Quod expectem: Quod ipſe. Et is quidem vnus exempli cauſſa adductus eſt locus, cum ſexcenta poſſint proferri. Id quod accidit etiam, cum hę particulæ ὑπαρκτικῶς verbo iunguntur. Etenim lib. v. Epi. iij, vbi in vulgatis: Nec vero nunc erat ſane quid ſcriberem: in libro Faërni, quod ſcriberem. Et vbi lib. vij. Epiſt. vi. Plane deeſt, quid ad ſcribam: Antonianus liber & Maffei: Quod ſcribam. Contra lib. xij, vbi Manutianus, Nec erat ſane quod ſcriberem, & ſomnus vrgebat: Faërni, Lolgij, Romanus, Antonianus: Quid: vnus Poggij, Quod. Quid ergo dicendum? ſane mihi diligentius ſcriptorum cōſuetudinem, preſertimq; M. Tullij attendenti, videtur, cum habendi verbo, Quid tutius iungi poſſe: cum ὑπαρκτικῶς, Quod. Vtriuſque exemplum, vno in loco, apud eundem M. Tullium inuenias, harum epiſtolarũ libro v. in ſcriptura cōſentientibus meis omnibus, tum impreſſis, tum manuſcriptis. Id vero eſt huiuſmodi. Plane deeſt quod ſcribam: nam nec quid mandem habeo, nihil enim prætermiſſum eſt; nec quid narrem. Et lib. xij. Etſi quid ſcriberem non habebam. Et lib. xiij. Itaque ipſe quid ſcriberem non habebam. Atque ita vſurpata inueniuntur,*

*& vt puto recte. Siquidem in Non eſt, aut Deeſt quod ſcribam, locum Quid habere non poteſt, propterea quod, Quid cum ſuo verbo, alterius verbi tranſitum ſolet excipere : vt ſcio quid dicas: Noui quid faciam : Habeo quid rogē : Expecto quid reſpondeat : quem tranſitum, Deeſt & Eſt ἀμετάβατα, non habent : illudq́; Quod ſcribam, a fronte heret ſuo verbo, ſicq́; reſolui poteſt : Sententia, argumentum'ue deeſt, aut non eſt, ſcribendi. Sin vero* Nihil *adhibeatur, omnino ei relatiuū Quod, reddi debet. Neq; enim arbitror quemquā eſſe, latinæ συντάξεως adeo imperitum, qui Nihil, Quid dicat, ignoret. Atq; hoc eo pertinet, quod ſcriptorū imperitia, in hoc quoq; nō raro lapſa eſt, proq́; relatiuo, nomen infinitum poſuit. Et ne ab his epiſtolis, editioneq́; Manutij recedamus, lib.x.Ep.iij. ſic legitur. Cum quid ſcriberem plane nihil haberem. Et lib.xiij. Hic enim nihil habeo, quid ſcribā. Quibus in locis, Quod, ſcribendum eſt, etiam ſi quædam exemplaria manuſcripta repugnent. Alibi certe Quod, legitur, vt lib.xv.epiſt.ix. Hoc autem tempore, quod ſcriberem nihil erat. Item ad Q. fratrem, lib.iij.epi.viij. Superiori epiſtolæ, quod reſpondeam nihil eſt. Quare, vt in pauca conferam. libentius mu to dixerim, Non eſt, aut Deeſt quod ſcribam : Non habeo quid ſcribam : et Nihil eſt, aut Nihil habeo quod ſcribam, quam*

*contrarium. Illa vero, Non habeo quod te accuſem: Non eſt quod metuas Glaucia; atque id genus, paulo diuerſa ſunt: dictumq́; ibi Quod, eſt, pro, In quo.*

IN EPIST. XI.

Anchoris ſolutis. *Noſtri omnes,* Anchora ſoluta, *& mox* Reſcribendum.

Niſi eam per lectionem. *Noſtri, tametſi noua & inaudita voce, miro tamen conſenſu,* Pellectionem *habent omnes. Quod quanuis non recipiam, monere tamen volo, R, nonnunquam ſequente L. etiam ſine compoſitione, aut in idem L. conuerſum, aut extritum, in libris antiquis inueniri. Et fortaſſe coniuncte,* Pellectione *emendari poſſit. Quid enim cauſſę eſt, quamobrem, vt a Lego, Pellego; ita a lectio Pellectio fiat? Plautus in Perſa. Tabellas tene has: pellege. Sentiunt etiam, niſi fallor, qui multum in lectione Ciceronis verſati ſunt, in,* Per lectionem *eſſe neſcio quid, quod minus Ciceronem redoleat.*

Quod mihi non eſt notum. *Etſi video deſiderari, in meis tamen, duo illa verba* Eſt notum, *non ſunt, Puto librariorum culpa, cum in editione Victoriana legantur.*

Nihil agens cum Rep. *Placet in* Rep. *vt eſt in meis aliquot, & editione Victorij.*

Ad uirgines & pontifices. *Sane cenſeo co-*

gitandum, virũ, veſtalium quoq; virginũ, polluta rum cæremoniarũ iudicium fuerit, an Pontificum tantum. Nam ab vno Poggij libro, et Maffei duobus, abeſt, Ad virgines. Et Plane veriſimile eſt, ad viros, non etiam ad mulieres, religionum vt ceterarum quoq; rerũ iudicia pertinuiſſe. Dionyſius quidem, cum Pontifices tradit, de omnibus cauſſis ad ſacra pertinentibus iudicaſſe, de virginibus nihil. Sed neq; Cicero, de Aruſpicũ reſponſis: dicturus ſine dubio, vt res ferebat, ſi iudicandi ius, apud eas quoque fuiſſet. Ita enim ibi. De ſacris publicis, de ludis maximis: de Deorũ Penatium, Veſtæq; matris cæremonijs; de illo ipſo ſacrificio, quod fit pro ſalute populi Romani: quod poſt Romã conditam, huius vnius caſti tutoris religionum, ſcelere violatũ eſt: quod tres Pontifices ſtatuiſſent, id ſemper populo R. ſemper Senatui, ſemper ipſis Dijs immortalibus, ſatis ſanctum, ſatis auguſtum, ſatis religioſum eſſe, viſum eſt.

Et de religione. Et abeſt a pleriſque meorũ: nec eſt neceſſarium. Emphaſis enim & uis, eſt in priori Et, inq; pronomine Ipſe Piſo (inquit) amicitia P. Clodij adductus, operã dat, vt rogatio de religione, quam ipſe feret, & fert ex S.C. antiquetur. Id enim eſt, quod ait proxima ſequenti epiſtola. Piſo autem Conſul lator rogationis, idem erat diſſuaſor.

Qui lycurgei a principio ſuiſſemus. *Plaut. in Bacchid. lydus ſer. Nam ita me Dij ament, vt lycurgus mihi quidam videtur poſſe hic ad nequitiam adducier.*

Cauſſa ſit. *Legitur &* ſint. *vt ad omnia verbum referatur, non ad vnam cauſſam. de qua, In hac cauſſa Piſo, &c. Nec puto laborandum, vtrum ſequamur.*

Mihi ἀτ[illegible]ικώτερα. *Veteres libri,* Mi.

## IN EPIST. XII.

L. Fuſius in concionem &c. *Prænomen abeſt a meis &* producit *legitur. Ad hæc* Fuſius *in pleriſque hacq́: ſcriptura & marmorum capitolinorum, & Dionis teſtimonio confirmatur. qui lib. xxxviij,* κοίντος δὲ δὴ φούφιος *(inquit)* καλῆνος, νομοθετήσας *&c. Exiſtimamus autem hunc eſſe Q. Fuſium Calenum, perpetuum Ciceronis hoſtem.*

Eo ipſo loco ipſo die. *Faërni liber, Antonianus, Poggij, Maffei,* illo die.

Ab Senatu conſtitutum. *Fuit, cum abundare hoc totum exiſtimauerim vt hiſtoriæ repugnans. Neque enim id fuerat ab Senatu conſtitutum, vt Pretoris conſilium, Clodij cauſſam cognoſceret, ſed vt populus. Verumtamen, retineri poſſe animaduerto, quod ſententiam illam habere poſſit.*

*ſit. Non erat cur Fuſius de Pompeio quæreret, placeretne ei iudices a Prętore legi: quando id, nimirum de Clodiana religione, quod eſſet faciendum, iam eſſet ab Senatu conſtitutum. Sępe enim relationis pronomen, non tam dicta quàm dicenda refert, & quaſi præuertit.*

Proximus, Pompeio ſedebam. *Diomedes Grammaticus de Prope præpoſitione loquens: Prope (inquit) me: & ut dicit Cicero in Piſonem: Proxime Pmpeium ſedebam. Sed & Datiuo caſui. Idem Cicero ad Atticum, Propius Grãmatico acceſſi. Sic ille. Quę quam ſint corrupta, vel ex hoc intelligi poteſt, quod quæ ex Epiſtolis ad Atticum citantur, ea in his minime inueniantur. Locum opinor ita corrigi poſſe. Sed & Datiuo caſu, idem dixit ad Atticum, nempe Proxime aut Proximus Pompeio ſedebam: vt hic locus ſignificetur, eiusq; ſententia hæc ſit:* Proxime *& accuſandi caſui, & dandi iungi poſſe. Exiſtimandum verò, quę ex oratione in Piſonem adducuntur, in ea parte fuiſſe eius orationis, quę malo fato perijt. Nam in ea quæ ſupereſt, certe non ſunt.*

Diomedis locus emẽdatus.

## *IN EPIST. XII. LIB. I.*

Quomodo ἀνεπιγεπειρασάμην. *Ego* ἐνεπιγεπιγευσάμην. *a verbo* πιγπιγεύομαι, *quod Heſych. præter alia, etiã, Me oſtento, interpretatur.*

D

*Vſus eſt hoc verbo Diuus Paullus ad Corinth. cum ſic ſcripſit, ἡ ἀγάπη ὀυ περπερέυεται: quan quam noſter interpres, Agit perperam vertit: quem ego non reprehendo, nam hanc quoque illi ſignificationem, idem Heſych. tribuit: ſed dico hoc in loco, Me vendito iactoq; valere: quod ne a ſenſu quidem Apoſtoli, alienum eſt. Verbum arbitror eius ætatis fuiſſe, cum iam Atticus ſermo, a germano illo ſuo candore magnopere deſciuiſſet, & longius peregrinatus, prope degeneraſſet. Nec valde aberruerit fortaſſe, ſi quis à latino Perperam, factum dicat. cuiuſmodi non pauca & apud Plutarchum & poſterioris ætatis rerum ſcriptores, inuenire licet.*

## *IN EPIST. X. LIB. I.*

Vſque iſtinc exauditos putem. *Quidam* vſque iſtuc *vel,* iſtuc vſque hinc: *iudicium ſecuti ſcilicet. in nullis enim, aliter atque in vulgatis eſt, ſcriptum reperi. Et videntur illi hac maxime ratione adducti, quod hæc vt quidem iacent, non eam ſententiam videantur continere, quam locus poſtulat: nempe ſonitus, vel, vt alij, clamores,* Roma *vſque in Epirum exauditos; ſed contra, ex* Epiro Romam. *Iſtinc enim,*

*e loco iſto motum ſignificat: quod hic minime conuenit. Nam infra libro iij. Eoq; ad te minus multa ſcribo, quòd & mærore impedior, & quid expectem iſtinc magis habeo, quàm quid ipſe ſcribam. Et lib. vij. De malis noſtris tu prius audis, quàm nos: iſtinc enim emanant: boni autem hinc quid expectes, nihil eſt. Nos tamen, cum ſimilem dicendi rationem, apud Plautum, Curculione inuenerimus, hanc ſuſpicione ſcripturam liberamus. ſic enim ille ibi. Hinc auſcultemus quid agat, quod eſt, Ex hoc loco, ſiue in hoc loco excipiamus &c. Ille autem locus apud eundem, in Truculento. Næ iſta ſtimulum longum habet: quæ vſque iſtinc cor pupugit meum. Item alter in Penulo. Illinc procul nos iſtuc inſpectabimus: ſane pariles non ſunt: cum ille, actionem manifeſtam ſignificet, hic ex hominum ſaltem opinione; quod in audiendo non accidit. Sed, cum* Hinc audio te, *auctores latinæ linguæ probatiſſimi dixerint: dicendum eſt, ſenſum ipſum audiendi, in re ſonoque percipiendo, non uideri pati tantummodo, ſed quodam modo etiam agere: & ad voces ſonoſq; propemodum ſe conuertere, atque monere.*

Nil conſtantius, nil ſeuerius. *Pleriq;, immo verò oés ſcripti libri, neq; hoc loco tantũ, ſed fere*

*etiam vbicunque in Manutiana editione* Nil *impreſſum eſt,* Nihil *habent mei. Et puto rectius.*

Quod ego non ſperabam. *Veteres libri,* Quod non ſperabam, *extrito* Ego *pronomine.*

Num ad priuata redeam. *Placet vt eſt in meis omnibus.* Nunc ut ad priuata redeam. *Etenim vulgata, pendere ab illo videtur, Quid quæris? cum tamen ad alia, hoc eſt ad priuata, tranſitus fiat.*

## IN EPIST. XIIII.

Contraxi uela. *ſic Horatius. Contrahes vento nimium ſecundo Turgida vela.*

Fuſius Tribunus pl. *Exemplar Ant. & aliquot alia, & hic & alibi, vt diximus, vbi huius fit mentio,* Fuſius *habent.*

In infamiæ relinqui ſordibus. *Sententia bona & elegans: ſatius fuiſſe, vt perpetuo ſordidatus ac reus eſſet infamiæ, hoc eſt, ignominioſus, (res enim erat peruulgata) etiam ſine vllo populi aut Prętoris iudicio, quam vt iudicibus tam infirmis cõmitteretur: ſiquidem in infamia plus penæ eſt, quàm in morte: conſenſus tamen librorũ; qui* In infamia & ſordibus *ad vnũ habent, facit vt hanc ſcripturam præferam illi: ſordesq; inter-*

*preter, non ſtatum illum hominum dum ſunt inter reos, ſed propter vitæ ſpurcitias, contemptionem quandam.*

Tribuni non tam æratij, quam ut appellantur, ærati. *In manuſcriptis omnibus, & item impreſſis,* Tribuni non tam ærati, quam vt appellantur ærarij. *Et quis ſcit, an recte? Nam neque* Aerati *nomen, abducere à ſua ſignificatione cogimur, proq; pecunioſo ac diuite, (hoc enim valet æratus) ære alieno obſtrictum, atq; inopem, interpretari. Plautus in Moſtel. Ferocem facis, quia te æratus amat: & Tribuni ærarij, non ærati vocati ſunt: & denique vrbanitati noſtri huius in primis conuenit. Cum enim iudicum turpitudinem ægeſtatemq; ſignificare vellet: tales eos fuiſſe dicit, quales erant Cenſoria ſeueritate notati: de quibus, his verbis in Diuinationem Aſconius. Regendis moribus ciuitatis, Cenſores, quincto quoq; anno creari ſolebant: vt qui Senator eſſet, eijceretur Senatu: qui Eques R. equum publicum perderet: qui plebeius, in Cæritum tabulas referretur, & ærarius fieret: ac per hoc, non eſſet in albo centuriæ ſuæ: ſed in hoc eſſet ciuis tantum, vt pro capite ſuo tributi nomine, æra præberet. Ergo referendo ſingula ſingulis: in eo iudicum conſeſſu, maculoſos ſenatores dicit fuiſſe: non quidem Senatu motos: nam & iudicandi munere, ſimul*

*priuati fuiſſent: ſed propter vitæ turpitudinem, hominum infamia, quaſi cenſoria ignominia notatos: nudos Equites, & malis domeſticis impeditos, quaſi equo & dignitate ſpoliatos: Tribunos ærarios, non tam æratos, cuiuſmodi ad tribunatum ex plebe admitti ſolerent, qui & iudicaturi eſſent, & ſtipendia militibus ſoluturi: quàm ærarios, vt appellantur, hoc eſt, in Cæritum tabulas relatos, & ex albo ſuæ centuriæ eraſos: ludens, licet cum ſtomacho, in multiplici ærarij ſignificatione. Atque ego ſic, non tam quia me valde ſententia hęc delectet, quàm vt ſcripturam conſeruem, quæ ſine exceptione, in manuſcriptis omnibus inuenitur. Nec me latet, Aeratum, ære quoque tectum, quaſiq; armatum ſignificare: ſed a ſuo ſenſu, non ſane longe. Virg. Aen. ij. Poſteſq; a cardine vellit Aeratos. Varro de ling. lat. lib. iiij. Deinde porta Rauduſcula; quod ærata fuit. pro, ære alieno obſtricto, legere non memini: nec tamen nego inueniri.*

Ex Nanneianis, illum laudatorē meum. *Conſentiunt omnes libri veteres*, illumq; *iteratum habent: hoc modo:* illum, illum laudatorem meum Accerſiuit ad ſe. *Manuſcripti omnes* Arceſsiuit.

Adoleſcentulorum nobilium introdu-

ctiones. *Equidem malim* Perductiones, *vel* Productiones. *Erant enim productiones, turpiſſima illa munera lenonũ, producendorũ ſcortorũ: atq; ij productores, aut perductores dicebantur. Idē in verr. act. prima. De nocturnis eius Bacchanalibus & vigilijs lenonum, aleatorum, perductorum, nulla mentio fiat. Vbi Aſconius. Lenones ſunt (inquit) ſcortorum: perductores, etiam inuitarum perſonarum, & in quibus ſtupra exercita vindicantur. Nec dubium eſt, quin ſtupra adoleſcentium nobilium, niſi ſe lenoni locauiſſent, lege vindicarentur. M. Cato. Niſi qui palàm corpore pecuniam quæreret, aut ſe lenoni locauiſſet, & ſi famoſus & ſuſpicioſus fuiſſet, vim in corpus liberum, non æquum eſſe cenſuere afferri. Hi græcis* προαγωγοί *&* προαγωγεῖς *dicebantur, a verbo* προάγειν, *quod noſtris eſt proſtituo & produco. quo ſenſu, vt quidam putant, Plautus in Aſinaria: Audientem dicto mater produxiſti filiam: ſed mihi eo loco, genuiſti ſignificare videtur. Verumtamen, quando* Introductiones *legitur in omnibus libris, auctor non ſum, vt ab ea ſcriptura recedatur; præſertim cum vox huiuſmodi ſit, qua non ſolum domum perductos adoleſcentes, ſed etiam introductos, quod plus eſt, ſignificetur. Atque id eſt, quod in epiſtola, quæ proximam ſequi-*

*tur, Iudicium quæritur emptum Cicero, & conſtupratum; hoc eſt lenocinijs & ſtupris contaminatum fuiſſe.*

XX Iudices. *Scripti omnes, x x v. & congruunt cum Plutarcho, qui & ipſe in Cicerone x x v facit. Nec me valde mouet, quod ſex & quinquaginta (tot enim xxxi, & xxv conficiunt) in tris æquas partis, diuidi non poſſint; qualis exiſtimant quidam, iudicum, ex ſingulis ordinibus fuiſſe: ita vt Senatorum numerus, equitum non excederet, nec Equitum Tribunorum. Fieri enim potuit, vt ſexaginta fuerint, quatuorq; non liquet pronuntiarint, quos Cicero tacuerit.*

Qui nunc ſit ſtatus Reip. *Emendo* Rerum, *de auctoritate meorum omnium: quę vbi ſententia non repugnet, aut minus bona ſit, negligenda non eſt. Et paulo poſt.* Factum eſſe ſciant, *iiſdem auctoribus.*

Id Caluum. *Veteres libri,* Talnam, *nullo diſcrepante. De Talna, ſiue hoc, ſiue alio, infra lib. xiij. Cum quaſi alias res quærerem de Philologis e Nicia; incidimus in Talnam. Et lib. xvi. Fui ſane libenter apud Talnam.*

Inuentum eſt, in vnius hominis &c. *Ego ſic verba diſtinguo. Nihil eſt damnii factū noui, ſed quod erat, inuentum eſt. In vnius hominis perditi*

*iudicio, plures ſimiles reperti ſunt. illo ſenſu. Erant præter Clodium multi alij improbi, ſed latebant: nunc in huius vnius iudicio & illi inuenti ſunt.*

Narra inquam patrono tuo. *Cum a Clodio verba proxima, cum contemptione quadam ac deſpicientia dicta ſint, quę redduntur, neceſſe eſt, vt gratiam habeant, ignobilem aliquem atque deſpectum innuant; & ipſi fortaſſe Clodio aliqua affinitate coniunctum: ſenſumq; eſſe illum: Obijcis mihi, quod homo Arpinâs, delicias ſectatus, ad Baias fuerim: cum fundum Marij (victorij ſequor opinionem. Vt Ciceronis nuptias intelligamus, durius omnino eſt) ad eas aquas patronus tuus, homo ſemiſſis emere voluerit. Quanquam plus aculei videtur habiturus hic locus, ſi ſoror intelligatur: quæ vt erat mulier auara, & proſtitutæ libidinis, ſperarit obſequio corporis, poſſe ſe, ab aliquo amatore, fundum Marij, ab illo ipſo poſſeſſum, facile auertere: ſed ab eo fuerit, vt etiam a Cælio creditur, eluſa.*

Noſti enim marinas. *Noſti tu Attice. legitur &* Marianas, *vt Corradus ait, hoc eſt, aquas Marij ad Baias. Noſtri tamen Marinas, eodem ſenſu, vt docet Petrus victorius.*

Regem appellas &c. *Senſus eſt. Tu Regem nominare ſuſtines, illudq; nomen recordari, cum Rex, cuius hereditatem iam ſpe deuoraueras, in*

*teſtamento te præterierit, nullamq́; tui mentionem fecerit?*

Tibi nil crediderunt. *Noſtri* Nihil.

Noſtri iſti comeſſatores. *Antonianus, & manuſcripti non pauci,* Comiſſatores. *Varro quidem certe, latinæ ling. lib.* VI. *Apud Ennium (inquit) Si voles aduertere animum, comiter monſtrabitur. Comiter, hilare, & lubenter. Cuius origo græce* κῶμος, *inde latina comiſſatio dicta, & a Græcis vt quidam dicunt, Comœdia.*

Quod in Conſulem facta putantur. *Cum odioſiſſimus eſſet Conſul, quî poterant Senatus Conſulta, odioſa in eum facta videri? Itaq; placet Quæ, vt eſt in libro Faërni: odioſaq́; grauia interpretari, aut certe* κοινά*: propterea quòd ex eis, non ſolum apud Conſulem in quem facta exiſtimabantur, ſed* γενικῶς *apud omnes magiſtratus inquiri liceret; etiam quia tribubus damnum afferebant largitione impedita.*

Cuiuſmodi diuiſores haberent. Habitarent *legitur in omnibus. Nec me fugit, verbum hoc vſurpatum fuiſſe ab eodem alibi, atque ab aliјs eodem ſenſu. Habeo & habito (inquit Diomedes) dicitur. vt apud Neuium in Dementibus. Animæ puſillum in me habitat. Eſt enim iteratiuum ſeu frequentatiuum ab Habeo. Varro etiam de ling. lat. lib.* IIII. *bis paucis verſibus.*

*Ciſpius mons ſepticepſos, apud ædem Iunonis lucinæ, vbi æditumus habere ſolet. Et mox. Collis Mutialis quinticepſos, apud Aedem Dei Fidij in delubro, vbi æditumus habere ſolet. Eſt inquam latinum, non nunquamq́; vſurpatum verbum iſto ſenſu; ſed me mouet tot librorum conſenſus, qui* habitarent *retinent: & me hercule etiam, quia antiquitatem ſapit, quam Cicero valde perpoliuit.*

Et iſtos conſulatus non ἐλαφητέον. ἐλαφητέον, *in nullo meorum inuenitur, niſi in Romano, & ne eo quidem, vndiq́; vulgatæ ſcripturæ reſpondente.* Floccifacteon *in pleriſq́; legitur: in alijs relinquitur ſpacium, vt ſuſpicari quis poſſit, aut græcum verbum deeſſe, ab eius linguæ imperitis, in ſcribendo omiſſum (quod quale eſſet diuinare quis poßit?) aut eſſe reticentiam cum ſtomacho: ne ſi verbo vteretur, quod rei indignitas poſtulabat, pudori ſuo non parceret. Verum ſi verbum græcum deſideratur (ſunt enim qui Floccifacteon non ferant) poſt quàm quod vulgo legitur non probatur: videndum eſt, an melius* ὀυλαβητέον, *reponatur, illa ſententia. Quare opinor philoſophiæ danda opera eſt, & iſti conſulatus minime reuerendi, vt res ſacra, aut vllus iſtis honor deferendus. Ac lectionis quidem huius, auctor mihi fuit Conſtantinus Rhallus, vir*

*mihi fraterna ſemper voluntate iocundiſſimaque conſuetudine deuinctus; & cum omnium maxima rum diſciplinarum præſidijs inſtructus, tum litte rarum græcarum cognitione tanta, quanta decet eſſe illum, qui olim in eo genere Cardinalis mei Rodulfi præceptor fuerit, nunc ſit Illuſtriſſimi ac doctiſſimi adoleſcentis Cardinalis Vrbinatis: cui ſane principi, familia noſtra, non ſolum maiorum illius nomine, quorum beneficentia aucta fuit, ſed eius etiam immortalibus beneficijs ornata, plurimum debet. ego etiam me hercule, ei maxime deuinctus, quia patronus eſt Rhalli mei, ſummoq́; amore illum, bonosq́; omnes atque doctos amplectitur. Sed redeo ad* Floccifacteon *: quæ mihi vox abunde ſatisfacit: & feſtiua pro re nata lepidaq́; videtur. Et quod quidam Non floccifacio, & Flocci non facio, differre putant, vt illo, honeſta opinio, hoc contemptio ſignificetur: eſt ita quidem nonnunquam, ſed non ſemper. Plautus in Curcul. Non ego te flocci facio, ne me territes. Et item in Mennæhmis. Neque ego illum maneo, neque floccifacio: neque ſi venerit. Eum intromitti volo. Quibus in locis, Non floccifacio, perſpicue. Cõtemno valet. Illud miror tantummodo, eius uocis a nullo veterum grammaticorum, qui hæc ipſa perſecuti ſunt: non Quintiliano, qui complura noua, factaq́; notauit: non Cariſio, Priſciano, Dio-*

*mede, a quibus de nouatis aut analogia aut infle xione, multa traduntur, mentionem fieri.*

Et Archias nil de me. *Veteres libri omnes,* Nihil. *ita etiam epiſtola quæ ſequitur proxima, vbi in vulgatis eſt.* Vt nil a domeſticis, *in noſtris Nihil. & vbiq; fere, ne toties mihi eadem repetenda ſint.*

Te ualde uindicaui. *In uno atq; altero meorum,* uenditaui: *quo modo etiam eſt in lib. Petri victorij. quæ lectio, tametſi ſuſpicione non caret, latini ſermonis tamen rationi congruit, & ea eſt a Cicerone alicubi vſurpata. Infra lib.* IIII. *Et in eo me etiam Tulliæ meæ venditabo. Vindicare aliquem pro Vlciſci, atque pœnas ſumere, aut latinum non eſt, meo quidem iudicio, aut ſingulare. certe loci huius fiducia vnius, nunquam ita loqui ſim auſus. Quin contra, Vindico te, inquit Soſipater, lib.* V. *te defendo ſignificat. cuius auctoritati Diomedes minime repugnat, cum ita ſcribit lib. primo. Vindico, vindicaui. Hoc verbo, non pro Defendo veteres dixerunt, ſed pro animaduerto & punio. vt Salluſtius. Vindicatum fuit in noxios. Neque enim idem eſt, Aliquem, & in aliquem vindicare. Itaque Nonius; Vindicare (inquit) eſt malefactum defendere. M. Tullius, de off. lib.* III. *At iſte dolus malus etiam legibus erat vindicatus. Et omnino, Vindicare, eſt ab*

*mihi fraterna ſemper voluntate iocundiſſimaque conſuetudine deuinctus; & cum omnium maxima rum diſciplinarum præſidijs inſtructus, tum litte rarum græcarum cognitione tanta, quanta decet eſſe illum, qui olim in eo genere Cardinalis mei Rodulfi præceptor fuerit, nunc ſit Illuſtriſſimi ac doctiſſimi adoleſcentis Cardinalis Vrbinatis: cui ſane principi, familia noſtra, non ſolum maiorum illius nomine, quorum beneficentia aucta fuit, ſed eius etiam immortalibus beneficijs ornata, plurimum debet. ego etiam me hercule, ei maxime deuinctus, quia patronus eſt Rhalli mei, ſummoq; amore illum, bonosq; omnes atque doctos amplectitur. Sed redeo ad* Floccifacteon *: quæ mihi vox abunde ſatisfacit: & feſtiua pro re nata lepidaq; videtur. Et quod quidam Non floccifacio, & Flocci non facio, differre putant, vt illo, honeſta opinio, hoc contemptio ſignificetur: eſt ita quidem nonnunquam, ſed non ſemper. Plautus in Curcul. Non ego te flocci facio, ne me territes. Et item in Mennæhmis. Neque ego illum maneo, neque floccifacio: neque ſi venerit. Eum intromitti volo. Quibus in locis, Non floccifacio, perſpicue. Cōtemno valet. Illud miror tantummodo, eius uo cis a nullo veterum grammaticorum, qui hæc ipſa perſecuti ſunt: non Quintiliano, qui complura no ua, factaq; notauit: non Cariſio, Priſciano, Dio-*

*mede, a quibus de nouatis aut analogia aut infle xione, multa traduntur, mentionem fieri.*

Et Archias nil de me. *Veteres libri omnes,* Nihil. *ita etiam epiſtola quæ ſequitur proxima, vbi in vulgatis eſt.* Vt nil a domeſticis, *in noſtris Nihil. & vbiq; fere, ne toties mihi eadem repetenda ſint.*

Te ualde uindicaui. *In uno atq; altero meorum,* uenditaui: *quo modo etiam eſt in lib. Petri victorij. quæ lectio, tametſi ſuſpicione non caret, latini ſermonis tamen rationi congruit, & ea eſt a Cicerone alicubi vſurpata. Infra lib.* IIII. *Et in eo me etiam Tulliæ meæ venditabo. Vindicare aliquem pro Vlciſci, atque pœnas ſumere, aut latinum non eſt, meo quidem iudicio, aut ſingulare. certe loci huius fiducia vnius, nunquam ita loqui ſim auſus. Quin contra, Vindico te, inquit Soſipater, lib.* V. *te defendo ſignificat. cuius auctoritati Diomedes minime repugnat, cum ita ſcribit lib. primo. Vindico, vindicaui. Hoc verbo, non pro Defendo veteres dixerunt, ſed pro animaduerto & punio. vt Salluſtius. Vindicatum fuit in noxios. Neque enim idem eſt, Aliquem, & in aliquem vindicare. Itaque Nonius; Vindicare (inquit) eſt malefactum defendere. M. Tullius, de off. lib.* III. *At iſte dolus malus etiam legibus erat vindicatus. Et omnino, Vindicare, eſt ab*

*iniuria damnoq; defendere. Idem Cicero. Eſt ſenectus natura loquacior, ne ab omnibus eam vitijs videar vindicare. Et in Catil. Quem tu videlicet, & ad cuſtodiendum te, diligentiſſimum, & ad ſuſpicandum ſagaciſsimum, & ad vindicandum, fortiſſimum fore putaſti. Porro quod ad noſtram attinet lectionem: Te venditaui, ad Antonium, aut Manlium videtur poſſe referri: apud quorum alterum, Atticum Cicero laudarit. Nec me valde mouent interiecta verba.*

## IN EPIST. XV.

Nam ſi ita eſſe ſtatueris. Eſſe *illud abundat, vel quod in pleriſque merum nullum eſt, vel quod abhorret a loquendi conſuetudine. Nam primo de Orat. Sic enim ſtatuo, perfecti oratoris moderatione & ſapientia: non ſolum ipſius dignitatem, ſed etiam priuatorum plurimorum, vniuerſæ* Reip. *ſalutem maxime contineri. Et ad Antonium, harum epiſtolarum lib.* XIIII. *Accedit, vt ne in ipſum quidem* Clodium, *meum inſigne odium fuerit vnquam: ſemperq; ita ſtatui, non eſſe inſectandos inimicorum amicos, præſertim humiliores. Et mox pro* Mollitiem, *in noſtris manuſcriptis* Mollitiam *legitur. Vtrunq; latinum tamen, vt Materiem & Materiã, prima & tertia forma declinandi. Cicero tamen, Mollitiam libentius, quàm Mollitiem, ſicut contra, Materiem*

*quàm Materiam vſurpat.*

Perſpecta eſt & integritas. *Antonianus liber, Faërni, atque alij duo manuſcripti* Ingenuitas. *Vtrum verius, non diſputo : vtrunque certa ſua ratione defenditur.*

Mihi negligenti eſſe non licet. *Romanum exemplar, quod videlicet ſub ea tempora impreſſum Romæ fuit, cum primum litterarum monumenta typis excudi cœperunt:* Negligentem *habet. quæ ſane recta videtur latini ſermonis forma; cum ſenſus infiniti, vim appellatiui nominis ſæpe obtineant, proq́; recto vſurpentur. Nam & aliàs ad hunc ipſum Atticum idem Cicero ſcribens lib.* x, *infinitum illud quarto caſui iunxit: In Italiam (inquiens) accedet: in qua nos ſedentes, quid erimus? Nam medios eſſe iam non licebit. Et in Verrina* II. *Nulla eſt enim laus, ibi eſſe integrum, vbi nemo eſt, qui aut poſſit, aut conetur corrūpere. Catullus item, Per quã nõ licet eſſe negligentẽ. Et Terentius manifeſtiſſime. Non expedit bonas eſſe uobis. Quare non defuerunt, qui hanc ſcripturã ſequantur. Nos tamen, cũ Tulliũ animaduertamus, non minus ſæpe belleniſmo delectatum fuiſſe, arbitrati ſumus, nõ eſſe faciendũ, ut a uulgata lectione recedamus: eoq́; magis, quod ea reliquorum omniũ exemplarium teſtimonio nititur. Idem pro Flac. liceat ijs, qui hæc ſalua*

*eſſe voluerunt, ipſis eſſe ſaluis. Et Salluſt. Nemo enim alteri imperium volens concedit: Et quamuis bonus atque clemens ſit qui plus poteſt, tamen quia malo eſſe licet, formidatur. Et Græci quidem ita fere loquuntur. Thucy. lib.* IIII. ἀγαθοῖς γὰρ εἶναι ὑμῖν προσήκει. *Et Ariſtoph. in Pluto.* ὄντως γὰρ ὁδὶ πλουσίοις ἅπασιν ἡμῖν εἶναι. *adhibent tamen & ipſi accuſatiuum non nunquã. Baſilius in Hexameron.* Καὶ τί δεῖ πράγματα ἔχειν ἡμᾶς, τὸ ψεῦδος αὐτῶν διελέγχοντας, οἷς ἐξαρκεῖ, τὰς αὐτῶν ἐκείνων βίβλους, ἀλλήλαις ἀντιπαραθέντας, ἐν ἡσυχίᾳ πολλῇ, θεατὰς αὐτῶν τοῦ πολέμου καθῆσθαι;

Qui ob iudicandum Pecuniam accepiſſent. *Non temere factum puto, vt in nullo meorum* Pecuniam *inueniatur: nec tamen dubito, etiam ſi abſit, quin tacite ſupplendum ſit. Statuẽt doctiores, vtrum recte, nec ne recte poſſit omitti. Infra quidem lib.* II. *epiſt. prima, omiſſum non eſt; cum ita ſcribitur. Quid verius, quam in iudicium venire, qui ob rem iudicandam, pecuniam acceperit? Neque tamen obſtat, quò minus, ea quoque dicendi ratio, proba poſſit eſſe.*

Aſiani, qui de Cenſoribus conduxerunt. *Ex omnibus quos mihi videre licuit, vnus tantum Maffei manuſcriptus, habet* Aſiatici: *quem, niſi reliqui omnes contra facerent, ſequerer non inuitus: præſertim cum Aſianus, nomen gentile ſit, ex Aſiaq;*

ex Aſiaq; ſignificet, vt Quinctilianus ait, velut Hiſpanus, Germanus, Gallus: Aſiaticus verò οἰκειωματικὸν ſit, vt Hiſpanienſis, Germanicus, Gallicus: quibus ſignificatur non aliquis his ipſis gentibus ortus, ſed in his uerſatus. Quin facilius Aſiaticos pro Aſianis inuenias vſurpatum a M. Tullio, quàm contra. Nam pro Murena, Aſiaticas nationes dixit. Et pro Flacco, Aſiaticos teſtes, qui eſſent ex Aſia. Antonianus habet Aſiam; ſed facile intelligimus, N atque, T in vnū M, coaluiſſe. Cenſorum autem erat vectigalium locatio: quæ, vt Feſtus ait, venditio quoq; dicebatur, ꝑ velut fructus publicorū locorū veniebant.

Illud moleſte rogo. Modeſte, mei omnes: nec paulo melius. Nam, præ voluntate (inquit) mea, modeſte vt venias rogo.

IN EPIST. XVI.

Metellus, non homo, ſed litus &c. Nunquam memini legere, Metellum, vtrum vis, Celerem'ne, an Nepotem intelligas: Ciceroni fuiſſe tanta familiaritate coniunctum, cuius in ſinum ille, niſi litus, aer & ſolitudo mera: ſua omnia, quæ ſe cura aliqua afficerent, vellet deponere: nihil fingere: nihil diſſimulare: nihil obtegere. Recordor tamen legiſſe, libro epiſtolarum ad eum ipſum ſimultates etiam inter eos fuiſſe. ſic enim ibi Celer. Exiſtimaram pro mutuo inter nos animo, &

*pro reconciliata gratia. Quin tota epiſtola, aliquid etiam occulti vulneris indicatur, quod fuerit illa reconciliata gratia, obductum potius, quàm plane ſanatum: palamq; fecerit, illum ex animo, Ciceroni amicum nunquam fuiſſe. De inimicitijs cum Nepote, ita in orationem pro Cornelio Pedianus. Cum hoc autem Metello](de Nepote loquitur) poſtea Cicero ſimultates geſſit. Euaſit enim Metellus, malus atque improbus ciuis. Quæ cum ita ſint, omnia mihi ad vnum fratrem Quinctum, videntur eſſe referenda, & vel pro* Metellus, Mei *reponendum eſſe: ita enim ſolet loqui. Infra lib.* I I I. *epiſt.* I X, *Animum inducere non potui, vt, aut illum amantiſſimum mei, molliſſimo animo, tanto in luctu aſpicerem &c. vel certe* Metellus *delendum: in cuius fratris ſinu, cum declarare vellet, quàm tutò, ſua poſſet ſecreta deponere. litus, aër & ſolitudinem vocat, non hominem qui loqui poßit. Vnde, quoties quis, acri aliquo dolore afficitur, quem cum alijs communicare non audeat: vt angorem exhauriat, ſolitudines ac loca, ab arbitris remota ſolet quærere, quibus ſuas miſerias, ſine vlla ſuſpicione enarret: quæ, vt inquit Catullus, nullis ſenſibus auctæ Nec mißas audire queunt nec reddere voces. cuius ſolitudinis loco, Quinctus Ciceroni erat. Quærit ergo Cicero, præ-*

*ter Atticum, etiam fratrem abeſſe, ſuam,dome ſticamq; ſolitudinem, vbi curas omnes & ſolicitudines ſoleret effundere. Quod ſi quædam in his epiſtolis indicatur amicitia cum Metello, non ea tanta erat, vt ad ſe conſolandum, eũ Cicero adhibere vellet. Hanc noſtram coniecturam, Vaticanæ etiã Bibliothecæ manuſcriptus indicat: in quo, in ordine litterarũ,* Metellus *non eſt: ſed alterius manu, in margine adſcriptum: vt, per me, ſicui videatur, etiam* Mei, *vt iam dixi, tollatur.*

Tamen, uoluntas etiam atque etiam ipſa, me deficit.. *Hic licet quærere. Quî præſens animus eſſe poteſt, vt non item voluntas? Nam ſiue ea, pars animi ſit, ſiue vis quædam & facultas: nec pars a toto poteſt, nec vis ab eo cuius vis eſt, diſſentire. Dicere autem in Rep. animum eſſe præſentem, & voluntatem deficere: nihil aliud eſt, quàm dicere, animum, reſpectu eiuſdem rei, & præſentem eſſe, & non præſentem. Ad hæc, voluntas animi iudicium ſequitur, vt quæ is bona iudicauerit, ſequatur & expetat: quæ mala, declinet ac refugiat. Quare non nullis, ita legere viſum eſt. In Rep. quãquam animus eſt præſens, tamen valetudo etiã atq; etiam ipſa, medicinam effugit: adductis, tum ſententia, quæ eſt non inepta: tum ſcriptura multorum exemplarium, in quis veſtigia quædã apparent, quibus*

*illuc deducantur. Ita enim habent. Voluntas etiã atque etiam ipſa medicinam efficit. Nos tamen obſeruauimus M. Tullium, eodem modo alibi eſſe locutum: vt exiſtimemus, non temere a vulgata lectione recedendum. Nam Philip. 11. Etenim omnes boni, quantum in ipſis fuit, Cæſarem occiderunt. Alijs conſilium, alijs animus defuit: voluntas nemini. Vbi animus pro audacia, conſtantiaq; accipitur. Itaque Cornelius Fronto, Animus (inquit) qualitas viuentis, Anima, cauſſa vitæ. Eo igitur ſenſu, vulgatam quoque lectionem tueri poſſumus, ſic exponentes. In Rep. quanquam mihi non deſit conſtantia atque animi robur ac firmitudo, & vt Græci dicunt, παράστημα τῆς ψυχῆς: voluntas tamen, recte quodam iudicio gubernata, prorſus me deficit; quod curandę Reip. ſpes nulla ſubſit omnino.*

Sed ſpe, non corrigendæ, ſed ſanandæ ciuitatis. *Duo illa verba.* Spe non. *Maffei tres manuſcripti libri, non habent: ſed neque aliquot alij. Equidem* Spe *deſidero, vel certe quid tale: negationem non probo. Nam ea, ſententiam aut ſecum pugnantem facit, aut leuem & frigidam, cuiuſmodi Ciceronis eſſe non ſolent. Sequor ergo, editionem Petri victorij, in qua ita legitur. Sed animo corrigendæ & ſeruandæ ciuitatis: nec ſolum ſequor in abijcienda negatione, ſed etiam*

*commutanda coniunctione.*

Menelaum ſolum contempſerit. *Noſtri, & quidem omnes*, contempſerat, *ſicq́;* *& ſententia, & dicendi conſuetudo & ratio poſtulat. Ille inquit paſtor; Menelaum ſolum contempſerat, Memmius autem duos fratres deſpexit, ac liberos non putauit. Qua dicendi forma vſus eſt etiam pro domo ſua ad Pontt. Tu cum collegas tuos ſumma poteſtate præditos, negares liberos eſſe, hoc eſt, in ſeruorum numero haberes.*

Tametſi poteris noſſe. *Faërni liber et Ant. & fere alij omnes*, Potes. *haud paulo melius: vt ſit eorum quę dixerat, correctio quædam, hoc ſenſu, Tametſi fieri poteſt, vt noſcas. Tribulis enim tuus eſt. Sic ad Lentulum ſcribens eſt locutus. Ceterorum hominum, quos iam debes ſuſpicari, ſermones referebantur ad me.*

Illud idem de Clodio. *Equidem valde ſuſpicor hæc verba, ex alicuius explicatione, huc irrepſiſſe: qui crediderit (verène an falsò, non diſputo) Metelli auctoritatem ex eo ſignificari, a Cicerone imminui, quòd fratris Clodij cauſſam probaret, ſeq́; promulgaturum dictitaret. Nec ſane magnopere aberraſſe videntur. Quòd ſi poſtea illi reſtitit, conſilium, vt fit, mutare potuit. Nec moram mihi affert*, Habet promulgatum, *valet enim*, Promulgat, *vt Habet infeſtum, Infe-*

*ſtat: & Habet ſolicitum, ſolicitat, ſæpeq́; inſtans tempus, pro futuro inuenitur. Nam paulo ante. Is ad plebem (inquit) P. Clodium traducit. quòd eſt, ſignificat ſe traducturum. Hac dicendi ratione, in Vatinium quoque vſus eſt, cum ita ſcribit. Tribunus pl. fuiſti: collegas habuiſti viros fortes: omnes habuerunt leges promulgatas. hoc eſt, promulgauerunt. Et ad Terentiam, Omnes moleſtias & ſolicitudines, quibus & te miſerrimam habui, Tulliolamq́;. Eodem modo in Verrem. Arationes conductas haberét. Et, Decumas deportatas. Et Conſilia clauſa. pro Conduxiſſent, Deportaſſent, Clauſerint, vel claudere, hoc eſt, occultare potuerint. Ita enim ibi. Nemo in Sicilia habitat, quin eò ſit occiſus, quòd habere clauſa non potuerit ſua conſilia. Plautus item in Bacchid. Nam abſque te eſſet, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum. præter quòd eſt, Rexiſſem. Sexcenta ſunt huiuſmodi. Quare hic quoque, Habet promulgatum, Promulgat interpretor, pro dicit ſe promulgaturum, ad illius animi voluntatem reſpiciens ſcilicet. Atque hæc ſuſpicio ſit, non certa ſententia. Illud affirmabo in manuſcriptis omnibus,* Quod habet vt dicit, *reperiri, non autem, Habere dicit.*

Os ad male audiendum quotidie præbeat. *Alludere uoluiſſe puto ad illud Sannionis,*

*Apud Terentium in Adelphis : qui cum arguere tur a Syro, quòd morem gerere Aeſchyno noluiſſet, atque ob eam rem & vapulaſſet, & mulierē amiſiſſet: Quid (inquit ille) potui melius qui hodie vſq; Os præbui? hoc eſt, qui me obtuli verberandum? Quò etiam reſpexiſſe videtur pro Sex. Roſcio, cum ſcripſit. Rogat, oratq; te Chryſogone, ſi nihil de patris fortunis ampliſſimis, in ſuam rem conuertit: ſi nulla in re, te fraudauit: ſi tibi optima fide, ſua omnia conceſſit: adnumerauit: appendit: ſi veſtitum quo ipſe tectus erat, anulumq; dedit: os ſuum tibi tradidit: ſi ex omnibus rebus, ſe ipſum nudum, neque præterea quidquam excepit, vt ſibi per te liceat innocenti, amicorū opibus, vitam in egeſtate degere. hoc eſt, ſe ipſum tuæ libidini & contumeliæ tradidit, ut in ſe quod collibitum eſſet, crudelitatis exerceres, dum vitæ parceres. Os vero dixit, quod ea pars in primis, iniuriæ eſt obnoxia: Quanquam in illo Terentiano, tametſi quod diximus ſignificatur, Lenonium tamen ſubeſt neſcio quid a ſcortorum lenociniis: quæ tum maxime morigera videri ſolent, cum os præbent amanti ad oſculandum. Itaque cum ſe ſignificare vellet, vapulaſſe a Lenonum moribus non receſſit, idque obſcæne indicauit. Et quoniam Os prebere aut tradere, alapis, & cuiuis iniuriæ offerre ſignificat: Ad male audien-*

Terētii locus illuſtrat.

*dum, addidit. Quo in loco, intelligimus Male audire, non ſolum hominum ſermonibus inter ipſos conſcindi, ſed etiam, In os, conuicijs & contumelijs appeti, ualere.*

Sub luſtrum autem cenſeri. *Nam cenſum luſtratio ſequebatur, a Græcis* καθαρμὸς, *uocatum, quod eſt noſtris expiatio, purgatio. De qua ſic Diony. lib.* III. τοῦτον καθαρμὸν αὐτὸν, ἕως τῶν καθ' ἐμὲ χρόνων ῥωμαῖοι καθαίρονται, κατὰ τὴν συντέλειαν τῶν τιμήσεων, ὑπὸ τῶν ἐχόντων ἱερωτάτην ἀρχὴν, λοῦστρον ὀνομάζοντες.

## IN EPIST. XVII.

Qvid enim ego aliorum. *Malim* Alienorum, *hoc eſt, externorum: vt alieni, opponantur noſtratibus. Quid ego inquit gloriam peregrinando ex legationibus petam, cum illa Romæ, atque adeo in Senatu naſcatur? libri tamen veteres, Aliorum.*

Volateranos & Artemitanos. *In Volateranis, conſentiunt mei omnes: in Artemitanis, valde diuerſi ſunt. Nam Faërni liber,* Aterninos. *Antonianus & Maffei* Arteminos. *qui vtrique populi, vſpiam'ne fuerint, ignoro. Artemita quidem, vnde Artemitani, ex Stephano, Plinio, Ptolæmeo: vrbs fuit Babiloniæ, a Seleucia diſtans: ſtadijs fere quingentis. Sed de ea*

*hic ſuſpicari, ridiculum eſt. Aternum porro, flumen extitit Plinio, Straboniq; in finibus Frentanorum atque Picentium: & vt ab eo Aternini dici potuerint, ciuitate tamen donati fuiſſe, nuſquam leguntur. Quidam Amiterminos legunt, qui ea loca tenebant, vt volateranus ait, vbi nũc Aquila eſt: in Samnitibus Liuio, lib. x. in quis Criſpum Salluſtium natum plerique tradunt. Sed ego malim Arretinos, vt placet etiam alijs, quod ea vox ab* Aterninos & Aterminos*, quæ itẽ, vt diximus, in vetuſtis inueniuntur, nec valde diſtet, & Volateranis Arretini vicini ſunt, & vtriſque & ciuitas adempta, & ager publicus factus Syllanis temporibus. Is enim lege lata, multorum agros in Etruria militibus ſuis diuiſit. Et de Volateranis quidem, in oratione pro domo ſua ad Pont. & Strabo libro* v. *quos etiam ait, Marianis acceptis intra mœnia, obſidionem Syllanorum, triennio ſuſtinuiſſe. De Arretinis, pro Cæcina: quanquam ibi de adempta tantummodo ciuitate, non etiam de agro: Sed qui dignitate ſpoliati fuerint, eos bonis etiam multatos, facile adducor vt credã, idq; ex eadem oratione ad Pontt. Sic enim ibi Cicero. Populus Romanus, L. Sylla dictatore ferente, comitijs centuriatis, Municipijs ciuitatem ademit. Ademit ijſdem agros. Verum de Arretinis in oratione pro Cæcina hęc ſunt.*

*Atque ego hanc adoleſcentulus cauſſam cum agerem, contra hominem diſertiſſimum noſtræ ciuitatis Cottam: probaui, cum Arretinæ mulieris libertatem defenderem: & Cotta x viris religionem iniecißet, non poſſe ſacramentum noſtrum iuſtum iudicari, quôd Arretinis adempta ciuitas eſſet: & ego vehementius contendiſſem, ciuitatem adimi non potuiſſe. & quę ſequuntur.* Deni*que Etruriæ fere totius agri, Syllanis militibus donati ſunt, quòd partis Marianas ſecutà, contra Syllam ſtetiſſet. Quare cum Artemitani in Romano Imperio nulli fuerint: Arretinos pateat ciuitate priuatos fuiſſe, & fortaſſe etiam agro multatos: nec ea vox, a librorum veterum ſcriptura valde diſſentiat: non mihi ſane videor audacius facere, ſi Arretinos emendem, reiq́; tamen interim arbitriū totius, penes doctiores relinquā.*

Ad Remp. putes pertinere. *Noſtri* Putas.

Iniquitatem malorum. *Plerique antiqui libri, in quis Maffei tres, & Antonianus*, Maliuolorum. *Et placent: placent autem, quod mali ab improbis cum non differant, ſine cauſſa* improborum *addidiſſet Cicero, cum ſatis fuerit dixiſſe, iniquitatem & odium malorum. Sed duorum ordinum homines damnare voluit, maliuolorum, qui temen fieri poteſt, ut improbi non eſſent: cuiuſmodi paulo ante, nō obſcure ſibi inuidere dixit:*

*& improborum, qui male vellent & odiſſent.*

Barbara quædam & obſoleta. Σόλοικα, *emendauit Victorius: cum quo faciunt mei omnes. Vſus eſt hac voce Gellius, lib.* v. *cap.* x x. *Nos (inquiens) neque ſolæciſmum, neque barbariſmum, apud Græcorum idoneos, adhuc inuenimus. Nam ſicut* βάρβαρον, *ita* σόλοικον *dixerunt. Noſtri quoque antiquiores, Solæcum facile, ſolæciſmum haud ſcio, an vnquam dixerint. Sunt autem* σόλοικα, *elata, rudia,* ἀμαθῆ.

Τίς πατέρ' αἰνήσει. *Cum in eos prouerbium dici ſoleat, qui cum nullo ipſi ſplendore vitæ cõmendentur, maiorum ſuorum præclare geſtis iactandis, ad aliquod decus & dignitatem peruenire conantur: ſane in M. Tullio, non plane videtur locum habere poſſe: qui ita ſe ipſum laudat, vt auctor ipſe fuerit eorum, ob quæ laudabilis videretur. Itaque minime miror, a doctis quibuſdam ita locum reſtitui,* τίς ποτέ σ' αἰνήσει, *ex ignoto ſcilicet alicuius poetę loco, illo ſenſu. Quis te laudabit, ſi tu te ipſum laudas? Verũ, cum a vulgata ſcriptura, omnia exemplaria, & ſententia veterum ſcriptis celebrata ſtet: eruendum eſt aliquid non alienum: dicendumq; transferri paræmiam ab obſcuris filijs, patres laudantibus, ad ipſum Ciceronem, hominum inuidia, nullam ei, ne verborum quidem gratiam referentium, quaſi iacentem*

*eſſe voluerunt, ipſis eſſe ſaluis. Et Salluſt. Nemo enim alteri imperium volens concedit. Et quamuis bonus atque clemens ſit qui plus poteſt, tamen quia malo eſſe licet, formidatur. Et Græci quidem ita fere loquuntur. Thucy. lib.* IIII. ἀγαθοῖς γὰρ εἶναι ὑμῖν προσήκει. *Et Ariſtoph. in Pluto.* ὄντως γὰρ ἐστὶ πλουσίοις ἅπασιν ἡμῖν εἶναι. *adhibent tamen & ipſi accuſatiuum non nunquã. Baſilius in Hexameron.* Καὶ τί δεῖ πράγματα ἔχειν ἡμᾶς, τὸ ψεῦδος αὐτῶν διελέγχοντας, οἷς ἐξαρκεῖ, τὰς αὐτῶν ἐκείνων βίβλους, ἀλλήλαις ἀντιπαραθέντας, ἐν ἡσυχίᾳ πολλῇ, θεατὰς αὐτῶν τοῦ πολέμου καθῆσθαι;

Qui ob iudicandum Pecuniam accepiſſent. *Non temere factum puto, vt in nullo meorum* Pecuniam *inueniatur: nec tamen dubito, etiam ſi abſit, quin tacite ſupplendum ſit. Statuẽt doctiores, vtrum recte, nec ne recte poſſit omitti. Infra quidem lib.* II. *epiſt. prima, omiſſum non eſt; cum ita ſcribitur. Quid verius, quam in iudicium venire, qui ob rem iudicandam, pecuniam acceperit? Neque tamen obſtat, quò minus, ea quoque dicendi ratio, proba poſſit eſſe.*

Aſiani, qui de Cenſoribus conduxerunt. *Ex omnibus quos mihi videre licuit, vnus tantum Maffei manuſcriptus, habet* Aſiatici: *quem, niſi reliqui omnes contra facerent, ſequerer non inuitus: præſertim cum Aſianus, nomen gentile ſit,*

*ex Aſiaq;*

*ex Aſiaq; ſignificet, vt Quinctilianus ait, velut Hiſpanus, Germanus, Gallus: Aſiaticus verò* οἰκειωματικὸν *ſit, vt Hiſpanienſis, Germanicus, Gallicus: quibus ſignificatur non aliquis his ipſis gentibus ortus, ſed in his uerſatus. Quin facilius Aſiaticos pro Aſianis inuenias vſurpatum a M. Tullio, quàm contra. Nam pro Murena, Aſiaticas nationes dixit. Et pro Flacco, Aſiaticos teſtes, qui eſſent ex Aſia. Antonianus habet* Aſiam; *ſed facile intelligimus, N atque T in vnũ M, coaluiſſe. Cenſorum autem erat vectigalium locatio: quæ, vt Feſtus ait, venditio quoq; dicebatur, ꝙ velut fructus publicorũ locorũ veniebant.*

Illud moleſte rogo. Modeſte, *mei omnes: nec paulo melius. Nam, præ voluntate (inquit) mea, modeſte vt venias rogo.*

## IN EPIST. XVI.

Metellus, non homo, ſed litus &c. *Nunquam memini legere, Metellum, vtrum vis, Celerem ne, an Nepotem intelligas: Ciceroni fuiſſe tanta familiaritate coniunctum, cuius in ſinum ille, niſi litus, aer & ſolitudo mera: ſua omnia, quæ ſe cura aliqua afficerent, vellet deponere: nihil fingere: nihil diſſimulare: nihil obtegere. Recordor tamen legiſſe, libro epiſtolarum ad eum ipſum ſimultates etiam inter eos fuiſſe. ſic enim ibi Celer. Exiſtimaram pro mutuo inter nos animo, &*

*pro reconciliata gratia. Quin tota epiſtola, aliquid etiam occulti vulneris indicatur, quod fuerit illa reconciliata gratia, obductum potius, quàm plane ſanatum: palamq́; fecerit, illum ex animo, Ciceroni amicum nunquam fuiſſe. De inimicitijs cum Nepote, ita in orationem pro Cornelio Pedianus. Cum hoc autem Metello (de Nepote loquitur) poſtea Cicero ſimultates geſſit. Euaſit enim Metellus, malus atque improbus ciuis. Quæ cum ita ſint, omnia mihi ad vnum fratrem Quinctum, videntur eſſe referenda, & vel pro* Metellus, Mei *reponendum eſſe: ita enim ſolet loqui. Infra lib.* III. *epiſt.* IX, *Animum inducere non potui, vt, aut illum amantiſſimum mei, molliſſimo animo, tanto in luctu aſpicerem &c. vel certe* Metellus *delendum: in cuius fratris ſinu, cum declarare vellet, quàm tutò, ſua poſſet ſecreta deponere. litus, aër & ſolitudinem vocat, non hominem qui loqui poßit. Vnde, quoties quis, acri aliquo dolore afficitur, quem cum alijs communicare non audeat: vt angorem exhauriat, ſolitudines ac loca, ab arbitris remota ſolet quærere, quibus ſuas miſerias, ſine vlla ſuſpicione enarret: quæ, vt inquit Catullus, nullis ſenſibus auctæ Nec mißas audire queunt nec reddere voces. cuius ſolitudinis loco, Quinctus Ciceroni erat. Quęrit ergo Cicero, pre-*

*ter Atticum, etiam fratrem abeſſe, ſuam, domeſticamq; ſolitudinem, vbi curas omnes & ſolicitudines ſoleret effundere. Quod ſi quædam in his epiſtolis indicatur amicitia cum Metello, non ea tanta erat, vt ad ſe conſolandum, eũ Cicero adhibere vellet. Hanc noſtram coniecturam, Vaticanæ etiã Bibliothecæ manuſcriptus indicat: in quo, in ordine litterarũ,* Metellus *non eſt: ſed alterius manu, in margine adſcriptum: vt, per me, ſicui videatur, etiam* Mei, *vt iam dixi, tollatur.*

Tamen, uoluntas etiam atque etiam ipſa, me deficit.. *Hic licet quęrere. Quî præſens animus eſſe poteſt, vt non item voluntas? Nam ſiue ea, pars animi ſit, ſiue vis quædam & facultas: nec pars a toto poteſt, nec vis ab eo cuius vis eſt, diſſentire. Dicere autem in Rep. animum eſſe præſentem, & voluntatem deficere: nihil aliud eſt, quàm dicere, animum, reſpectu eiuſdem rei, & præſentem eſſe, & non præſentem. Ad hæc, voluntas animi iudicium ſequitur, vt quæ is bona iudicauerit, ſequatur & expetat: quæ mala, declinet ac refugiat. Quare non nullis, ita legere viſum eſt. In Rep. quãquam animus eſt pręſens, tamen valetudo etiã atq; etiam ipſa, medicinam effugit: adductis, tum ſententia, quæ eſt non inepta: tum ſcriptura multorum exemplarium, in quis veſtigia quædã apparent, quibus*

*illuc deducantur. Ita enim habent. Voluntas etiã atque etiam ipſa medicinam efficit. Nos tamen obſeruauimus M. Tullium, eodem modo alibi eſſe locutum: vt exiſtimemus, non temere a vulgata lectione recedendum. Nam Philip. 11. Etenim omnes boni, quantum in ipſis fuit, Cæſarem occiderunt. Alijs conſilium, alijs animus defuit: voluntas nemini. Vbi animus pro audacia, conſtantiaq; accipitur. Itaque Cornelius Fronto, Animus (inquit) qualitas viuentis, Anima, cauſſa vitæ. Eo igitur ſenſu, vulgatam quoque lectionem tueri poſſumus, ſic exponentes. In Rep. quanquam mihi non deſit conſtantia atque animi robur ac firmitudo, & vt Græci dicunt, παράστημα τῆς ψυχῆς: voluntas tamen, recte quodam iudicio gubernata, prorſus me deficit; quod curandę Reip. ſpes nulla ſubſit omnino.*

Sed ſpe, non corrigendæ, ſed ſanandæ ciuitatis. *Duo illa verba.* Spe non. *Maffei tres manuſcripti libri, non habent: ſed neque aliquot alij. Equidem* Spe *deſidero, vel certe quid tale: negationem non probo. Nam ea, ſententiam aut ſecum pugnantem facit, aut leuem & frigidam, cuiuſmodi Ciceronis eſſe non ſolent. Sequor ergo, editionem Petri victorij, in qua ita legitur. Sed animo corrigendæ & ſeruandæ ciuitatis: nec ſolum ſequor in abijcienda negatione, ſed etiam*

*commutanda coniunctione.*

Menelaum ſolum contempſerit. *Noſtri, & quidem omnes*, contempſerat, *ſicq; & ſententia, & dicendi conſuetudo & ratio poſtulat. Ille inquit paſtor; Menelaum ſolum contempſerat, Memmius autem duos fratres deſpexit, ac liberos non putauit. Qua dicendi forma vſus eſt etiam pro domo ſua ad Pont. Tu cum collegas tuos ſumma poteſtate præditos, negares liberos eſſe, hoc eſt, in ſeruorum numero haberes.*

Tametſi poteris noſſe. *Faërni liber et Ant. & fere alij omnes*, Potes. *haud paulo melius: vt ſit eorum quę dixerat, correctio quædam, hoc ſenſu, Tametſi fieri poteſt, vt noſcas. Tribulis enim tuus eſt. Sic ad Lentulum ſcribens eſt locutus. Ceterorum hominum, quos iam debes ſuſpicari, ſermones referebantur ad me.*

Illud idem de Clodio. *Equidem valde ſuſpicor hæc verba, ex alicuius explicatione, huc irrepſiſſe: qui crediderit (verè'ne an falsò, non diſputo) Metelli auctoritatem ex eo ſignificari, a Cicerone imminui, quòd fratris Clodij cauſſam probaret, ſeq; promulgaturum dictitaret. Nec ſane magnopere aberraſſe videntur. Quòd ſi poſtea illi reſtitit, conſilium, vt fit, mutare potuit. Nec moram mihi affert*, Habet promulgatum, *valet enim*, Promulgat, *vt Habet infeſtum, Infe-*

*ſtat: & Habet ſolicitum, ſolicitat, ſæpeq; inſtans tempus, pro futuro inuenitur. Nam paulo ante. Is ad plebem (inquit) P. Clodium traducit. quòd eſt, ſignificat ſe traducturum. Hac dicendi ratione, in Vatinium quoque vſus eſt, cum ita ſcribit. Tribunus pl. fuiſti: collegas habuiſti viros fortes: omnes habuerunt leges promulgatas. hoc eſt, promulgauerunt. Et ad Terentiam, Omnes moleſtias & ſolicitudines, quibus & te miſerrimam habui, Tulliolamq;. Eodem modo in Verrem. Arationes conductas haberẽt. Et, Decumas deportatas. Et Conſilia clauſa. pro Conduxiſſent, Deportaſſent, Clauſerint, vel claudere, hoc eſt, occultare potuerint. Ita enim ibi. Nemo in Sicilia habitat, quin eò ſit occiſus, quòd habere clauſa non potuerit ſua conſilia. Plautus item in Bacchid. Nam abſque te eſſet, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum. præter quòd eſt, Rexiſſem. Sexcenta ſunt huiuſmodi. Quare hic quoque, Habet promulgatum, Promulgat interpretor, pro dicit ſe promulgaturum, ad illius animi voluntatem reſpiciens ſcilicet. Atque hæc ſuſpicio ſit, non certa ſententia. Illud affirmabo in manuſcriptis omnibus,* Quod habet vt dicit, *reperiri, non autem, Habere dicit.*

Os ad male audiendum quotidie præbeat. *Alludere uoluiſſe puto ad illud Sannionis,*

*Apud Terentium in Adelphis: qui cum arguere tur a Syro, quòd morem gerere Aeſchyno noluiſſet, atque ob eam rem & vapulaſſet, & mulierẽ amiſiſſet: Quid (inquit ille) potui melius qui hodie vſq; Os præbui? hoc eſt, qui me obtuli verberandum? Quò etiam reſpexiſſe videtur pro Sex. Roſcio, cum ſcripſit. Rogat, oratq; te Chryſogone, ſi nihil de patris fortunis ampliſſimis, in ſuam rem conuertit: ſi nulla in re, te fraudauit: ſi tibi optima fide, ſua omnia conceſſit: adnumerauit: appendit: ſi veſtitum quo ipſe tectus erat, anulumq; dedit: os ſuum tibi tradidit: ſi ex omnibus rebus, ſe ipſum nudum, neque præterea quidquam excepit, vt ſibi per te liceat innocenti, amicorũ opibus, vitam in egeſtate degere. hoc eſt, ſe ipſum tuæ libidini & contumeliæ tradidit, ut in ſe quod collibitum eſſet, crudelitatis exerceres, dum vitæ parceres. Os vero dixit, quod ea pars in primis, iniuriæ eſt obnoxia: Quanquam in illo Terentiano, tametſi quod diximus ſignificatur, Lenonium tamen ſubeſt neſcio quid a ſcortorum lenociniis: quæ tum maxime morigera videri ſolent, cum os præbent amanti ad oſculandum. Itaque cum ſe ſignificare vellet, vapulaſſe a Lenonum moribus non receſſit, idque obſcæne indicauit. Et quoniam Os prebere aut tradere, alapis, & cuiuis iniuriæ offerre ſignificat: Ad male audien-* Terẽtii locus illuſtrat.

*dum, addidit. Quo in loco, intelligimus Male audire, non ſolum hominum ſermonibus inter ipſos conſcindi, ſed etiam, In os, conuicijs & contumelijs appeti, ualere.*

Sub luſtrum autem cenſeri. *Nam cenſum luſtratio ſequebatur, a Græcis* καθαρμὸς, *uocatum, quod èſt noſtris expiatio, purgatio. De qua ſic Diony. lib.* III. τοῦτον καθαρμὸν αὐτὸν, ἕως τῶν καθ' ἐμὲ χρόνων ῥωμαῖοι καθαίρονται, κατὰ τὴν συντέλειαν τῶν τιμήσεων, ὑπὸ τῶν ἐχόντων ἱερωτάτην ἀρχὴν, λοῦστρον ὀνομάζοντες.

## IN EPIST. XVII.

QVID enim ego aliorum. *Malim* Alienorum, *hoc eſt, externorum: vt alieni, opponantur noſtratibus. Quid ego inquit gloriam peregrinando ex legationibus petam, cum illa Romæ, atque adeo in Senatu naſcatur? libri tamen veteres, Aliorum.*

Volateranos & Artemitanos. *In Volateranis, conſentiunt mei omnes: in Artemitanis, valde diuerſi ſunt. Nam Faërni liber,* Aterninos. *Antonianus & Maffei* Arteminos. *qui vtrique populi, vſpiam'ne fuerint, ignoro. Artemita quidem, vnde Artemitani, ex Stephano, Plinio, Ptolæmeo: vrbs fuit Babiloniæ, a Seleucia diſtans: ſtadijs fere quingentis. Sed de ea*

*hic ſuſpicari, ridiculum eſt. Aternum porro, flumen extitit Plinio, Straboniq; in finibus Frentanorum atque Picentium: & vt ab eo Aternini dici potuerint, ciuitate tamen donati fuiſſe, nuſquam leguntur. Quidam Amiterminos legunt, qui ea loca tenebant, vt volateranus ait, vbi nũc Aquila eſt: in Samnitibus Liuio, lib. x. in quis Criſpum Salluſtium natum plerique tradunt. Sed ego malim Arretinos, vt placet etiam alijs, quod ea vox ab* Aterninos *&* Aterminos, *quæ itẽ, vt diximus, in vetuſtis inueniuntur, nec valde diſtet, & Volateranis Arretini vicini ſunt, & vtriſque & ciuitas adempta, & ager publicus factus Syllanis temporibus. Is enim lege lata, multorum agros in Etruria militibus ſuis diuiſit. Et de Volateranis quidem, in oratione pro domo ſua ad Pont. & Strabo libro v. quos etiam ait, Marianis acceptis intra mœnia, obſidionem Syllanorum, triennio ſuſtinuiſſe. De Arretinis, pro Cæcina: quanquam ibi de adempta tantummodo ciuitate, non etiam de agro: Sed qui dignitate ſpoliati fuerint, eos bonis etiam multatos, facile adducor vt credã, idq; ex eadem oratione ad Pontt. Sic enim ibi Cicero. Populus Romanus, L. Sylla dictatore ferente, comitijs centuriatis, Municipijs ciuitatem ademit. Ademit ijſdem agros. Verum de Arretinis in oratione pro Cæcina hęc ſunt.*

*& improborum, qui male vellent & odiſſent.*

Barbara quædam & obſoleta. Σόλοικα, *emendauit Victorius: cum quo faciunt mei omnes. Vſus eſt hac voce Gellius, lib.* v. *cap.* x x. *Nos (inquiens) neque ſolœciſmum, neque barbariſmum, apud Græcorum idoneos, adhuc inuenimus. Nam ſicut* βάρβαρον, *ita* σόλοικον *dixerunt. Noſtri quoque antiquiores, Solœcum facile, ſolœciſmum haud ſcio, an vnquam dixerint. Sunt autem* σόλοικα, *elata, rudia,* ἀμαθῆ.

Τίς πατέρ' αἰνήσει. *Cum in eos prouerbium dici ſoleat, qui cum nullo ipſi ſplendore vitæ cōmendentur, maiorum ſuorum præclare geſtis iactandis, ad aliquod decus & dignitatem peruenire conantur: ſane in M. Tullio, non plane videtur locum habere poſſe: qui ita ſe ipſum laudat, vt auctor ipſe fuerit eorum, ob quæ laudabilis videretur. Itaque minime miror, a doctis quibuſdam ita locum reſtitui,* τίς ποτέ σ' αἰνήσει, *ex ignoto ſcilicet alicuius poetę loco, illo ſenſu. Quis te laudabit, ſi tu te ipſum laudas? Verū, cum a vulgata ſcriptura, omnia exemplaria, & ſententia veterum ſcriptis celebrata ſtet: eruendum eſt aliquid non alienum: dicendumq; transferri parœmiam ab obſcuris filijs, patres laudantibus, ad ipſum Ciceronem, hominum inuidia, nullam ei, ne verborum quidem gratiam referentium, quaſi iacentem*

*in tenebris: res ſuas geſtas laudantem, atque inde ſibi gloriam, velut ab laudatis parẽtibus, quærentem. Caue inquit dicas Quis patrem laudabit: hoc eſt, ne me, gloriæ cupiditate leuiorem putes, qui res meas, velut parentum merita ignaui liberi, appellem: falſa videlicet opinione adductus. Si eſt enim apud homines quidquam: & quæ ſequuntur.*

Nil a ſe. *Noſtri omnes.* Nihil.

## IN EPIST. XVIII.

Nihil amplius ſcribere. *Faërni liber, Antonianus, Lolgij, Poggij.* Nihil iam amplius, *ſententia eadem, ſed magis ſignificantes.*

Pedarij concurrerunt. *Antonianus & Faërni,* Cucurrerunt. *Ego neutrum improbo, propterea quod Concurrerunt, à poſitione Concurro declinatur; cuius præteritum tempus, ita Concurri facit, vt ab curro, incurri, euphoniæ cauſſa, ſyllaba reduplicationis omiſſa. Adiecta enim prepoſitione, geminatio ceſſat ſyllabæ, vt Deſpondi, Detondi, Dependi. Duo admiſſa præpoſitione iterant, Poſco & Diſco, vt in Depopoſci, & Dedidici, cognoſci poteſt. Infra etiam, Eodẽ biduo, cum eſſet annonæ ſumma caritas, & homines ad theatrum primo, deinde ad Senatum concurrißent &c.*

Cetera egregia. *Placeret* Egregius, *niſi pro*

*vulgata,,manuſcripti ſtarent. Facile enim perſpici poteſt, quantum afferant orationi & vim & venuſtatem; non figura illa græcorum tantummodo, quę non rarò, etiam a latinis adhibetur: ſed repetitio illa nominis, Egregius. Metellus (inquit) eſt egregius Conſul: vnũ reprehendo, quòd ægre fert, otium in Gallia, nuntiari: cetera egregius. Idem alibi de Simonide loquens. Non enim ſolum Poeta ſuauis, verum etiam cetera doctus ſapiensq; traditur. Ad Q. fratrem, ſingulari numero protulit. Ego me in Cumano & in Pompeiano, præterquàm quod ſine te, ceterum commode oblectabam, Græci τ' ἄλλα. ſed res eſt perſpicua.*

Vt Scheda ne qua depereat. *Sunt qui* Sceda *ſcribi malint, ſine aſpiratione: ſcedam verò illitionem eſſe & glutinamentum, quo ſtamen & ſubtegmen chartæ, conglutinaretur: ita dictum, quod ea adlineretur, perfundereturq; papyri tabula, poſtquàm contexta fuiſſet, ἀπὸ τοῦ σκεδάζω. Plinius de papyro loquens, Texuntur (inquit) omnes tabulę madentes Nili aqua: turbidus liquor, vim glutini præbet; cum primo ſupina tabula, ſceda (ita enim emendant) adlinitur. Ego, de hiſce Plinij verbis: atq; adeo toto illo capite, quid ſentiam, non eſt huius neque loci, neque temporis ſcribere: tantum dicam ſcedam, me non putare apud Latinos, ſed neque apud Græcos inueniri.*

*Qui Scheda legi volunt, ij tabellam eſſe aiunt aut pagellam philiraceam, qua pro chartis veteres vterentur. De tabularum vſu, non dubitamus: ſchedas eſſe dictas, certum non habemus. Schedion tamē, neutro genere inuenimus, quo ſignificatur, quidquid ſubitò et improuiſò factum eſt, ex Suda. Quin Feſtus, mala poëmata, Schedia appellari ſcribit. Verum quid hoc ad chartam? Quare placet cum vetuſtis libris, & ſimul docto & peranti quo grammatico Cariſio, Scida, vel quod ille minus probat, Schida, ſcribere. Ita enim ille. Scida, charta, ſine aſpiratione, a ſcindo dicta eſt: ſed alij, cum aſpiratione, Schidam ex græco, ἀπὸ τοῦ χίζω dictam putant. cuiuſmodi quædam Victorius, niſi quod Scidam, non a Scindo vt Cariſius, ſed a χίζω duci putat, multa latinis ſine aſpiratione ſcribentibus, quæ aſpirantur Græcis. Sunt & Schedia lapidum ac marmoris fragmenta Vitruuio, quæ in ligno aſſulæ dicuntur.*

Aget maximas gratias. *Veteres libri,* Agit. *plane veriori ſententia. Ego inquit, tibi Pæti negotia commendo: in quibus quia iam elaboraſti, magnas ille tibi gratias agit.*

# LEONARDI MALAESPINAE SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Atticum, EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

## Argumentum libri II.

D*VÆ primæ libri huius epiſtolæ, ſcriptæ ſunt, item vt vltimæ ſuperioris, Q. Metello Celere, L. Afranio: reliquæ omnes: C. Iulio Cæſare, M. Bibulo Coß. menſibus fere* XVII. *Continent verò contentionem Clodij, vt Tribunus pl. fieret: quod demum obtinuit, Cęſare adnitente, cuius item opera, quò magiſtratum illum capere poſſet, plebeius factus eſt. Nam Ciceroni iratus, quòd quodam in iudicio ſtatum temporum deploraſſet, eius inimicum Clodium, fruſtra iampridem a patribus ad plebem tranſire nitentem, eodem die, horaque, nona lege de adoptione eius lata, traduxit.*

*hæc duo verba, in vnum coiſſe videntur. Ita enim in arte grammatica, de coniunctionibus loquens. Figura eſt, quod aut ſimplices ſunt, vt quoniam, Quando: aut compoſitæ, vt quoniamquidem, Quandoquidem. Quod ſi ita eſt, vno etiam accentu pronuntianda ſunt.*

Quo die Allobroges inuocarunt. *Fidem publicam ſcilicet, deprehenſi litteras ad coniuratos habere. Verum,* iudicarunt *placet magis, cum alijs rationibus, tum verbis his, quę ſunt in extrema oratione pro Sextio. Quid tantopere deliqui illo, illo die, cum ad vos, iudicia, litteras, confeſſiones communis exitij detuli?*

Quid ſit, quo te accerſam. *In Antoniano & aliquot alijs* Quod, *pro Cur, Quamobrem: verius, niſi fallor, etiam ſi ſupra lib. primo, epiſt. Nihil mihi nunc ſcito, ſcriptum ab eodem ſit, Et quanquam ſunt hæc fugienda, quo te voco. Eſt enim non parum diuerſum.*

Sed ſi paulo plus furor Pulchelli progredi poſſet. *Hoc eſt: ſi Tribunus pl. fieret, vt quidem cupit. Nam vt Dio ſcribit, Cum Tribunis pl. perſuadere non potuiſſet, vt ferrent ad plebem, de communicando cum patricijs tribunatu, ipſe quo Tribunus fieret, patriciatu ſe abdicans, inq; ius plebis, Herennio traducente, tranſiens, tribunatum plebis petebat. Repulſam tulit, quod Me-*

*tellus aduerſatus ſit, plebeium fieri non potuiſſe affirmans, niſi per legem curiatam. Atque id eſt, quod ait, Verum præclare Metellus impedit & impediet. Itaque Clodius, vt Tribunatum pl. capere poſſet, curauit per eundem Herennium Tribunum pl. vt id populi ſuffragio confirmaretur. Ita enim ſupra lib. primo. Is ad plebem P. Clodium traducit: idemq́; fert, vt vniuerſus populus in campo Martio ſuffragium de re Clodij ferat.*

Inconſtantiam reprehendi. *Veteres libri,* Inconſtantiam eius reprehendi.

Cum ipſo cauillor etiam ac iocor. *Noſtri fere,* Cum ipſo etiam cauillor; &c.

Cum candidatū deducerem, is quærit &c. *Melius* Deduceremus, *vt habet Faërni liber & Antonianus, factum ex* deducerem & is. *vt ſeſe dicat, cum ambo candidatum deducerent, in via, vt fit, & inter deducendum, in eum ſermonem veniſſe.*

Nouos patronos inſtituam. *Ita quidem omnes libri, ſed Guido Lolgius meus, vir tum pluríma elegantiá; doctrina, tum iudicio politiſſimo præditus, mauult* Nouus patronus. *nec, vt mihi videtur, ſine cauſſa. Quid? ad Clodium, aut quemuis omnino alium pertineat, patronos dare prouincijs? ac non potius, ipſæ ſibi prouinciæ aſci-*

*ſcant? Certe ipſemet Cicero pro Sextio, id nobis non obſcure demonſtrat, cum ita ſcribit. Qua de cauſſa, & tum conuentus ille Capuæ, qui propter ſalutem ipſius vrbis, conſulatu conſeruatam meo, me vnum patronum adoptauit. Id quod etiam in Philip. declarat, cum ait Antonium vexaſſe Puteolanos, quòd C. Caſſium, quòd Brutos patronos adoptaſſent. Non diſplicet ergo Lolgij ſuſpicio: & videtur Clodius, quod Ciceronem pungeret, innuere voluiſſe, ita ſe in Quæſtura Siciliensi geſſiſſe, vt prouinciales repudiato vetere patrono, hoc eſt, ipſo Cicerone, ſe nouum adoptauerint. Neque tamen ſum neſcius, vetuſtiſſimos ſcriptorum, ſecundi ordinis nomina, Vs finita, in Os conſueuiſſe enuntiare. Plautus in Aſina. Picus & Cornix eſt ab leua, Coruos porrò ab dextra. Verum hoc nolo aſtipulari opinioni huic, cum ita loqui Cicero non ſit ſolitus: niſi verba Clodij ſic referre voluit, vt ſunt ab ipſo prolata: vt mox, Vnum mihi ſolum pedem dat. Porro ſententia erit. Poſtquam tu vetus patronus, Siculis non conſueſti locum gladiatoribus dare, ego nouus patronus, vt detur, inſtituam. Quod quidem verbum, non ſane parum me mouet: valet enim incipiam, morem inducam. quo ſenſu, ad noſtram ſuſpicionem, nihil accommodatius.*

Sed ego odi illam male conſularem. *Nota atque vſitata locutio eſt, Male odiſſe. infra lib. XIIII. Atqui, ſi quiſquam eſt facilis, hic eſt: tamen non dubito, quin me male oderit. Plaut. Menech. Vt ego vxorem, mea voluptas, vbi te aſpicio, odi male. Quare aduerbium illud qualitatis, vel potius quantitatis (nam Male vt Soſipater ait, valde ſignificat) aptius meo iudicio,* Odi *verbo iungatur, quàm nomini Conſularem: vt ſenſus ſit: ſed ego male odi, illam conſularem. Sic Plautus Moſtel. eſt locutus: Ita me ibi male conuiuij ſermonisq; pertæſum: Vbi ordo eſt, Male pertæſum. Faërni liber & aliquot alij, ſed ego illam odi male, conſularem. Vtraque lectio, interpunctione adiuuanda eſt. certe, Male conſularem non probo, ſicut nec male conſulem, pro eo quòd eſt, indignum conſulatu. Illud etiam ſcio, fuiſſe qui Conſularem delerint, non tam veterum librorum auctoritate, quàm vel locutionis inſolentia, vel quod Conſularem non putarint, de Conſulum vxoribus dici: quòd tamen falſum eſſe deprehenditur ex Iuriſconſultis.*

Alij autem negligant. *Sane puto* Alia *ſcriptum a Cicerone fuiſſe, vt ad principes ciuitatis referantur omnia: quibus ſatis eſſet, ſibi viuere, ſuis frui commodis ac voluptatibus: reliqua uerò, nempe Reip. curam atque ſalutem*

*negligerent, quæ illis in primis eſſent ſuſcipienda.*

Fauonius, meã tribũ tulit honeſtius &c. *Hoc facile potuit cognoſci, quod cum antea ſuffragia miſtim ferrentur: ad ſeq; ſingulæ tribus magiſtratuum electionem, per ambitionem pertraherent; lege Fuſia factum eſt, vt priuatim ſingularum voluntas inſpiceretur: vt ſi minus ſingulorum hominum, tribuum certe ſenſus cognoſci poſſet.*

Accuſauit Naſicam inhoneſte: ac modeſte tamen dixit. *Hic multa ſecum pugnant: Eundem inhoneſte accuſare, quod vitio datur: & modeſte dicere, quod laudi: Rurſum, modeſte dicere, & tamen videri molis potius, quàm Moloni operam dediſſe: hoc eſt, in piſtrino potius cum mancipijs, quàm in Schola Molonis, quæ non modo recte dicendi magiſtra fuit, ſed etiam humaniter viuendi, verſatum eſſe. Nos cogitabamus, an ita reddi poſſet:* Ac moleſte tam dixit. *vel, ſiquem poſtpoſitum* Tam *offendit, (quanquam multa ſunt huiuſmodi apud ſcriptores.)* Ac tam moleſte dixit, *per me legat, illo ſenſu. Fauonium inhoneſte Naſicam accuſaſſe, tamq; moleſte dixiſſe, vt in piſtrino didiciſſe videretur, non in ſchola Molonis, eloquentiam. Atque in hanc me ſuſpicionem, præter ea quę di-*

*cta ſunt, etiam illa adducunt: Vocum ſimilitudo, Moleſte, Molis, Moloni, quam græci παρήχησιν, aut παρόμοιον, vocant: tum copula illa* Ac, *quæ otioſa eſt, ſequente tamen: poſtremo* Vt *apoſtaticum (ita enim græci, pro ὥστε) quod vt grammatici definiunt, his fere particulis, Tam, Talis, Tantum, Adeo, ſic, ita, iungi ſolet; inter quas,* Tamen, *non eſt, nec plane locum habet. Procliuis autem fuit lapſus, a Tam, in Tamen, quo modo poſterior ætas ſcribebat, ad finem properans. Scio quantum inuidiæ ſubiturus ſim, apud eos præſertim, qui piaculum ducunt, a veterum librorum ſcriptura, vel punctum recedere. Sed ego velim eos, & quæ initio diximus recordari, ſuſpiciones eſſe has, non certas ſententias: præſertim, cum ope librorum deficimur: & argumenta perpendere, quibus adducti, in medium hæc, quaſi θέσεις aliquas, afferimus, vbi doctiores, aliquid melius inueniendi, occaſionem habeant.*

Deinde in diſſenſionibus. *Ita in omnibus legitur. Itaque εἰρωνικῶς, quodamq; cum ſtomacho ſcribi, dicendum eſt.*

Hoc mihi nil poteſt. *Scribe* Nihil *ex meis omnibus. Et mox,* Cum græcos, tum latinos. *Et paulo poſt. Cum ipſo nihil eram locutus. Et plane mirum eſt, quòd in reliquis ſcriptis ſuis Ci-*

*cero, vix vnquam vſurpet, in his ad quinctum quodq; verbum adhibere. Puto culpa eorum factum eſſe, qui breuitati ſtudentes,* nihil *tali quodam compendio* ᴺ *ſcribere ſolerent, vnde factum ſit Nil poëticæ potius rationi, quàm proſæ accommodatum: Nam ſi* Exin *vt Feſtus ait, pro Exinde, metri cauſſa dicitur, cur non etiam* Nil?

## IN EPIST. II.

Γελωναίων. *Lege* πελληναίων*, geminato* Λ. *& per* Η. *a Pellana Achæorum vrbe, quæ Iſthmium ingreſſis, poſt agrum Sicyonium, prima occurrebat: de qua Strabo, Thucydides, Pauſanias, Ptolemæus. Fuit & ibidem vicus eiuſdem nominis, a quo Pellanicæ Chlenæ: quarum præſtantia fecit, vt victoribus, vt ait Eſychius, darentur: de quibus Strabo,* ἔστι δὲ καὶ κώμη πελλήνη, ὅθεν καὶ αἱ πελλήνικαι χλαῖναι. ἃς καὶ ἆθλα ἐτίθεσαν ἐν τοῖς ἀγῶσι.

Mihi heredes. *Partium meorum* Credes, *partim* Credas, *plane bona ſententia, et ad hunc locum accommodata. Nam ſubiungendi, pro imperandi modo, vſos eſſe veteres, Priſcianus etiam tradit: h ūcq; locū ex Phormione Terētij adducit: Deſinas, ſic eſt ingeniū. Cicero itē harū epiſtolarū lib.*III.*Ep.*XV. *Hic mihi ignoſcas: me enim ipſum*

*multo magis accuſo. Et lib. v. Epi. x x I. Quid opus eſt, inquam? Rationes conferatis. Nec deſunt teſtimonia, quibus probetur, etiam* credes, *hoc eſt futurum Indicatiui, pro mandatiuo vſurpari. Idem quarta ab hac epiſtola. De muro, quid opus ſit, videbis. Et epiſtola prima, libri primi. Quòd ſi uoles in me eſſe durior, ambitionem mihi putabis obſtitiſſe. Sed res eſt clariſſima. Illud tamen, quoniam cœpi, non negligendum: inſtans Imperatiui, pro Indicatiui futuro, contra vſurpatum inueniri. Nam infra lib. V I I, Ep. V I I I. de Cęſare loquens, Cedendum eſt (inquit) ſi id volet. Vide Conſulem illum iterum, quem vidiſti conſulatu priore. pro eo quod eſt, videbis.*

Antonium non venire? *Apparet Antonium ex hoc loco, triennio prouinciam tenuiſſe, cum in eam ex Conſulatu profectus fuerit, redierit autem Q. Metello Celere, L. Afranio Coſſ. quo anno hęc epiſtola ſcripta eſt, circiter Kalendas Quinctiles. Quod ei obtigiſſe arbitror, adiuuante Cicerone. Nam vt ſcribitur libro primo, prodromi Pompeiani nuntiabant, Pompeium aperte acturum, Antonio ſuccedi oportere. Succeſſum tamen non eſt, defendente vt diximus M. Tullio. Ita enim ad Sextium, Antonij tum quæſtorem. Antonium, etſi omnes eius in me officia deſiderant, tamen in Senatu, grauiſſime ac dili-*

*gentiſſime defendi: ſenatumq; vehementer oratione mea atque auctoritate commoui.*

## IN EPIST. III.

Id iudicium Atilio. *Quid Atilio cum Valerio fuit, vt illius vel gratia vel miſericordia commoti iudices, hunc abſoluerint? Nam profecto Valeriorum familia, diuerſa ab Atiliorum fuit. Quare ſuſpicabar, an melius A. filio, hoc eſt, Aulo Valerio filio legi poſſet; cuius precibus ac lacrymis, ac multo etiam magis pietati, iudicium illud condonatum fuerit. Neque verò hoc ego totum coniecturæ tantummodo, ſed etiam ſcripturæ tribuo, quæ lectionis eius veſtigium retinet nõ obſcurum. Nam exemplar Faërni,* Atilio *habet, nulla interpunctione diſtinctum; quod ego Aulo filio interpretor, vt ex ea gente fuerit, cui cognomen Calatinus fuit, quæ hoc pronomine vſa eſt. Neque hoc exemplum nouum fuit, cum Q. Cæcilius Metellus Numidicus, filij precibus ac lachrymis, ab exilio reuocatus fuerit; vnde iuueni fuit cognomen Pio. Verum hic ego, niſi de opinione, certum nihil dico.*

Etenim mihi caligæ eius. *Hic hominis laſciuia ſi notatur ex calceis, Gellij facit auctoritas, vt cogitandum ducam; num melius* Gallicæ *ſcribatur. Is enim lib. XIII. Cap. XX, Gallicas*

*videtur ſignificare, calciamenta effeminatorũ fuiſ ſe, quod Antonio a M. Tullio ſit obiectũ, Philip. 11. Etenim ſi* Caligæ *retineatur, cum militares eſſent atq; caſtrenſes, vnde C. Cæſari Caligulæ cognomen fuit: quî potuit laſciuiæ quiſquam, qui his vteretur, notari? Nam militari quidem habitu, nihil eſſe poteſt a mollitia alienius: niſi laſciuum hoc loco, non pro molli & effeminato & qui voluptatibus caperetur: ſed pro intemperante, moroſo ac delicato quiq; præ delicijs alios contemnat aut ludat: quo vitio fere ſolent beati potẽteſq; laborare. Cælius, apud Fabium. Quo modo tranſierit, vtrũ rate, an piſcatorio nauigio, nemo ſciebat. Siculi quidem vt ſunt laſciui & dicaces, aiebant in Delphino ſediſſe, & ſic tanquam Ariona traſuectũ. Atque hæc, eo magis interpretatio placet, quòd & Caligæ vt eſt in manuſcriptis omnibus, ſeruari poterit: & hæc cum ſuperioribus necti: quæ nectenda eſſe, tum* Et *coniunctio, tum verbum* Fuiſſe *declarant. Erit igitur hic ſenſus. Ego Epicratem, vt ſcribis, hoc eſt, vt tu ipſe vocas, & appellas; ſuſpicor in accuſando Valerio, moroſum ac delicatum fuiſſe: & cum ſatis cauſſæ non haberet, per delicias tamen hominem inſectatum. Quin quo id. certius de ipſius ingenio affirmare poſſimus, militaria illa calciamenta faciunt: quibus in vrbe nõ ſecus ac cretatis faſcijs vtitur,*

*communi reliquorum ciuium habitu non cõtentus nimirum vt aliquis eſſe videatur, quam ſane vanitatem ac laſciuiam, ſupra in eodẽ quoq; notauit, cum ſcripſit. Qui poterat familiaris noſter Põpeius, togulam illam pictam ſilentio tuetur ſuam. Nec vero mirum eſt Epicratẽ vocari, quem etiã Agamemnonẽ appellarent. Hæc enim apud Dionem.* πομπήϊος μὲν τοι κράτιστος τῶν ῥωμαίων νομισθεὶς, ὥστε καὶ ἀγαμέμνονα αὐτὸν ἐπικαλεῖσθαι.

Quid ſit, ſciemus cum ueneris. *Hoc de mollitia, qua in Valerium uſus fuerat, non de Caligis ac faſcijs, quod erat perſpicuum dicitur.*

Et ad ὑπόστασιν, noſtram. *Hinc ſi abeſt menda, quod uix arbitror, longe alia ratione, & fortaſſe etiam non ſua, neceſſe eſt.* ὑπόστασιν *a M. Tullio accipi, quàm a doctiſſimis græcorum vſurpata eſt. quod de illo ſuſpicari, hominis prorſus eſſet inſanientis. Quare nõ dubito, quin* ὑπόστασιν *pro* κατάστασιν *eorũ imperitia fecerit, quibus hæc uox, minus, q̃ illa audita fuerit quę tũ philoſophorũ, tũ Phyſicorũ in ore frequẽs, peruulgataq; eſt.* Καταστάσεως, *Iſocrates in Nicocle meminit his uerbis.* διαφυλάττετε τὴν παροῦσαν κατάστασιν, καὶ μηδεμιᾶς ἐπιθυμεῖτε μεταβολῆς. *Et idẽ met Cicero lib.* I I I I. *epiſt. Nos in Tuſculanum ita. Illud etiam te rogo* τὴν παροῦσαν κατάστασιν τυπώδως. *ne hoſpes iſtuc vniã. quod eſt. Rerum præſentium*

ſtatum ſummatim mihi deſcribas. Et hanc Cicero in hac epiſtola, de ſtatu ſuo tum loquitur, cum ait. Hic ſunt hæc: coniunctio mihi ſumma cum Pompeio, ſi placet, etiam cum Cæſare. & quæ ſequuntur. Poſſit & ὑπόθεσιν legi: vt cum de Rep. ſcribere initio haberet in animo; alia quædam præmiſerit cum ἐκ τοῦ παρέργου. quibus expoſitis ad id quod ſibi propoſuerat deniq; venerit.

## IN EPIST. IIII.

AT quoniam. *Maffei liber & Ant.* Aſt. Nummi potius reddantur. *In ea opinione aliquando fui, vt* Addantur *eſſet corrigendum, eo ſenſu: vt quando Titinius in eo quod oſtenderat non ſtaret, Pomponiæq;, quod male emptum eſſet, reddi non placeret, videri ſibi, ne quis eſſet ſcrupulus, ad priorem ſummam, nummorum aliquid addi. Quam meam ſuſpicionem, multis probaui. Verum, cum ea nullo veterum librorum aut recentium teſtimonio nitatur, Reddantur fero nō ignorans, ita nummos reddi, quemadmodum ſolui dici. Neque enim reddo, reſtituo ſemper ſignificat. Plautus in Pſeud. cum Pſeudulus ipſe, quo pecuniam ab Harpace militis nuntio auferret, fingit ſeſe a Lenonis familia, cui argentum mittebatur eſſe. Verum ſi dare (inquit) vis mihi, magis erit ſolutum, quàm ſi ipſi dederis. Harp. At enim*

*ſcis quid eſt? Reddere hoc non prodere herus miſit illa tamen*, Quam ut ullus ſit ſcrupulus. Addantur *adiuuant. Quid potuit enim in emptione ſcrupuli reſtare? Si non quanta Titinius peteret, ſolueretur. Nam cum ſe principio oſtendiſſet, certo pretio fore contentum, poſtea quaſi pœnitens, carius volebat vendere. Vel igitur* Addantur *legi oportet: vel ſi* Reddantur, *extrinſecus eſt addendum, quotquot præter primam ſolutionem, Titinius poſtulat: quod & vidit Manutius. Eſt etiam illud cogitandum. vtrum male empta, nimio empta interpretandum hic ſit. Nam qui venditorem queritur, in eo quod oſtenderat, non ſtare, is haud nimio emiſſe videri poteſt: quin potius Titinius, male hoc eſt: paruo vendidiſſe, quem quanti vendidiſſet, pœniteret: quem cur pœniteret nihil erat, ſi nimio vendidiſſet. Male igitur, interpretor hoc loco, paruo, et cum aliqua Titinij iactura: neq; enim male ſemper valet Nimio. Quin infra lib.* v. *epiſt.* VIII, *malum emptorem vocat, non qui nimio emerit, ſed qui ei, cuius bona venirent, parum æquus eſſet, atque amicus. Male emere igitur, tum nimio emere ſignificat, cum ad perſonam reſpicimus emptoris. Nam ad perſonam uendentis, vt hic videtur neceſſarium, referentes, paruo expo nere oportet. Quamquam ſuſpicari etiam poſſu-*

*mus, Titinium in te forſan aliena vendenda in indicando pretio, deceptum fuiſſe: vt male empta dicatur, quæ ab eo venierit, qui non eſſet dominus: vel non eo pretio, quo vendere eſſet iuſſus.*

Velim ſyrpiæ condicione. *Locus perobſcurus, & fortaſſe corruptus. Sed cum in plerique meorum, Condiciones, ita enim Maffei duo exemplaria, tum vnum Poggij & alterum Bononienſe, ſcriptum habeant, neſcio, quid mihi in mentem veniebat, de legatione Cypria, quàm ſibi Cicero expeteret. Cum enim Clodium audiſſet ad Tigranem mitti, in eam, vt fit, voluntatem fortaſſe venit, vt & ipſe in Cyprum mitteretur, ad ſanciendam fortaſſe cum eo rege ſocietatem; quo ſequenti anno extra ſortem, amandatus eſt Cato, vt regnum lege Clodia, vniuerſamq́; gazam regiam publicaret. Nam Regem Clodius, quòd ſe a piratis captum redimere noluiſſet, hac rogatione vltus eſt. Hiſtoria eſt apud Dionem lib.* XXXVIII. *potuit inquam Cicero, aliquid de legatione cogitare: ſed ſtatim ab ea mente deſtitit, commodius ſibi fore tempus illud ducens, cum Quinctus ex Aſia rediſſet, & in otio conſediſſet. verum hoc iacit obſcure, vt non pauca in his epiſtolis. Hanc tamen animi voluntatem, ſequenti proxima epiſtola, indicare videtur, cum ait.*

*Cupio equidem, & iampridem cupio, Alexandriam, reliquamq; Aegyptum viſere. Agitatũ vero tum de legatione illa a Pompeio & Cæſare fuiſſe, quæ ſequuntur, argumento ſunt. Sed hoc tempore,& ijs mittentibus, αἰδέομαι τρῶας &c. Nec obſtat, quod ibi de legatione Alexandrina, non Cypria ſermo ſit. Ambo enim & Cypri & Aegypti reges, cum fratres eſſent, vna amborum cauſſa eſſe potuit, vnaq; ad vtrunque legatio. Quare non male fortaſſe:* Velim Cypriæ conditiones. *hoc eſt, Cypriæ legationis conditiones, vel accipere, uel ex tuis litteris ſcire: vt de illa,ſi offeratur,mecum ante cõſtituere poſſim, admittenda ne ſit, an reſpuenda: certe Roma exire mirum in modum cupiebat,et ab homin um ſui ſatietate diſcedere: vt cum aliquo deſiderio reuerteretur.*

Huius peregrinationis opus extet. *Noſtri fere,* aliquod opus.

Tam dubia uita optimi cuiuſque. *Vel exclamatio,ex imminẽti muri ruina,diſcrimen ſecũ, niſi ab Attico præuiſum ꝓcautũq; fuiſſet,cogitantis atq; horrẽtis:uel eſt latinus caſus cõcomitãtię: innuiturq; periculũ,aut ex aëris aliqua graui et peſtilẽti aſpiratione,aut certe ex hoïbus,impẽdẽs: vt ex eo Cicero,puerorũ cauſſa magni faciat palatinæ domus ſeceſſũ æſtate illa:nolit tñ eos, dũ ex-*

*terna pericula declinant, incidere in domeſtica, ruinæq; timore verſari. Illud non prorſus negligendum, pro* Cenſeo tamen, *in meis pene omnibus,* vt cenſeo *legi. vt fortaſſe ſcribi poſſit,* Tu cenſeo.

## IN EPIST. V.

SED opinor excipiamus & expectemus. *Num audiamus captemus'ue, quæ de hac legatione vulgo loquantur? an exceptione excuſationeq; vtamur, ac tempus eximamus, neque plane affirmantes neque negantes? Nolebat enim Cicero properare, ſed rem ſibi integram ſeruari, dũ tempus deliberandi daretur commodius. Itaque, ſiquid (inquit) Theophanes tecum, tanquam mecum contulerit, ad legationem accipiendam me adhortans, ne omnino repudiaris. Ex his fieri iudicium poteſt, de hac legatione Ciceroni mandanda, verbum aliquod a Cęſare aut Pompeio iactatum fuiſſe: quæ ſuſpicionem de legatione Cypria noſtram, oſtendunt non prorſus inanem.*

Et iam Hercule eſt. *Antonianus, & aliquot alij* Etiam. *Quod probo: Neque enim recuſare potuit, quod non dum ei oblatum fuerat.*

Videte ciuitatem meam. *Equidem libenter acquieſcerem in Mureti coniectura, ut legeretur.* Vide leuitatem meam: *niſi illa mihi ſcrupulũ*

*inijcerent, quæ ſequuntur :* Sed quid ego hæc? *vbi* ἐπανόρθωσις *incipit, ſe ipſum caſtigantis. Fuit enim dicturus Cicero : Nam quid ego aut, Quid enim ego hæc &c. in quibus lenitatis ratio eſſet. ſed hæc videbunt doctiores. & tamen hominis iudicium non contemno.*

## IN EPIST. VI.

NAM ad lacertas captandas &c. *Mihi videtur Cicero oſtendere voluiſſe, ſe adeo relaxato eſſe animo, adeoq; abhorrente a ſcribendo : vt ne modo aliquid pangeret, mallet interdum vel fluctus numerare, vel etiam lacertas, more puerorum, ſi idoneæ tempeſtates fuiſſent, captare. Lacertas vero ſerpentum illud genus intelligo, quod Plinius ait libro* XXIX. *Cap.* V. *alios Sepa, alios Chalcidem uocare: omnibus notiſſimũ. Quod ſi id, nullum in uſum fieri videatur, cogitare debemus, quid Fluctuum enumeratio præſtaret : Quanquam, non id ab eo ſcribitur, quaſi vel illud iam faceret, vel, hoc idonea tempeſtate eſſet facturus : ſed ut oſtenderet, quàm, tum otium, cuius fructus eſt, ut idem ait, non contentio animi, ſed relaxatio : eſſet amplexus. Non diſſimili ratione atque exemplo uſus eſt, in* II. *de Oratore, cum Lælij ac Scipionis, ſi quãdo ruſticarentur, animi remiſſionem deſcriberet : ſic enim ibi. Sæpe ex ſocero meo audiui, cum is diceret, ſocerum ſuũ*

*Lælium ſemper fere cum Scipione ſolitum ruſticari: eosq; incredibiliter repuęraſcere eſſe ſolitos, cum rus ex vrbe, tanquam ex vinculis euolaſſent. Non audeo dicere de talibus viris, ſed tamen ita ſolebat narrare Scęuola, conchas eos & vmbilicos ad Caietam & ad Lucrinam, legere conſueuiſſe: & ad omnem animi remiſſionem ludumque deſcendere.*

An hic Antij confidam. *Faërni liber*, An hic, an Antij. *Venuſtius in alio*, Hic an Antij: *Nam hoc Cicero cum ſcriberet, Antij nõ videtur fuiſſe: ſed vel in ſaltu Terentiæ, quo ſe primũ contulerat, Roma diſcedens: vel in aliquo prædio Antiate. Quin paulo ante:* Itaque (inquit) aut libris *me delecto, quorũ habeo Antij feſtiuã copiã &c. hic potius dicturus, ſi Antij fuiſſet. Nec me illa mouent; Proxima eſt, illi municipio hæc Antiatũ ciuitas: nam cum multo propius abeſſet ab ea Cicero, quàm Atticus, ita loqui debuit. Quanquã fieri etiam poteſt, vt* Antij *gloſſa ſit, illius Hic.*

Vbi quidem ego mallem diu nimirum. *Iacent hæc ſcilicet: Quid enim ſibi uolunt, Quidem nimirum? Quid Diu fuiſſe? In Antoniano,* Duum uirum, *& quidem articulate: vt non dubie* Duum uir *emẽdari poſſit, illo ſenſu, Vbi quidem ego mallem Duumuir, quàm Romæ Conſul fuiſſe. quanquam nec Duumuirum, vſus ſcriptorum reijcit, per defectum pronominis. Q. Cice. de*

*petit. Conſ. Siquis tibi ſe purgare uolet, quòd ſuſpectum eſſe arbitretur &c.* Erant *autem hoc Duumuiri in Colonijs ac municipijs, quod Romæ Conſules. Nam & Capuæ, cum eò Colonia deducta eſt, Duumuiros Cn. Pompeiũ Magnum, & L. Piſonem creatos fuiſſe, ex oratione poſt reditum in Senatu, facile intelligimus. Similem cõtinet ſententiam, quod eſt, lib.* I I I. *Epiſt.* I X, *hunc in modum ſcriptũ. Hic litteris ſuſtentor ac recreor: in aloq; in illa tua ſeducula, quem habes ſub imagine Ariſtotelis ſedere, quàm in iſtorum ſella curuli.*

Vnum eſſe ſaluum uelit. *Miratur Cicero loci huius felicitatem, & ad bene beateq; viuendũ oportunitatem: qui cum tam prope Romam eſſet, nemo tamen ibi reperiretur, qui unquam vidiſſet Vatiniũ: dicturusq; uidebatur, Quiq; ſciat, ulli ne uiginti uiri omnino eſſent: ſed ita uerba contaminata ſunt, vt nihil dicat. Maffei liber unus, atque alij nonnulli, pro* unum, Viuum *habet:* Saluum *prorſus non habent: vt locus ita legi poſſe uideatur. Qui quenquam ex* x x *viris, viuum eſſe nouerit, hoc eſt, qui ſciat, an quiſquam omnino ſit: ſatis bona ſententia, ſi quod uerbum inueniretur, cũ* Velit *magis conueniens.*

Itaque ἀνέκδοτα a nobis. *Quæ fuerint ἀνέκδοτα, quid'ue continuerint, paucis adhuc notum eſſe uideo. Ego librum arbitror ſignificari illum, quem M. Tullius, honeſtiſſimo*

*quidem nomine de ſuis conſilijs inſcripſerat, ſed re uera in eo illud egit, ut ſceleratos ciues ulciſceretur, & ad annos ſexcentos, quid ipſe in Rep. quid illi ſenſiſſent, teſtatum legeretur. Nanque in eos acerbiſſime eſt inuectus. Quod ne uel ſibi, uel Marco filio, fraudi aliquando eſſet, librum obſignatum occultatumq́; eſſe uoluit, non modo ſe, ſed filio quoque uiuente. Et id eſſe arbitror, quod hic* ἀνέκδοτον *uocat, uniq́; Attico tanquam uni ſibi, legi uult. de quo ſic Dio libro unde quadrageſimo.* Βιβλίον μὲν τοι τὶ ἀπόῤῥητον συνέθηκε, καὶ ἐπεὶ ἐπέγραψεν αὐτό, ὡς καὶ περὶ τῶν ἑαυτοῦ βουλευμάτων, ἀπολογισμόν τινα ἔχοντι. πολλὰ δὲ δὴ καὶ δεινὰ ἐς αὐτὸ καὶ περὶ ἐκείνων, καὶ περὶ ἄλλων τινῶν συνήνεσε. καὶ διὰ τοῦτο φοβηθεὶς, μὴ καὶ ζῶντος αὐτοῦ ἐκφοιτήσει, κατεσημήνατο τότε αὐτό, καὶ παρέδωκε τῷ παιδὶ, προστάξας οἱ, μήτ' ἀναγνῶναι, μήτε δημοσιεῦσαι τὰ γεγραμμένα πρὶν ἂν μεταλλάξῃ. *Quæ ſiquis conferat cum his, quæ uel hic a Cicerone, uel libro* XIIII. *epiſtola a fine ſeptima, ad hunc ipſum ſcribit, non aberit longe, meo quidem animo, quin mecum ſentiat. Et cuiuſmodi ſint, quæ hic traduntur: perſpicua debent eſſe cuiuis, hanc paginam tenenti: illa, quòd abſunt longius, præuertenda ſunt: & ſunt huiuſmodi. Librum meum illum* ἀνέκδοτον, *nondum ut uolui perpoliui. Iſta verò quæ tu attexi vis, aliud quoddam ſeparatum*

Dionis locus illuſtrat⁹.

volumen expectant. Ego autem, (credas mihi velim) minore periculo exiſtimo, contra illas nefarias peſtes, uiuo tyranno dici potuiſſe, quàm mortuo. Ille enim neſcio quo pacto, ferebat me quidem mirabiliter: nunc quacunque nos commouimus, ad Cæſaris non modo acta, verum etiam cogitata reuocamur. Apparet igitur ex his duobus locis, quale nam fuerit argumentum libri huius, ἀνεκδότων, quem Theopompino genere, atque etiam multo aſperiore conſcripſerit, contra nefarias peſtes ſuorum temporum: quamq́; cum his conueniant, quæ de libro conſiliorum Dio commemorat: quem etiam ἀπόρρητον vocat, nomine idem fere ſignificante, quod ἀνέκδοτον Ciceronis: vt mihi quidem dubium iam non ſit, vnum fuiſſe librum: aut quid attinuit, una atque eadem de re, plures ac diuerſos conficere, quos omnes ſuppreſſos & quaſi ſepultos teneret? Prorſus unum eſſe puto, quem hic, non ab inſcriptione, quæ fuit de ſuis conſilijs, ut ex Dione oſtendimus, oſtendemus ex Aſconio: ſed ex ſuo conſilio, quod fuerat, ad certam diem non edendi, ἀνέκδοτον uocauit. Aſconij locus eſt in toga candida hic ſcilicet. Aut C. Cæſaris, aut M. Craſſi domum ſignificat. Etenim acerrimi ac potentiſſimi fuerunt Ciceronis refragatores, cum petijt Conſulatum, quòd eius in dies ciuilem creſcere dignitatem, animaduerte-

bant: & hoc ipſe Cicero in expoſitione ſuorum conſiliorum ſignificat: eius quoque coniurationis, quæ Cotta & Torquato Coſ. ante annum, quàm hæc dicerentur, facta eſt a Catilina & Piſone, arguit M. Craſſum auctorẽ fuiſſe. Sic ille Dioni conſentanee. Vnus ille ſcrupulus reſtat, quod Dio ibidem tradit librum illum, poſt reditũ ab exilio ſcriptum fuiſſe, cum hæc epiſtola, multo ante exilium ſcripta ſit. Hunc nos ſcrupulum, ita uidemur poſſe eximere; ſi dicamus, Cauſſæ nihil eſſe, quò minus liber ſcribi cœptus ſit, hoc ipſo tẽpore, perq́; annos complures habitum in manibus, aliudq́; alio tempore vt fit, vt quidq́; accidebat iniectum. Sed neque hic Cicero ſignificat ſe ſcripſiſſe, ſed habere in animo: quod poſt reditum præſtare potuit. Quid ni enim? Atque hæc hactenus. Theopompum uero; utrũ exiſtimemus intelligi oportere Comicum ne illum, de quo Suidas qui tametſi feſtiuus eſſet, & τῶν ἐν παιδείᾳ προμηθὴς, antiquæ tamen comœdiæ ſcriptor fuit? quę ut ille ait.

Siquis erat dignus deſcribi, quòd malus aut fur
Quòd mœchus foret aut ſicarius aut alioqui
Famoſus: multa cum libertate notabat.

Et ridentem dicere uerum Quid vetat? An potius hiſtoriæ ſcriptorem? Siquidem & hunc in ſuorum temporum ſcriptores inuehi ſolitum eſſe, & Lucianus, & Aemilius Probus, & Dionyſius, initio ſuarum hiſtoriarũ tradunt. Nec obſue-

rit tamen interea, ſuperiora Dionis uerba, quæ corrupta ſunt, ad meliorem formam, ſi fieri poſſit, redigere: non ſane exemplarium auxilio, quæ nulla habemus, ſed iudicij. Quis enim non videat, eo in loco, ἐπεὶ ἐπέγραψεν ἐπεὶ; abundare, errore ſcribarum ut mea fert opinio, qui ἔγραψεν in fine verſus. vt ſuſpicari libet, ſcripturi, deficiente ſpacio, cum ἐπε, feciſſent: eius quaſi obliti, rurſum ab nouo exordio, non γράψεν quod erat reliquum, ſed ἐπέγραψεν fecerint, ἐπε non inducto. quod poſtea alij item litterarum ignari, vt ſincerum retinentes, in ἐπεὶ, mutarint? Sed & mox, importune addita uidentur, ὡς καὶ. & paulo poſt, τῶν, ante βουλευμάτων, cum vnum ſufficiat. & ab ἔχοντι, τι eſſe reſcindendũ, vt cõgruat cũ βιβλίον, ἔχόνq; legendũ. deniq; paucis interiectis, pro συνήνεσε, συνενήνησε, a uerbo νηνέω, qđ cõgrego ſignificat, quoq; Homerus eſt uſus, Odyſ. ι. ſubſtituẽdũ; ut dicat M. Tullium, in eũ librũ multa & grauia cõtuliſſe. Nã συνήνεσε, ad hunc locum non facit.

Ecquæ ſpes ſit denarij, an Ciſtophoro &c. Manuſcripti omnes, & quæ. non minus eleganter, ſed a uulgata non recedo. Porro Ciſtophorum Aſiatica pecunia octonis fere aſſibus æſtimabatur. Nam Feſtus Pompeius, de talento Euboico ſcribens, Euboicum (inquit) talentum; nummo Græco, ſeptem millium, & quingentorũ ciſtophorûm eſt: noſtro quatuor milliũ denariorũ.

*Si ergo Ciſtophorûm ſeptem millia quingenta, denariûm quatuor millia conficiebant; conſtat Ciſtophori pretium, denarij dimidium, aut paulo plus fuiſſe: Porro denarius initio, cum* X *æris ualuiſſet, nouiſſimeq; aucto argenti pretio,* XVI, *æſtimatus ſit: Ciſtophorum neceſſe eſt octonum aſſium, ut diximus, atque aliquanto amplius fuiſſe.*

## IN EPIST. VII.

ORATIONES a me autem duas &c. *Poggij liber, tres Maffei, atq; Ant.* Orationes autē me duas poſtulas: *Vtrūq; rectū: ſed collocatione uerborū, quod eſt in manuſcriptis melius.*

Non libebat mihi ſcribere, quia abſciderām. *Quidam* reſcribere *malunt, quam ante abſciderit. Mihi* Abſcideram *potius eſt ſuſpectum; propterea quod; Concerpere, Incidere epiſtolam dicimus, & orationem & poëma: abſcindere an dicatur, haud equidem ſcio. Sed & manuſcripti quidam* Abſciram, *aut* Abſtiram, *nulla ſententia; alij* abſueram *habent, incerta ſententia: niſi illud ſpectauit Cicero: ſibi eo minus laborem illum ſcribendarum orationum, ſuſcipiendum, quod abſens eſſet: nec ullius poſcentis præſentia urgeretur, a quo iniret gratiam. Exiſtimandum uero eſt, ſuas orationes Ciceronem, adoleſcentium ſæpe ſtudio, ut ipſe ait, non raro illorum hominum, pro quibus habitæ illæ fuerant, ambitione ductum, ſcripſiſſe, atque edidiſſe.*

*Et tamen abſcideram, non abiudico.*

Qui cum in domo Cæſaris &c. *Animaduerti in vno atque altero meorum, nempe Antoniano atque Maffei,* domo *non eſſe. Quod etſi operarũ uitio accidere potuit, duorum tamen exẽplarium conſenſum, non plane duco ſpernendum; præſertim cum eclipſes huiuſmodi apud hunc ipſum deprehendantur: quales ſunt in ſcapulæ: per locuſtę: in quibus, cur facilius, hortos & fundum deſiderari patiamur, quàm hic Domo, non ſane video. eoq; minus, quo non difficilius hic, quid deſit intelligitur, quàm ibi. Iocatur autem Cicero, fallaci quadam a maiori ad minus collatione: quia ſi vnuſuir Clodius fuit in ſacris Bonæ Deæ, cur in* XX *viris eſſe nõ poſſit agris diuidendis? Et lunčte vnuſuir ita legẽdum eſt, vt Duumuir, Triumuir: ſane contumelioſe tractatur. Eſt enim contumelia, cum quis ſuis voluptatibus, ſuiſq; commodis, per alterius iniuriam atque dedecus conſulit.* Contumelia.

Druſo vt opinor Piſaurens. *Legitur &* Piſaurenſis. *Sed ridiculum eſt credere, vllam legationem aut Piſaurũ fuiſſe, aut Piſaurenſi cuiquam demandatam. Quidquid alij ſuſpicentur, mihi videtur* Iſaurenſis *legi poſſe, nimirum ad Iſauros, qui erant Ciliciæ populi in primis nobiliſſimi, & opulentiſſimi: quos P. Seruilius Vacia cum viciſſet, Iſaurici cognomen adeptus eſt: Liuij Epitoma lib.* XCIII. *Velleius lib.* II. *Cicero Ver-*

*rina* III. *Pedianus & alij.*

Incende hominem amabo te, quoad potes. *In meis omnibus ſine diſcrepantia* Quod potes. *Vulgatam lectionem non improbo: ſed hæc eo fortaſſe melior, quòd conatus quidam potius a Cicerone: hoc eſt* καθότι, *aut* καθόσον *aut* ὅτι, πλῆσον *: id quod ualet Quod, quàm tempus, id eſt quouſque aut Quamdiu, quæ duo, Quoad ſonat, ſignificatur. Ita etiam infra lib.* V. *Epiſt. prima: De ſatiſdando vero te rogo, quoad eris Romæ, tu ut ſatiſdes. De quod verò, pro quatenus, itidem ſupra ad eundem. Nunc uero cenſeo, quòd commodo tuo facere poteris, uenias ad id tempus, quod ſcribis. Et Terentius. Hæc omnia confingã, quod erit mihi bonum atque commodum. Item alibi. Munus noſtrum ornato uerbis, quod potes: & iſtum æmulum, quod poteris ab ea pellito.*

Megabocchus & hæc ſanguinaria iuuentus, eſt inimiciſsima. *Si odia inter Pompeium & iuuentutem ſignificantur, inimiciſſimi ſunt, dicendum fuiſſe uidetur. Vix enim audeam dicere, Clodius & Cicero eſt inimiciſſimus. Et tamen pro Rabirio. Nam cum exiſterent non nullæ, ſed perpaucæ tamen ſententiæ, quæ cenſerent, ut Tribuni & Præfecti, ut comites omnes magiſtratuum, hac lege tenerentur: uos, uos inquam ipſi, & Senatus frequens reſtitit. Sic ſupra dixit: Catone & Domitio poſtulante: puto græcos, imitatus, qui*

*duo uel plura nomina, uni uerbo ſingulari coniungunt, ut Ariſtoteles Ethicorum lib.* v. τί δὲ διαφέρει ἡ ἀρετὴ ϗ δικαιοσύνη, αὕτη δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων. *Et multo manifeſtius in primo de generatione animalium.* ἔοικε δὲ τὴν μορφὴν, γυνὴ ϗ παῖς. ἀντὶ τοῦ ἐοίκασιν. *Contra, non minus fortaſſe clare Plautus in Pſeudulo. Iamdiu, ego huic bene, & hic mihi uolumus.*

Non abiectis, ſed ereptis. *Plerique habent* Receptis. *non nulli tamen* Ereptis, *ut Antonianus & Maffei unus. utrũ uerius, alij diiudicent.*

Non ad ſororem tuam H S XXX. *Mea illa ſemper ſentẽtia fuit: nunquam inueniri aliquid perplexius in Cicerone, quin iure ſuſpectum eſſe debeat. Quod nunc mihi in hoc loco uſuuenit, ſenſum uerborum attentius reputanti: qui profecto uel nullus eſt, uel alienus. Ad me (inquit) ſcripſerat Q. H-S* ƆIↃ CCIↃↃ IↃↃↃ, *non ad ſororẽ tuã* H-S XXX. *Quid poſteriori mẽbro cũ priore? Itaque placebat* Nunc *pro* Non, *repoui: ut queratur ſibi aliter atq; ad Põponiã, de pecunijs caſtritianis ſcriptũ fuiſſe: Quanquam prior ille numerus, in exẽplari Car. mei, Faerni, Poggij atque aliquod alijs nõ parũ diuerſus eſt. Et ut de ueritate nihil ſtatuã, tamen explicatior is, quàm uulgatus uidetur, & ad numerãdi naturã accedens propius. Ita enim habent.* CCIↃↃ IↃↃ. *hoc eſt, quindecim millia, quadruplo minor ſumma quàm illa.*

*mus, Titinium in te forſan aliena vendenda in indicando pretio, deceptum fuiſſe: vt male empta dicatur, quæ ab eo venierit, qui non eſſet dominus: vel non eo pretio, quo vendere eſſet iuſſus.*

Velim ſyrpiæ condicione. *Locus perobſcurus, & fortaſſe corruptus. Sed cum in plerique meorum*, Condiciones, *ita enim Maffei duo exemplaria, tum vnum Poggij & alterum Bononienſe, ſcriptnm habeant, neſcio, quid mihi in mentem veniebat, de legatione Cypria, quàm ſibi Cicero expeteret. Cum enim Clodium audiſſet ad Tigranem mitti, in eam, vt fit, voluntatem fortaſſe venit, vt & ipſe in Cyprum mitteretur, ad ſanciendam fortaſſe cum eo rege ſocietatem; quo ſequenti anno extra ſortem, amandatus eſt Cato, vt regnum lege Clodia, vniuerſamq; gazam regiam publicaret. Nam Regem Clodius, quòd ſe a piratis captum redimere noluiſſet, hac rogatione vltus eſt. Hiſtoria eſt apud Dionem lib.* XXXVIII. *potuit inquam Cicero, aliquid de legatione cogitare: ſed ſtatim ab ea mente deſtitit, commodius ſibi fore tempus illud ducens, cum Quinctus ex Aſia rediſſet, & in otio conſediſſet. verum hoc iacit obſcure, vt non pauca in his epiſtolis. Hanc tamen animi voluntatem, ſequenti proxima epiſtola, indicare videtur, cum ait.*

*Cupio equidem, & iampridem cupio, Alexandriam, reliquamq́; Aegyptum viſere. Agitatũ vero tum de legatione illa a Pompeio & Cæſare fuiſſe, quæ ſequuntur, argumento ſunt. Sed hoc tempore, & ijs mittentibus, αἰδέομαι τρῶας &c. Nec obſtat, quod ibi de legatione Alexandrina, non Cypria ſermo ſit. Ambo enim & Cypri & Aegypti reges, cum fratres eſſent, vna amborum cauſſa eſſe potuit, vnaq́; ad vtrunque legatio. Quare non male fortaſſe:* Velim Cypriæ conditiones. *hoc eſt, Cypriæ legationis conditiones, vel accipere, uel ex tuis litteris ſcire: vt de illa, ſi offeratur, mecum ante cõſtituere poſſim, admittenda ne ſit, an reſpuenda: certe Roma exire mirum in modum cupiebat, et ab homin um ſui ſatietate diſcedere: vt cum aliquo deſiderio reuerteretur.*

Huius peregrinationis opus extet. *Noſtri fere*, aliquod opus.

Tam dubia uita optimi cuiuſque. *Vel exclamatio, ex imminẽti muri ruina, diſcrimen ſecũ, niſi ab Attico præuiſum ꝓcautũq́; fuiſſet, cogitantis atq; horrẽtis: uel eſt latinus caſus cõcomitãtię: innuiturq́; periculũ, aut ex aëris aliqua graui et peſtilẽti aſpiratione, aut certe ex hoĩbus, impẽdẽs: vt ex eo Cicero, puerorũ cauſſa magni faciat palãtinæ domus ſeceſſũ æſtate illa: nolit tñ eos, dũ ex-*

*terna pericula declinant, incidere in domeſtica, ruinæq; timore verſari. Illud non prorſus negligendum, pro* Cenſeo tamen, *in meis pene omnibus,* vt cenſeo *legi. vt fortaſſe ſcribi poſſit,* Tu cenſeo.

## IN EPIST. V.

SED opinor excipiamus & expectemus. *Num audiamus captemus'ue, quæ de hac legatione vulgo loquantur? an exceptione excuſationeq; vtamur, ac tempus eximamus, neque plane affirmantes neque negantes? Nolebat enim Cicero properare, ſed rem ſibi integram ſeruari, dũ tempus deliberandi daretur commodius. Itaque, ſiquid(inquit)Theophanes tecum,tanquam mecum contulerit, ad legationem accipiendam me adhortans, ne omnino repudiaris. Ex his fieri iudicium poteſt, de hac legatione Ciceroni mandanda, verbum aliquod a Cęſare aut Pompeio, iactatum fuiſſe: quæ ſuſpicionem de legatione Cypria noſtram, oſtendunt non prorſus inanem.*

Et iam Hercule eſt. *Antonianus, & aliquot alij* Etiam. *Quod probo: Neque enim recuſare potuit, quod non dum ei oblatum fuerat.*

Videte ciuitatem meam. *Equidem libenter acquieſcerem in Mureti coniectura, ut legeretur.* Vide leuitatem meam *: niſi illa mihi ſcrupulũ*

*inijcerent*

*inijcerent, quæ ſequuntur :* Sed quid ego hæc? *vbi* ἐπανόρθωσις *incipit, ſe ipſum caſtigantis. Fuit enim dicturus Cicero : Nam quid ego aut, Quid enim ego hæc &c. in quibus lenitatis ratio eſſet. ſed hæc videbunt doctiores. & tamen hominis iudicium non contemno.*

## IN EPIST. VI.

NAM ad lacertas captandas &c. *Mihi videtur Cicero oſtendere voluiſſe, ſe adeo relaxato eſſe animo, adeoq; abhorrente a ſcribendo : vt ne modo aliquid pangeret, mallet interdum vel fluctus numerare, vel etiam lacertas, more puerorum, ſi idoneæ tempeſtates fuiſſent, captare. Lacertas vero ſerpentum illud genus intelligo, quod Plinius ait libro* XXIX. *Cap.* V. *alios Sepa, alios Chalcidem uocare: omnibus notiſſimũ. Quod ſi id, nullum in uſum fieri videatur, cogitare debemus, quid Fluctuum enumeratio præſtaret; Quanquam, non id ab eo ſcribitur, quaſi vel illud iam faceret, uel, hoc idonea tempeſtate eſſet facturus : ſed ut oſtenderet, quàm, tum otium, cuius fructus eſt, ut idem ait, non contentio animi, ſed relaxatio : eſſet amplexus. Non diſſimili ratione atque exemplo uſus eſt, in* II. *de Oratore, cum Lælij ac Scipionis, ſi quãdo ruſticarentur, animi remiſſionem deſcriberet : ſic enim ibi. Sæpe ex ſocero meo audiui, cum is diceret, ſocerum ſuũ*

*Lælium ſemper fere cum Scipione ſolitum ruſticari: eosq́; incredibiliter repuerаſcere eſſe ſolitos, cum rus ex vrbe, tanquam ex vinculis euolaſſent. Non audeo dicere de talibus viris; ſed tamen ita ſolebat narrare Scæuola, conchas eos & vmbilicos ad Caietam & ad Lucrinam, legere conſueuiſſe: & ad omnem animi remiſſionem ludumque deſcendere.*

An hic Antij confidam. *Faërni liber*, An hic, an Antij. *Venuſtius in alio*, Hic an Antij. *Nam hoc Cicero cum ſcriberet, Antij nō videtur fuiſſe: ſed vel in ſaltu Terentiæ, quo ſe primū contulerat, Roma diſcedens: vel in aliquo prædio Antiate. Quin paulo ante:* Itaque *(inquit) aut libris me delecto, quorū habeo Antij feſtiuā copiā &c. hic potius dicturus, ſi Antij fuiſſet. Nec me illa mouent; Proxima eſt, illi municipio hæc Antiatū ciuitas: nam cum multo propius abeſſet ab ea Cicero, quàm Atticus, ita loqui debuit. Quanquā fieri etiam poteſt, vt* Antij *gloſſa ſit, illius Hic.*

Vbi quidem ego mallem diu nimirum. *Iacent hæc ſcilicet: Quid enim ſibi uolunt, Quidem nimirum? Quid Diu fuiſſe? In Antoniano,* Duum uirum, *& quidem articulate: vt non dubie* Duum uir *emēdari poſſit, illo ſenſu, Vbi quidem ego mallem Duumuir, quàm Romæ Conſul fuiſſe. quanquam nec Duumuirum, vſus ſcriptorum reijcit, per defectum pronominis. Q. Cice. de*

*petit. Conſ. Siquis tibi ſe purgare uolet, quòd ſuſpe ctum eſſe arbitretur &c.* Erant autem hoc *Duumuiri in Colonijs ac municipijs, quod Romæ Conſules. Nam & Capuæ, cum eò Colonia deducta eſt, Duumuiros Cn. Pompeiũ Magnum, & L. Piſonem creatos fuiſſe, ex oratione poſt reditum in Senatu, facile intelligimus. Similem cõtinet ſententiam, quod eſt, lib. I I I I. Epiſt. I X, hunc in modum ſcriptũ. Hic litteris ſuſtentor ac recreor: maloq; in illa tua ſeducula, quem habes ſub imagine Ariſtotelis ſedere, quàm in iſtorum ſella curuli.*

Vnum eſſe saluum uelit. *Miratur Cicero loci huius felicitatem, & ad bene beateq; viuendũ oportunitate: qui cum tam prope Romam eſſet, nemo tamen ibi reperiretur, qui unquam vidiſſet Vatiniũ: dicturuſq; uidebatur, Quiq; ſciat, ulli ne uiginti uiri omnino eſſent: ſed ita uerba contaminata ſunt, vt nihil dicat. Maffei liber unus, atque alij nonnulli, pro* unum, Viuum *habet:* Saluum *prorſus non habent: vt locus ità legi poſſe uideatur. Qui quenquam ex* x x *viris, viuum eſſe nouerit, hoc eſt, qui ſciat, an quiſquam omnino ſit: ſatis bona ſententia, ſi quod uerbum inueniretur, cũ* Velit *magis conueniens.*

Itaque ἀνέκδοτα a nobis. *Quæ fuerint ἀνέκδοτα, quid'ue continuerint, paucis adhuc notum eſſe uideo. Ego librum arbitror ſignificari illum, quem M. Tullius, honeſtiſſimo*

quidem nomine de ſuis conſilijs inſcripſerat, ſed re
uera in eo illud egit, vt ſceleratos ciues ulciſcere-
tur; & ad annos ſexcentos, quid ipſe in Rep.
quid illi ſenſiſſent, teſtatum legeretur. Nanque
in eos acerbiſſime eſt inuectus. Quod ne uel ſibi,
uel Marco filio, fraudi aliquando eſſet, librum
obſignatum occultatumq; eſſe uoluit, non modo
ſe, ſed filio quoque viuente. Et id eſſe arbitror,
quod hic ἀνέκδοτον uocat, uniq; Attico tanquam
uni ſibi, legi uult. de quo ſic Dio libro unde qua-
drageſimo. Βιβλίον μέν τοι τὶ ἀπόῤῥητον συνέθη-
κε, καὶ ἐπεὶ ἐπέγραψεν αὐτὸ, ὡς καὶ περὶ τῶν ἑαυ-
τοῦ τῶν βουλευμάτων, ἀπολογισμόν τινα ἔχοντι.
πολλὰ δὲ δὴ καὶ δεινὰ ἐς αὐτὸ καὶ περὶ ἐκείνων, καὶ
περὶ ἄλλων τινῶν συνένησε. καὶ διὰ τοῦτο φοβη-
θεὶς, μὴ καὶ ζῶντος αὐτοῦ ἐκφοιτήσει, κατεσημήνα-
τό τε αὐτὸ, καὶ παρέδωκε τῷ παιδὶ, προστάξας
οἱ, μήτ᾽ ἀναγνῶναι, μήτε δημοσιεῦσαι τὰ γεγραμ-
μένα πρὶν ἂν μεταλλάξῃ. Quæ ſiquis conferat
cum his, quæ uel hic a Cicerone, uel libro XIIII.
epiſtola a fine ſeptima, ad hunc ipſum ſcribit, non
aberit longe, meo quidem animo, quin mecum
ſentiat. Et cuiuſmodi ſint, quæ hic traduntur:
perſpicua debent eſſe cuiuis, hanc paginam tenen
ti: illa, quòd abſunt longius, præuertenda ſunt:
& ſunt huiuſmodi. Librum meum illum ἀνέκ-
δοτον, nondum vt uolui perpoliui. Iſta verò
quæ tu attexi vis, alind quoddam ſeparatum

Dionis locus illuſtratꝰ.

*volumen expectant. Ego autem, (credas mihi velim) minore periculo exiſtimo, contra illas nefarias peſtes, uiuo tyranno dici potuiſſe, quàm mortuo. Ille enim neſcio quo pacto, ferebat me quidem mirabiliter: nunc quacunque nos commouimus, ad Cæſaris non modo acta, verum etiam cogitata reuocamur. Apparet igitur ex his duobus locis, quale nam fuerit argumentum libri huius, ἀνεκδότων, quem Theopompino genere, atque etiam multo aſperiore conſcripſerit, contra nefarias peſtes ſuorum temporum: quamq; cum his conueniant, quæ de libro conſiliorum Dio commemorat: quem etiam ἀπόῤ-ῥητον vocat, nomine idem fere ſignificante, quod ἀνέκδοτον Ciceronis: vt mihi quidem dubium iam non ſit, vnum fuiſſe librum: aut quid attinuit, una atque eadem de re, plures ac diuerſos conficere, quos omnes ſuppreſſos & quaſi ſepultos teneret? Prorſus unum eſſe puto, quem hic, non ab inſcriptione, quæ fuit de ſuis conſilijs, ut ex Dione oſtendimus, oſtendemus ex Aſconio: ſed ex ſuo conſilio, quod fuerat, ad certam diem non edendi, ἀνέκδοτον uocauit. Aſconij locus eſt in toga candida hic ſcilicet. Aut C. Cæſaris, aut M. Craſſi domum ſignificat. Etenim acerrimi ac potentiſſimi fuerunt Ciceronis refragatores, cum petijt Conſulatum, quòd eius in dies ciuilem creſcere dignitatem, animaduerte-*

bant: & hoc ipſe Cicero in expoſitione ſuorum conſiliorum ſignificat: eius quoque coniurationis, quæ Cotta & Torquato Coſ. ante annum, quàm hæc dicerentur, facta eſt a Catilina & Piſone, arguit M. Craſſum auctoré fuiſſe. Sic ille Dioni conſentanee. Vnus ille ſcrupulus reſtat, quod Dio ibidem tradit librum illum, poſt reditũ ab exilio ſcriptum fuiſſe, cum hæc epiſtola, multo ante exilium ſcripta ſit. Hunc nos ſcrupulum, ita uidemur poſſe eximere; ſi dicamus, Cauſſæ nihil eſſe, quò minus liber ſcribi cœptus ſit, hoc ipſo tẽpore, perq́; annos complures habitum in manibus, aliudq́; alio tempore vt fit, vt quidq́; accidebat iniectum. Sed neque hic Cicero ſignificat ſe ſcripſiſſe, ſed habere in animo: quod poſt reditum præſtare potuit. Quid ni enim? Atque hæc hactenus. Theopompum uero, utrũ exiſtimemus intelligi oportere Comicum ne illum, de quo Suidas qui tametſi feſtiuus eſſet, & τῶν ἐν παιδείᾳ προμηθὴς, antiquæ tamen comædiæ ſcriptor fuit? quę ut ille ait.

Siquis erat dignus deſcribi, quòd malus aut fur
Quòd mœchus foret aut ſicarius aut alioqui
Famoſus: multa cum libertate notabat.

Et ridentem dicere uerum Quid vetat? An potius hiſtoriæ ſcriptorem? Siquidem & hunc in ſuorum temporum ſcriptores inuehi ſolitum eſſe, & Lucianus, & Aemilius Probus, & Dionyſius, initio ſuarum hiſtoriarũ tradunt. Nec obfue-

*rit tamen interea, ſuperiora Dionis uerba, quæ corrupta ſunt, ad meliorem formam, ſi fieri poſſit, redigere: non ſane exemplarium auxilio, quæ nulla habemus, ſed iudicij. Quis enim non videat, eo in loco, ἐπεὶ ἐπέγραψεν ἐπεὶ; abundare, errore ſcribarum ut mea fert opinio, qui ἔγραψεν in fine verſus. vt ſuſpicari libet, ſcripturi, deficiente ſpacio, cum ἐπε, feciſſent: eius quaſi obliti, rurſum ab nouo exordio, non γραψεν quod erat reliquum, ſed ἐπέγραψεν fecerint, ἐπε non inducto. quod poſtea alij item litterarum ignari, vt ſincerum retinentes, in ἐπεὶ, mutarint? Sed & mox, importune addita uidentur, ὡς καὶ. & paulo poſt, τῶν, ante βουλευμάτων, cum vnum ſufficiat. & ab ἔχοντι, τι eſſe reſcindendũ, vt cõgruat cũ βιβλίον, ἐχόνq; legendũ. deniq; paucis interiectis, pro συνώνεσε, συνενήνησε, a uerbo νηνέω, q̃ cõgrego ſignificat, quoq́; Homerus eſt uſus, Odyſ. ι. ſubſtituẽdũ; ut dicat M. Tullium, in eũ librũ multa & grauia cõtuliſſe. Nã συνώνεσε, ad hunc locum non facit.*

Ecquæ ſpes ſit denarij, an Ciſtophoro &c. *Manuſcripti omnes, &* quæ. *non minus eleganter, ſed a uulgata non recedo. Porro Ciſtophorum Aſiatica pecunia octonis fere aſſibus æſtimabatur. Nam Feſtus Pompeius, de talento Euboico ſcribens, Euboicum (inquit) talentum, nummo Græco, ſeptem millium, & quingentorũ ciſtophorum eſt: noſtro quatuor milliũ denariorũ.*

*Si ergo Ciſtophorûm ſeptem millia quingenta, denariûm quatuor millia conficiebant; conſtat Ciſtophori pretium, denarij dimidium, aut paulo plus fuiſſe. Porro denarius initio, cum* x *æris ualuiſſet, nouiſſimeq; aucto argenti pretio*, xvi, *æſtimatus ſit: Ciſtophorum neceſſe eſt octonum aſſium, ut diximus, atque aliquanto amplius fuiſſe.*

## IN EPIST. VII.

Orationes a me autem duas &c. *Poggij liber, tres Maffei, atq; Ant.* Orationes autē me duas poſtulas: *Vtrūq; rectū: ſed collocatione uerborū, quod eſt in manuſcriptis melius.*

Non libebat mihi ſcribere, quia abſciderām. *Quidam* reſcribere *malunt, quam ante abſciderit. Mihi* Abſcideram *potius eſt ſuſpectum; propterea quod; Concerpere, Incidere epiſtolam dicimus, & orationem & poëma: abſcindere an dicatur, haud equidem ſcio. Sed & manuſcripti quidam* Abſciram, *aut* Abſtiram, *nulla ſententia; alij* abſueram *habent, incerta ſententia: niſi illud ſpectauit Cicero: ſibi eo minus laborem illum ſcribendarum orationum, ſuſcipiendum, quod abſens eſſet: nec ullius poſcentis præſentia urgeretur, a quo iniret gratiam. Exiſtimandum uero eſt, ſuas orationes Ciceronem, adoleſcentium ſæpe ſtudio, ut ipſe ait, non raro illorum hominum, pro quibus habitæ illæ fuerant, ambitione ductum, ſcripſiſſe, atque edidiſſe.*

*Et tamen abſcideram, non abiudico.*

Qui cum in domo Cæſaris &c. *Animaduerti in vno atque altero meorum, nempe Antoniano atque Maffei,* domo *non eſſe. Quod etſi operarũ uitio accidere potuit, duorum tamen exẽplarium conſenſum, non plane duco ſpernendum; præſertim cum eclipſes huiuſmodi apud hunc ipſum deprehendantur: quales ſunt in ſcapulæ: per locuſtę: in quibus, cur facilius, hortos & fundum deſiderari patiamur, quàm hic Domo, non ſane video. eoq; minus, quo non difficilius hic, quid deſit intelligitur, quàm ibi. Iocatur autem Cicero, fallaci quadam a maiori ad minus collatione: quia ſi vnuſuir Clodius fuit in ſacris Bonæ Deæ, cur in* XX *viris eſſe nõ poſſit agris diuidendis? Et iunctẽ vnuſuir ita legẽdum eſt, vt Duumuir, Triumuir: ſane contumelioſe tractatur. Eſt enim contumelia, cum quis ſuis voluptatibus, ſuisq; commodis, per alterius iniuriam atque dedecus conſulit.* Contumelia.

Druſo vt opinor Piſaurens. *Legitur &* Piſaurenſis. *Sed ridiculum eſt credere, vllam legationem aut Piſaurũ fuiſſe, aut Piſaurenſi cuiquam demandatam. Quidquid alij ſuſpicentur, mihi videtur* Iſaurenſis *legi poſſe, nimirum ad Iſauros, qui erant Ciliciæ populi in primis nobiliſſimi, & opulentiſſimi: quos P. Seruilius Vacia cum viciſſet, Iſaurici cognomen adeptus eſt: Liuij Epitoma lib.* XCIII. *Velleius lib.* II. *Cicero Ver-*

*duo uel plura nomina, uni uerbo ſingulari coniungunt, ut Ariſtoteles Ethicorum lib.* v. τί δὲ διαφέρει ἡ ἀρετὴ καὶ δικαιοσύνη, αὕτη δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων. *Et multo manifeſtius in primo de generatione animalium.* ἔοικε δὲ τὴν μορφὴν, γυνὴ καὶ παῖς. ἀντὶ τοῦ ἐοίκασιν. *Contra, non minus fortaſſe clare Plautus in Pſeudulo. Iamdiu, ego huic bene, & hic mihi uolumus.*

Non abiectis, ſed ereptis. *Plerique habent* Receptis. *non nulli tamen* Ereptis, *ut Antonianus & Maffei unus. utrũ uerius, alij diiudicent.*

Non ad ſororem tuam H S XXX. *Mea illa ſemper ſentẽtia fuit: nunquam inueniri aliquid perplexius in Cicerone, quin iure ſuſpectum eſſe debeat. Quod nunc mihi in hoc loco uſuuenit, ſenſum uerborum attentius reputanti: qui profecto uel nullus eſt, uel alienus. Ad me (inquit) ſcripſerat Q. H-S* ϹIↃ ϹϹIↃↃ IↃↃↃ, *non ad ſororẽ tuã* H-S XXX. *Quid poſteriori mẽbro cũ priore? Itaque placebat* Nunc *pro* Non, *repoui: ut queratur ſibi aliter atq; ad Põponiã, de pecunijs caſtritianis ſcriptũ fuiſſe: Quanquam prior ille numerus, in exẽplari Car. mei, Faerni, Poggij atque aliquod alijs nõ parũ diuerſus eſt. Et ut de ueritate nihil ſtatuã, tamen explicatior is, quàm uulgatus uidetur, & ad numerãdi naturã accedens propius. Ita enim habent.* ϹϹIↃↃ IↃↃ. *hoc eſt, quindecim millia, quadruplo minor ſumma quàm illa.*

*Sane cenſeo videndum, vtrum in ſcribendis ſummis, præroſtero illo ordine, vti conſueuerint priſci; vt primo Mille ponerent, poſtea decemmillia, poſtremo quinquaginta millia, ſine copula. Sed vt ad prima redeam; poßit etiam legi non male,* Non vt ad ſororem tuam. *Lineola item ducenda eſt meo iudicio, ſuper illas decuſſes, ne tanta ſit in mendo diſſimilitudo.*

## IN EPIST. VIII.

Aliqua re vtili atque ſuaui. *Tres Maffei libri, Item Poggianus & Antonianus, his amplius,* venerat: *quod ſi abſit, tamen deſideratur. ſed cum ex cæteris verbis, ſatis certum ſit, auctor non ſum vt reponatur.*

Opinor, aliud agamus. *In omnes, præter vnum Maffei, qui habet,* illud agamus. *& meo animo, nō male. Eſt enim ſenſus: illos adiuuemus. Certe, aliud agere, aut deſperationem rerum ſignificat, aut negligentiam & hæſitantiam: aut contemptum & auerſionem: quæ hic locum non habent. Idem infra lib.* XIII. *epiſt. prima. Ad Ciceronem ita ſcripſiſti, vt neque temperatius ſcribi potuerit, neque magis, quemadmodum ego maxime vellem: prudentiſſime etiam ad Tullios. Quare, aut iſta proficient, aut aliud agamus. Et pro Roſcio Amer. Vſque eò animaduerti iudices eum iocari atque alias res agere, ante, quàm Chry*

*ſogonum nominaui. Et Plaut. in Pſeudulo.*

*Verum ita vos eſtis perditi, negligentes, ingenio improbo*

*Officiũ veſtrũ vt vos, malo cogatis cõmonerier.*

*Nempe ita animati eſtis, uos uincere hoc duritia tergi, atquẽ me.*

*Hoc uideſſis, ut alias res agunt. Hoc agite: hoc animum aduortite,*

*Huc adhibete aures. Idem dixit in eodem.*

*Sed tace; atq; hanc rem gere. Et in captiueis. Hoc agamus. quo hic ſenſu Cicero.*

## IN EPIST. IX.

Tum illum quem addis. *Quid? quem addiderat, de eo non etiam ſcripſerat? Mihi probatur* Abdis, *ut inuenio in lib. Card. mei, & item Faërni: ut ſe dicat Cicero, ſermones quos cum Clodio Atticus habuerat deſiderare: tum eos, de quibus explicate & nominatim ſcripſerat: tum eos, quos abdiderat, atque obſcure iecerat. Abdimus etiam, non ſolum quæ inuolute obſcureq; de induſtria ſcribimus, ſed etiam, quæ ad finem properantes, ita declinamus. Sunt & alia non minus pulchra fortaſſe: ſed ea longum eſſet, ad te perſcribere. Qua declinatione uſum fuiſſe Atticum ueriſimile eſt. Itaque Cicero his litteris, illa etiam quæ Atticus omiſerat, cupit elicere, ut ne qd ignoret.*

Non modo de Cynico Conſulari. *Petrus*

*Victorius, per Cynicum Conſularem, M. Pupium Piſonem, putat intelligi: cuius ſtudium Cicero erga Clodium. nec ipſius tantum, verum etiam piſcinariorũ (ij enim omnes exiſtimandi ſunt, Clodij pernicioſis conatibus ſtuduiſſe) inane contra ſe fore. ea maxime de re, quòd cauſſa, propter quam vtile potuiſſet eſſe, opes ſuę videlicet, & illa ſenatoria dignitas, quorum gratia, aliqua eſſet in inuidia; nulla iã eſſent. Neq; enim ij, aliud pugnabãt, præſertimq; Piſo, homo parui quidem, ſed tamen praui animi & voluntatę* καχέκτης: *niſi vt potentia, qua plurimum ualebat Cicero, ſpoliaretur: qua ſpoliatus, quid amplius laborarent? Et Piſonem vult Cynicũ Conſularẽ appellari, quod dicax eſſet, & cauillator: ſententiamq; hanc eſſe. nihil eſſe, cur Clodium Cicero magnopere timeret; ſiue ille cum Cæſare Pompeioq; eſſet in gratia, ſiue non eſſet. Si erit, inquit, tum Piſonis, Luculli ceterorũq; nobilium contra me furor, prorſus nullus erit, cum iam omni ſpoliatus potentia ſim, Remq; publicã, nulla ex parte attingam, cuius cauſſa, potuiſſent contra me arma ſuſcipere: ſin minus erit in gratia: ſatis habebit negotij, cum illis pugnare.*

Et ubi ſit habitura. *Non damno vulgatam lectionem; teſtari tamen libet, in cunctis manuſcriptis atque impreſſis, quorum mihi copia facta eſt,* Habitatura *legi: & vt puto, melius. etiam ſi ſit apud Næuium in Terentilla. Vbi iſti duo*

*adoleſcentes habent, qui hic ante parta patria, peregre prodigunt? & apud Plautum in Caſſina. Caſſinam intus habere aiunt, quę me atque te inuitat. Et alibi ſæpe.*

Ecquid nam cenſes fore? *Aliud exemplar* Quid iam. *Sed uulgata ſatis placet.*

Patria propitia ſit. *Mihi ignoſcat: veniam det: Quo ſenſu ſequenti epiſt. volo ames conſtantiam meam. Et alibi, Ama me. Nam quos vehementer amamus, quibus propitij ſumus: ijs tam facile indulgemus, quàm nobis. Lepidæ & in ſinu ferendæ rationes dicendi.*

Male uehi malo. *Aliter, & præpoſtero ordine,* Malo uehi male, *eodem ſenſu, ſed venuſtius.*

Nunc audi quod quæris. *Faërni liber* Nunc ad id quod quæris.

Ibi eſſe volo. *Aliter* ubi eē uolo, *ſine parētheſi*

IN EPIST. XII.

Negent illi Publium, Tribunum pl. factū eſſe. *Hęc lectio, vt a Manutio exponitur, reprehendi non poteſt: eoq; minus, quòd cum manuſcriptis congruit: hiſtoria tamen, & vetuſti cuiuſdam libri, non manifeſtiſſima illa quidem, ſed nō obſcura tamen veſtigia Victorium mouerunt, vt* Plebeium *pro* Tribunum pl. *emendaret. quæ lectio Corrado quoq; placuiſſe videt. et mihi ſatisfacit.*

Emerſeram commode ex Antio. *Antonianum exemplar, & Faerninū,* ex Antiati: *recte*

*meo animo. Nam urbiũ nominibus, præpoſitio, niſi certa quadã ratione, de qua infra dicetur, addi nõ ſolet. Ex hoc prędio, ſexta libri huius epiſtolã ſcribi potuit, & ſcrupulus ille tolli, qui noſtram coniecturam ibidem, minus firmam redderet.* Commode *pro* Commodum, *μοναδικὸν puto.*

Ipſis Cerealibus. v. *Id. Apr. ex* IIII. *Faſtorum Ouidij, ut non male colligat Corradus, hanc epiſtolam, ſuperioribus aliquot anteponendã eſſe.*

Μείζω συνέργειαν εἶναι. *In nullo meorum hæc uerba leguntur, ſed tantum* ζώσης φωνῆς. *Et hercule cum ad M. Tullij morem, magnorumq́; auctorũ, in adducendis e ueterũ ſcriptis ſententijs ac teſtimonijs conſidero, non dubito, quin omiſſa ab illo ex induſtria fuerint: atq; ab aliquo explicationis cauſſa, in albo libri adſcripta, in ordinę litterarũ, ſcriptorũ imperitia intruſerit. Sic Ariſtoteles de ratione dicendi libro primo, cum uellet Homeri auctoritate confirmare, ea in bonis eſſe ducenda, quorum cauſſa plurimũ inſumptũ ſit, multaq́; pericula ſuſcepta: carminũ ipſorũ initiũ attingere ſatis duxit: quod etiã ſententię, niſi reliqua nota ſint, obſit potius, quàm proſit. Sunt aũt ea huiuſmodi,* ὅθεν ταῦτ' εἴρηται.

Κὰδ δέ κεν εὐχωλὴν πριάμῳ.

Καὶ αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν.

*Et alibi, eodem modo fere ſemper.*

Qui mihi primus obuiam veniſſet. No-

ſtri

*ſtri meliores, hoc eſt Poggij, Faërni, & Maffei duo,* Obueniſſet. *fortaſſe non male. Nam obuiã venire, dedita opera occurrere, vel honoris cauſſa, vel reſiſtendi gratia ſignificat: cum hic Cicero ſignificare voluerit, ei ſe daturũ qui caſu primus occurriſſet. Obuenire autem, ſorte venire valet.*

## IN EPIST. XIII.

Relatum eſſe. *Faërni liber fuiſſe.*

Quam mihi tum illæ. *In alijs,* Quam illæ tum mihi *plane lenius.*

Cum Craſsi diuitis cognomine conſeneſcit. *Hic enim inſanis ſumptibus, epuloq; plebi Romanæ dato, patrimonium ferme exhauſerat. Plutarchus auctor eſt, in eius vita.*

## IN EPIST. XIIII.

Tribum Aemiliam. *Non eſt quòd hinc iudicium faciamus, M. Tullium in Aemilia tribu cenſum fuiſſe. Nam perſpicuum eſt ex Liuio, L. Valerio Meſſalla, C. Liuio Salinatore Coſ. legem latam fuiſſe, vt Arpinates in Tribu Cornelia ſuffragium ferrent.*

Vide enim quibus hominibus &c. *Cauſſale* enim *facit, vt* Vidi, *quemadmodum in meis pene omnibus inuenitur, probè. Te inquit, in Formiano expectabo, dumtaxat ad prid. Non. Maij.*

*Cur autem dumtaxat ad id tempus? quoniã, inquit vidi, qbus hominibus, aures ſint deditę meæ.* Et tamen illud probem. *Vnus Maffei liber,* probe. *Quod rectum puto, intelligoq; de pangendo me hortaris, illo ſenſu. Quanuis hic ego ita interpellem, vt fieri nihil poſſit, tu tamen probe ad ſcribendum inuitas. Aggredimur ergo iuſſu tuo quidem, magnum quid: & laborioſum: ſed tamen mos geretur a me tibi, neq; parcetur labori. Emendamus autem* Aggredimur, *& ſententiam ſecuti, & manuſcripti etiam vnius auctoritatem.*

## IN EPIST. XV.

Nam vt illo tu careas, non video fieri poſſe. *Hæc, parentheſis notis claudenda ſunt. Nã* præſertim *quod ſequitur, ad hæc ipſa referri non videtur, ſed ad verbum* Reuertare, *hunc in modum: Fiat, fiat Tribunus pl. ſi nihil aliud, vt eo citius tu ex Epiro reuertare, præſertim ſi mecũ aliquid diſputare volet. Et videntur interpoſita illa verba, ironice dicta. Quod mox ſequitur autem,* Verum vt hoc non ſit, *expono, vt tu aduoles. Duabus enim de cauſſis optabat Cicero, vt Clodius Tribunus fieret: prima vt ſeruaret Remp. Nimirum in Publio ſpes eſt, inquit: fiat, fiat Tribunus pl. Altera, vt Atticus eò citius reuerteretur. Sed hoc ſecundum vt non ſit, inquit, ſit pri-*

*mum, vt Publius ſeruet Remp. Abunde mihi ſatisfactum erit, & pręclarũ ſpectaculum mihi propono, & præter opinionem omnium hominũ: modo te conſeſſore ſpectare liceat, hoc eſt, modo tu, ſi non aduoles, aliquando tamen reuertare; ſine quo minus ſane iucundum ſpectaculũ mihi propono.*

IN EPIST. XVI.

Prolatum iri aliquid, quod nemo improbaret. *Hoc Dio, hiſce verbis* εἶπε σοφόν τι, ὅτι οὔτε χαλεπαίνει τι, ὃ μὴ καὶ ἐκείνοις συνοίσει.

Hoc ἐσοφίζετο. *Faërni liber & Ant.* Hæc, *vt non ad vnum cauillum Pompeij, ſed ad plura referatur, melius.*

Quidquid futurum. *Maffei liber vnus,* Quid, *& videtur rectum.*

IN EPIST. XVII.

Iacet enim ille ſic, vt Phocis Curiana ſtare videatur. *Et ſi non ignoro, ſuſpiciones, quæ veterum librorum ope deficiuntur, merito infirmiores videri; tamen, quales quales ſunt, nihil obeſſe arbitror, ſi in medium proferantur: ea præſertim lege, vt cuiq; liberũ ſit, eas vel probare, vel reijcere. Ego igitur locum hunc, quem non tam obſcurum, quàm deprauatum eſſe puto; exiſtimaui, nec ſententia aliena, nec ſcriptura a vulgata prorſus abhorrente, ita reſtitui poſſe.* Iacent enim illa: hæc vt focus Curianus ſtare videntur.

*vt dicat Pompei merita in Remp. iacere obſcuraq́; iam eſſe, ſua vero nõ aliter ſtare, conſpicuaq́; et illuſtria eſſe, quàm focus ille Curij, ad quem vir ille ſanctiſſimus, cum ſtaret, Samnitibus aurum offerentibus, reſpondit. non aurum habere ſibi præclarum videri, ſed eis qui haberent aurum imperare. Et ſane Cicero Curianum focum, cum ita admiraretur, vt non vno in loco celebret, atque in ore habeat: non mirum fuerit, ſi hic etiam, merita in Remp. ſua, cum illo coniungat. Nam in Catone maiore. Curio ad focum ſedenti, magnum auri pondus Samnites cum obtuliſſent; repudiati ſunt. Non enim aurum habere pręclarum ſibi videri dixit, ſed eis qui haberent aurum imperare. Et IIII de Rep. vt eſt apud Nonium: cuius etiã focum, Cato ille noſter, cum venerat ad ſe in Sabinos, vt ex ipſo audiebamus, viſere ſolebat: apud quem ſedens, Samnitium quondam hoſtium, tum iam clientium ſuorum, dona relegauerat. Cum igitur Cicero, factum illud Curij, tantopere admiraretur, non male conijcere videmur, illum hic voluiſſe dicere res ſuas, non ſecus ac focum Curianũ, æternitatem habituras.*

Quonam in me animo ſit Arabarches. *Vt Hieroſolymarium vocauit, a deuictis Hieroſolymis, ſic Arabarchen vocat, a deuicta Arabiæ parte illa, quæ Syriæ iuncta eſt: quanquam Ara-*

barches poſtea dictus eſt, is, qui vectigali quadrupedum, quæ ex Arabia in Aegyptum deueherentur, præeſſet. Extat Imp. Valent. Grat. Theod. conſtitutio in hæc verba. Vſurpationem totius licentiæ ſummonimus, circa vectigal Arabarchiæ, per Aegyptum atque Auguſtaneum, conſtitutum: nihilq; ſuper extractione animalium vindicari permittimus. Et quis ſcit, an ab huiuſmodi quodã, ei regioni impoſito vectigali, Arabarchen appellet? Nam & ſupra de vectigali à Pompeio impoſito, hęc. Nunc vero Sampſicerame, quid dices? Vectigal te nobis in Antelibano conſtituiſſe, agri Campani ademiſſe?

IN EPIST. XVIII.

Laterenſis exiſtimatur recte feciſſe. *Faërni liber, Ant. & Maffei.* Laute feciſſe, *ſi ſenſum reſpicimus, haud ſane melius: ſin ſcripturę veritatem, prorſus verius. Nam cum vox rarior inuentu, minusq; obuia ſit, veriſimilius eſt, apud rude illud ſeculum, quo libri, qui nunc ſunt in manibus, exſcripti ſunt, ex* laute recte *factum, quàm contra. In exemplari Petri victorij, illo inquam tantopere ab eo laudato, vtraque lectio eſt: in ſerie litterarum* Recte, *ſupra verò* laucte. *Eſt autem* laute. *ſplendide, magnifice, elegãter, glorioſe. Idem ad Caſſium Quæſtorem, lib. epiſtolarum ad Senatum. Sed ſiquæ ſunt onera tuorum: ſi tanta*

*ſunt, vt ea ſuſtinere poſſis: nihil tibi erit lautius, nihil glorioſius. Et in Verrem act.* II. *Roma aut ex Sicilia redij, comites iſtius atque amici, homines lauti, atque vrbani. Et Terent. Eunucho. Facete, lepide, laute, nihil ſupra, de qua voce etiam Nonius.*

Apud furorem pulchelli. *Peræque mei oẽs,* Pudorẽ, *ironice, ſcilicet, quẽadmodũ et Pulchelli.*

Et hanc ego teneo. *Copulatio* Et, *ex ſententia abundat: & in nullis eſt meorum.*

## IN EPIST. XIX.

Nil eſt moleſtius. *Manuſcripti,* Nihil

Ac mitto imperium. *Terentiani libri, vnde hæc ſumpta ſunt, Age mitto imperium: & mox* ſaltem *Cicero antecedentibus, non vt alij conſequentibus iungit. Poſtquam, inquit, meum imperium, quod minus eſt, reueritus non eſt: ſaltem debuit ſimultatem, quod maius eſt, reuereri. Apparet autem ex his, Ciceronem iniquo animo in Statium fuiſſe, qui etiam fratri, qui eum manumiſiſſet, iraſceretur, aut certe grauiter doleret. Illa enim, Nec meum imperium &c. in Statium dicta ſunt: hęc vero, Ego autem ne iraſci quidem &c. de fratre Quincto.*

Dignitatis ἅλις. *Ex occaſione illorum verborum: Etenim vel ſubire eas videor mihi, ſum-*

*ma cum dignitate*.

Tam peræque. *Noſtri omnes.* Tam deniq;.

Coactus eſt dicere eadem. *Noſtri pene omnes,* Eandem, *vt ſequentis carminis initium ſit, non antecedentis exitus. Et verò, ita videtur melius. Erit enim Octonarius Trochaicus, poetis familiariſſimus: qui ſi abſit ea vox, Trochaicus trimeter hypercatalectus: quo fere Poetæ non vtuntur. Nec valde me mouet, quòd Valerius in hoc carmine laudando,* Eandem *omiſerit. potuit enim verbum illud negligere, vt ad id quod agebat, non neceſſarium.*

Quod erat ſuſceptum ab illis. *Maffei liber vnus,* ſuſpectum, *quę lectio Corrado placet: reliqui,* ſuſceptum. *vtrunque ſententiam habet non alienam. ſed ſi ſuſceptum legatur,* Ab illis, *à Cæſare, Pompeioq; videtur exponendum. Sin ſuſpectũ, interductus appingendus eſt. &* Ab illis, *nectendum ſequentibus, exponendumq; Equitibus: nimirum qui immortuo plauſu, Cæſarem acceperunt. Sed non me vulgatæ pœnitet.*

## IN EPIST. XX.

Nil eſt neceſſe. Nihil, *ex meis omnibus.*

Diodorus mortuus eſt. *Vt Diodorum alium eſſe hunc, ab Stoico illo, quem in Bruto refert idem Cicero, apud ſe mortuum eſſe,*

*illud facit, quod ibi nuper deceſſiſſe tradit, nimirū paulo ante, quàm Brutum ſcriberet: Brutum verò ſcripſit, C. Cæſare* III, *& M. Lepido Coſſ. poſt datas has litteras, annis fere* XII. *Etiam illud cenſeo cogitandum, num veriſimile ſit a liberto Ciceronis, aut certe peregrino homine, tantum pecuniæ relinqui potuiſſe, quantū vix a Cæcilio Attici auunculo, qui tamen eſſet ditiſſimus, relictum Attico fuerit. Equidem puto,* Centum *legi oportere, hoc eſt aureorum noſtratium, ad duo millia quingenta. Nec me fugit tamen, Ciceroné in Philip. gloriatum eſſe, ſe amplius H-S ducenties, acceptum hereditatibus tuliſſe.*

## IN EPIST. XXI.

Summo cum amore populi. *Plutarchus auctor eſt, Romanum populum, tam inſane vnquam adamaſſe neminem: Auguſtumq; tradit in lib. de Fortuna Romanorum, cum nepotem in militiam mitteret, a Dijs optaſſe, vt illi Fortitudinem Scipionis: Pompeij beneuolentiam: ſuam fortunam darent.*

Itaq; Archilochia in illum edicta Bibuli &c. *Acerbiſſima verò fuiſſe, illud etiam declarat, quòd in his Cæſari obiectum eſt, quòd cum P. Sylla & L. Autronio, in necem Senatus coniuraſſet. Suetonius in Iulio Cæſare.*

Qui cum omnia.. *Lego* Quin. *vt cum dixerit Bibulum admirabili eſſe gloria propter edicta illa Archilochia; alìud etiam addat, de populi erga illum voluntate: qui ſane populus, cum comitiorum dilatione, vehementer commoueri ſoleat, nullum tamen contra eum, vel Cæſaris oratione prouocatus, vocem emiſerit. Aliâs ἀνακόλουθον eſt: cum nihil reddatur illi Qui. Etiam admonendum*, Comitia, *non* Omnia *legendum eſſe, & ex ipſa ſententia, & ex vetuſtis meis omnibus; nempe Maffei tribus, Poggij, Antoniano, reliquis.*

## IN EPIST. XXII.

QVOD egiſſes. *Abſunt a meis hæc verba, vt a Manutianis, ut iam tuto poſſint deleri. Eclipſim eſſe puto, verbi* Eſſes, *in priori membro, ſicq; verba diſtinguenda. Quam vellem Romæ: Manſiſſes, hoc eſt, retinuiſſem te profecto, ſi hæc fore putaſſemus.*

Opes & uim. *Antonianus & Faërni.* Opes eorum & uim: *quod pronomen ſi abſit, ſuppleri tamen debeat. ablatum reſtitui placet.*

Quem plebeium fieri paſſus eſſet. *Poggij liber & Faërni*, Quum *vel* Cum, *vt non duo inculcentur, Clodium videlicet armatum à ſe, & plebeium factum: ſed armatum tantum modo cũ ad plebem tranſire permiſſus eſſet. Si enim Quem*

*retineamus, rurſus erit quærendum, quibus illum armis inſtruxerit, vt ad hoc neceſſario ſit redeundum, Quod plebeium fieri paſſus eſſet: Hoc enim fuit initium & cauſſa præcipua potentiæ Clodianæ.*

Sed certò uidentur hæc &c. *Melius noſtri*, Certe.

## IN EPIST. XXIII.

NEC uoluntate nec ſermone. *Libri veteres ad unum omnes*, Nec voluntatis nec ſermonis, *nec ſpernendi ſunt: habent enim ſententiam nō incōmodam, Conſenſionem nec voluntatis nec ſermonis vniuerſorū, maiorem vnquā fuiſſe.*

Sed βοώπιδος noſter. *Inuenitur et* Noſtræ, *vt hoc ad Clodiam, illud ad fratrem referatur. ironice vtrunque.*

## IN EPIST. XXIIII.

NOVI enim te. *Hæc verba vſque ad Anxius, παρεμβολικῶς, legenda ſunt. & claudenda parentheſis notis, quam* Sed *particula, vt ferè ſit excipiat: repetendaq́; illa ſunt, Ne ſis perturbatus, hoc modo. Ac ne ſis perturbatus (noui enim te, & non ignoro, quàm ſit amor omnis ſolicitus atque anxius) ſed ne ſis perturbatus; res eſt non tam exitu moleſta, quam aditu. Hanc figuram*

*Grammatici, Epanalepſim vocant, cum poſt quædam interpoſita, claritatis cauſſe, quæ principio dixeramus, expreſſæ, vel adhibitis quibuſdam notis, quales ſunt, Inquam, Igitur, ſed; reſumimus. Idem: Cum audio ſocrum meam Læliam (facilius enim mulieres, incorruptam antiquitatem conſeruant: quod multorum ſermonum expertes, ea tenent ſemper, quæ prima didicerunt) ſed eam ſic audio, vt Plautum mihi aut Næuium videar audire. Reſumi priora debent, hoc modo. ſed ſocrum meam Læliam cum audio, eam ſic audio, vt &c.*

Vettius ille, ille noſter index. *Hanc totam rem Dio, prorſus aliter libro.* XXXVIII, *nempe Ciceronem Lucullumq;, coitione facta, auctores Vettio fuiſſe, Pompeij Cæſarisq; occidendi: eosq; ſolos, re delata ad Senatũ, fuiße nominatos. Quæ quàm vera ſint, tũ ex hac ipſa epiſtola, tum ex Suetonio in Iulio licet cognoſcere: cuius etiam verba libet adſcribere, vt Græci huius odium in M. Tulliũ, quod vbique oſtendit ac præſefert, intelligi poſſit, cum ne a manifeſte quidem falſis, abſtinnerit. Ea verò ſunt hæc, de Cæſare, Vettium, ſubornante. Poſtremo in vniuerſos diuerſæ factionis, inductum præmijs, vt ſe de inferenda Pompeio nece ſolicitatum a quibuſdam profiteretur: productusq; pro roſtris, auctores ex*

*compacto nominaret. Sed vno atque altero fruſtra, nec ſine ſuſpicione fraudis nominatis; tam præcipitis conſilij euentum deſperans, intercepiſſe veneno indicem creditur. Omitto etiam argumenta certiſſima & firmiſſima, quibus amentia hominis non modo redargui, ſed conuinci etiam plane poſſit. Illud non obfuerit monuiſſe, Vettium ab eo, οὐέττιον, geminato t, ſcribi; non vt hactenus ſcriptum eſt, Vectium.*

Reclamatum eſt. *Ita manuſcripti omnes: ſed quæ ſequuntur,* Tum expoſuit, *ſuſpicionem mihi faciunt, datam fuiſſe illi fidem publicam: legendumq; eſſe,* Relatum eſt, *potius, quàm* reclamatum, *illo videlicet ſenſu, relatum ad Senatum fuiſſe, de impunitate indicis. Nec meam ſuſpicionem infirmat, quod in vincula coniectus fuerit: cum id ei acciderit, non quia indicarit, ſed quia cognitus fuerit, per malitiam & ſcelus, falſa indicaſſe; ita vt Senatus Vettium manifeſtis mendacijs deprehenſum, occaſione arrepta ex confeſſione ipſius, in cuſtodiam tradiderit: quaſi ſolus illud facinus obire voluiſſet.*

Vt qui illuc factus. *Verius, vt eſt in meis pene omnibus.* Et qui. *vt* Factus *quæ ſequuntur reſpiciat, non quæ præcedunt. Etenim* Factus, *cum de illo dici ſoleat, qui aliquid malitioſe falſò ue commentus ſit: non video quo modo ei*

*conueniat, qui omnia de Rep. quæ vult, dicat: ac non potius ei, qui ad Cęſaris gratiam, illos excipiat ex oratione ſua, quos ante nominauerit: quos ne ſuſpicione quidem attigerit, eos nominet. Et tamen ſicui placet vt, non valde laborabo.*

Aut etiam Brutum. *Etiam abeſt a pleriſque meorum, prorſus ſine damno. In libro Faërni, pro* etiam Iu. *legitur, vt fortaſſe Iunius ſignificetur: vt quemadmodum Ahalam Seruilium dixit, Ita Iunium Brutum dicat.*

Craſſum diuitem de vi. *In meis hoc amplius,* Vettius de vi, *ne Curio intelligatur.*

Omni ratione ſignificat. *Noſtri* oratione. *quæ lectio, præter quam quod omnium exemplarium teſtimonio nititur, etiam communi omnium opinione, quæ de Pompeio erat, confirmatur. Erat enim Pompeius, vt ex hiſtorijs habetur, natura parum candida & ſincera: vt ſæpe etiam intimis, fucum faceret. Hoc Cicero cognoſcere potuit, ſuis illis temporibus, ab eo deſtitutus, cum antea, iuſſiſſet eum eſſe ſine cura, ſeq; prius occiſum iri, quàm vt ipſe a Clodio læderetur. Quæ tamen Cicero omnia, etſi libenter audiebat, vereq; dici cupiebat; tamen hominis ingenium cognitum habens, præſertim monitus ab Attico vt caueret, non ſe omnino illi credebat, ſed*

*omnia ad reſiſtendum parabat. Hæc faciunt, vt* oratione *non reſpuam. Addam quoque illud: Salluſtium ſcripſiſſe, vt Suetonius tradit, Pompeium ore probo, animo autem inuerecundo fuiſſe. atque ob eam cauſſam, a Lenæo Grammatico, Cngi ipſius liberto, Satyris in eum editis, laceratum.*

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Atticum, EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

## Argumentum libri III.

*P. Clodivs ope C. Cæſaris Conſulis, Tribunus pl. declaratus, vt magiſtratum inijt, illud vnum ſpectauit, vt M. Tullium inimiciſſimum ſuum vlciſceretur. Itaque duabus legibus, quarum altera, frumentum, quòd antea ſemis æris ac trientibus eſſet in ſingulos modios, gratis dabatur; altera non ſolum collegia, quæ Senatus ſuſtulerat, reſtituta ſunt, ſed noua etiam ex omni vulgi fere atque ſeruitio, conſtituta plebis voluntate ſibi adiuncta: rogationem promulgauit contra eos, qui ſine iudicio populi, ciuem Romanum necauiſſent; quæ tametſi cum nullo nominatim agebat, nemo tamen*

*dubitabat, quin Ciceronem peteret, qui in ſuo Conſulatu, quanquam ex Senatus conſulto, tamen iniuſſu populi, contra leges in ciues animaduertiſſet. Id cum agi videret Cicero, mutauit veſtem, & cum eo, velut in communi calamitate, ad hominum* x x *millia. Verum cum ſe a Cn. Pompeio, M. Craſſo, C. q; Cæſare deſtitutum videret, ne ſua Cauſſa cædes Ciuium fieret: inuidorum, vt ipſe palam queritur conſilio, circiter Kalendas Aprilis, vrbe ceſſit Gabinio & Piſone Conſulibus: domus ipſius a Clodio ſtatim incenſa: area libertati conſecrata: bona publicata: prædia direpta ſunt: lex de eius exilio perlata: eiq; aqua & igni interdictum: & nequis tectum, intra quadringenta millia paſſuum ab Italia preberet: nequis de eo ad Senatum referret: ne decerneret: ne diſputaret: ne loqueretur: ne pedibus iret: ne ſcribendo adeſſet, vt in oratione poſt reditum in Senatu & pro Domo legitur.*

*Ille ergo in Macedoniam tranſmittens, Theſſalonicæ, apud Cn. Plancium, toto fere illo exilij tempore manſit: vnde, præter paucas ex itinere miſſas, omnes fere libri huius epiſtolę datæ ſunt.*

## IN EPIST. I.

AD iter quod conſtitui. *Noſtri ſine diſcrepantia,* Ad iter id, quod, *pleniori numero.*

IN

*IN EPIST. II.*

In fundo Sicæ. *Noſtri ad vnum omnes*, in fundum. *de qua dicendi ratione; Paullus ex Gellio.*

Poſſe me Brundiſium referre. *Neſcio an alijs ſim perſuaſurus, mihi quidem certe perſuaſi, ſubeſſe hic vitij non nihil. Siquidem Autronius, cuius timore, a profectione illa Cicero auertebatur, in Italia non erat: quod infra & ex Epiſtola, Brundiſium veni &c. cognoſcitur: & ex ea quæ incipit; ſcripſeram ad te; non obſcure coniici poteſt. Nam in priore illa, nominatim Autronius a prædijs Attici Epiroticis, quatridui abfuiſſe ſcribitur: in poſteriore, Achaiam pleniſſimam eſſe audaciſſimorum inimicorum: in quibus Autronium fuiſſe non dubitamus. Etenim ij fuerunt, vt eſt in oratione pro Plancio, quibus ille in ſuo Conſulatu, ferrum igneſq; de manibus eripuerat. Ita enim ibi: Dyrrachium, quod erat in fide mea petere contendi. Quo, cum veniſſem, cognoui id quod audieram: refertam eſſe Græciam ſceleratiſſimorum hominum ac nefariorum: quorum impium ferrum, igneſq; peſtiferos, meus ille conſulatus e manibus extorſerat. Quare non* Brundiſium, *ſed* Buthrotum *mihi placet legi. Cui*

*meæ ſuſpicioni, illa quoque ad ſcribendum ſunt, quibus cauſſas adducit profectionis ſuæ, in fundum Sicæ: in quibus illa eſt; quod ex eo loco, commoda eſſet tranſmiſſio, ea tamen conditione, ſi Atticum haberet comitem: ſine illo autem, non eſſe tenendas eas partes. Quæ quidem ad Brundiſium pertinere non poſſunt. Quid? Non ex alijs etiam locis, poterat Brundiſium ſe referre? deinde: quid opis ac potentiæ in his locis Atticus plus habuit, vt ea tenere Cicero, ſine illo non auderet? Habuit Buthroti, & in Epiro. Itaque libri huius prima epiſtola, quę debuit eſſe quarta, ſin per Epirum (inquit) iter eſſet faciendum, tuo, tuorumq; pręſidio vteremur. Poſtremo; non'ne Brundiſium verſus iter contulit? placet igitur Buthrotum. Et vero exiſtimandum eſt, conueniſſe inter eos, vt Roma diſcedens Cicero, Buthroti apud Atticum, tanquam domi ſuæ, maneret: Vt autem conſilij pœniteret, inimicorum timorem, quos in his locis haberet, in cauſſa fuiſſe: eo magis, quòd Atticum non haberet, cuius præſidio, tutus eſſe poſſet: quem ſi habuiſſet, vt ſperauit, non dubito, quin fuerit in Epirum tranſmiſſurus.*

D. VI. Id. April. Naryci Locridis. *Non dubito, quin hic erratum ſit, præſertim in* Naryci Locridis: *primum, quòd* N*irice, aut* N*a-*

*vix In Italia nuſquam eſt: deinde ſi maxime eſſet; tamen itinerum rationi maxime aduerſabatur, vt Cicero Vibonem petens, Locridem diuerteret, locum in primis deuium ab inſtituto itinere, et quam Vibonem, ad ortum, Auſtrumq́; pertinentẽ magis. Id ex Ptolemæo, Plinio, Straboneq́;, qui eos tractus deſcribunt, diſci poteſt: apud quos etiã Narycis in eis locis nulla mentio eſt. Qui Narycij locri in ea ora Virgilio commemorantur, Aeneid. lib. III. ij non ab aliquo ibidem oppido, ſed vt Seruius ait, a loco prouinciæ ſuæ: hoc eſt, a loco vnde huc commigrarunt, Aiace Oileo duce: cuius loci, Plinius in Græcia mentionem facit his verbis. Locrorum ora: in qua Larymna, Thronium; iuxta quod Boagrius amnis defertur in mare: Oppida, Narycion, Alope, Scarphia. & longe manifeſtius Sudas ex Stephano.* νάρυξ πόλις ἱστορεῖται θηλυκῶς λεγομένη. ἡ καὶ ναρύκιον, καὶ ναρύκη, ἐξ ἧς ἦν ὁ λοκρὸς αἴας. *Ad hæc, Locris in hoc tractu, non regio eſt, ſed Oppidum, vt Naryx oppidum item ſi ſit, Locridis dici vix poſſit. Hæc cum ita ſe habeant, non temere videri poſſumus affirmaſſe, locum eſſe deprauatum. Manuſcripti quidem libri plerique & probatiores*, Naris luc: *ant.* Narisluci. *vnde Corradus* Thurij Lucaniæ *legi poſſe arbitratur: Et vt in* Lucaniæ *quidem non inuitus aſſen-*

*tiar, cum ea Brutijs, in quis Vibo eſt, finitima ſit, nec a via quę illuc ducit deflectens: attamen in* Thurij *ab eius opinione diſcedo. Thurium enim in his locis, aliud nullum inuenitur, quam quod eſt ſupra Lacinium promontorium & Crotonam: inter duos amnes Crathin & Sybarim ſitum, de quo infra epiſtola ab hac quarta: a Lucania, non ſane paruo diſtans interuallo. Nec me fugit a Liuio initio libri* XXV, *vt nunc quidem habent impreſſi, Thurios in Brutijs commemorari, idem tamen ſcio a Carolo Sigonio, viro & docto & diligente, Thurinæos emendari, cum alijs de cauſſis, tum quod Thurij Metaponto proximi ſunt, ad ſinum Tarentinum; de quibus idem Cicero in fine* IX *libri. Nos quoniam ſuperum mare obſidetur, infero nauigabimus: & ſi Puteolis erit difficile, Crotonem petemus aut Thurios. Quid hic, ait aliquis, tui iudicij eſt? Quo modo legendum putas? Equidem, nihil habeo conſtituti: mendum tamen indicare uolui: vt qui ad excogitandū acutiores ſunt, lumen ingenij ſui oſtendere valeant.*

## IN EPIST. IIII.

VLTRA quadringenta. *Ab vrbe Roma ſi Dioni credimus ita ſcribenti lib.* XXXVIII. τριχιλίους τὲ γὰρ, καὶ ἑπτακοσίους καὶ πεντήκοντα

σταδίους ὑπὲρ τὴν ῥώμην ὑπερωρίσθη. *Sed vereor, ne non ſatis tuto credamus, cum alijs de cauſſis, tum quod ipſemet Cicero ſcribit paulo poſt, Athenas ſe petiturum, niſi vereretur, ne illud quoque oppidum, iniqui eius interpretarētur, ab Italia nō ſatis abeſſe: de quo quidem, ſi ab Roma intelligamus, dubitari non potuit, cum abſit amplius octingentis. Quin poterat alicubi fortaſſe in Italia remanere. Plutarchus quidem, intra quingenta ab Italia. Sed hoc quoq; ſit inter alia quæ multa ſunt Dionis errata.*

Illo cum peruenire non liceret. *Quo, conuenerat inter nos: quem tu locum non ignoras: nimirum Buthrotum: & Melitæ non liceret, vbi te expectarem, vndeq; vna ſolueremus. Non licebat autem, quia hæc ab Italia parum abeſſet: illud quia etiam non ſatis eſſet tutum propter Autronium & reliquos eius inimicos.*

## IN EPIST. V.

EODEM amore ſis. *In noſtris pene omnibus,* ut eodem, *atque his conuenit cum editione Victoriana. Itaque cenſeo coniunctionem reponi æquum eſſe: quæ, et ſi* παρέλκειν *videri poteſt, hac tamen dicendi forma, & a M. Tullio & ab alijs eius ætatis ſcriptoribus, geminari ſolet nōnunquā. Terent. Phorm. Adeon' rem rediiſſe, vt qui mihi*

*conſultum optime velit eſſe, patrem vt extimeſcam?* Ἐπανάληψις *eſt. Simile eſt & illud Ciceronis in Bruto: Vides ne igitur, vt in ea ipſa vrbe, in qua & nata & alta ſit eloquentia, quam ea ſero prodierit in lucem?*

## IN EPIST. VII.

ATHENAS peterem. *Non ne paulo ante dixit ſe celebritatem odiſſe? homines fugere? lucem aſpicere uix poſſe? Quid nunc igitur Athenas cogitat, qua vrbe, ſecundum Romam, nihil erat in toto orbe terrarum celebrius? Quid igitur cauſſæ eſt, cur nõ locum male affectum putemus? præſertim cum addatur, Et veremur, ne interpretentur illud quoque oppidum, ab Italia non ſatis abeſſe: quod certe de Athenis dubitare non debuit, ſi ei licuit eſſe Theſſalonicæ, quod oppidum ab Italia abeſt propius. Adde, quòd oppidum uocauit: atq; illud tale, quale optabat, nimirum ab arbitris & hominũ frequentia, valde remotũ. Quæ in Athenas nõ cadunt. Quo porro modo legendũ putem, in tanta oppidorũ multitudine, quanta in Græcia eſt, nõ habeo dicere. Hoc ex vetuſtis libris petendũ eſt; in quo mei mihi nihil opis afferunt.*

Conſilij utique pœniteat. *In manuſcriptis meis, non vno atque altero, ſed plane cunctis;* vitæq́ pœniteat.

Hoc cōfirmo. *In alijs*, Affirmo, *iūctura meliore*.

Non ſunt tam ad medicinam, quàm ad finem doloris. *In meis omnibus*, ſed ad finem: *vt in priori ſenſu, pro* tam, iam *ſit legendum: quæ lectio in Antoniano, & vno item Maffei, conſpici poteſt: non paulo ſignificantius: vt neget reliqua tempora, poſtquam honeſtiſſimum prætermiſſum eſt, peccatum ſuum poſſe corrigere: poſſe tamen affirmet, finem doloris facere, ſi mortem ſibi conſciſcat.*

## IN EPIST. VIII.

Et exitus difficiles haberet, cum indè proficiſceremur. *Hic* Proficiſceremur, *cum temporis infecti ſit, futuri tamen vim habet. Valet enim: Profecturi eſſemus. Et me hercule magna temporum apud ſcriptores confuſio reperitur; vix vt vllum inueniatur, quod non ſit ambiguum. Idem Philip.* I I I, *præſens pro futuro poſuit, ſic cum ſcribit. Duo modo hæc opto; vnum, vt moriens, populum Romanum liberum relinquam: alterum, vt cuique ita eueniat, vt de Rep. quiſque mereatur. Relinquam, Eueniat, Mereatur, cum ſint temporis inſtantis, futurum tamen ſignificare, nemo non videt. Vellem, contra, et Maneret, imperfecta dicuntur a grammaticis, nec nos negamus: ſed tamen in illis Philippica* I. *Vellem adeſſet Antonius. Et itē. Pecunia, vtinā ad Opis*

*manerent &c. præſentis ſignificationem habent. Verum de his fortaſſe alio loco.*

Vt acrius poſtularet. *Quis poſtularet? Quid ſi* Appius poſtularet? *Erat enim frater Clodij: quanquam Antonianus liber* Poſtularer, *habet: quæ lectio, quod attinet ad verba, ad communem rectamq; loquendi rationem propius accedit: verum, quid is poſtuletur, cui iam igni & aqua interdictum ſit? Et tamen Corrado placet. vt ſit; vt abſens accuſarer, qui præſens, ne citatus quidem fui: oratione pro domo ſua. Mihi etiam illa* Audire fore, *non parum ſuſpecta ſunt. Quid, ſi pro* Audire, Eum de re? *vt ſic totum legatur. Quanquam tu altera epiſtola ſcribis, Idib. Maijs, cū de repetundis fore vt Appius poſtularet. vt de Quinto dicantur omnia, cui valde timebat, ne rediens ex Aſia, ab ſuis inimicis oppugnaretur.*

Vento reiectus ab illo. *Ne illum adire, ac videre potuerit: ſententia plane bona: In libro tamen Faërni*, ab Ilio *ſcriptum eſt: negligentia'ne librariorum in ductu literarum, an quia ita eſſet in exemplari, vnde illi deſcripſerunt, quis poſſit dicere? Illud affirmare poſſumus, ſi* ab Ilio *rectum ſit, a loci huius ſententia non abhorrere. Fuit enim oppidum & ipſum in eadem ora Aſiæ, qua & Epheſus: Phaëtonta quidem conſtat, cum Quinto non fuiſſe: ſed conueniendi*

*eius cauſſa, Epheſum, aut Ilium nauigare conantem, inde reiectum in Macedoniam tempeſtate fuiſſe.*

Mecum ſimul dediſſes. *Eadem ratione hic, Mecum ſimul, eſt dictum, qua vnà mecum, alibi, & vnà ſimul: ne putemus alterum abundare. quanquam Cornelius Fronto, ſimul, locum demonſtrare ait, Vnà, congregationem.*

Aut vi euelleretur. *Noſtri* Auelleretur. *Eſt autem Auelli, ab aliquo diſtrahi inuitum.*

Quod optimo tempore. *Omnes*, quod optimo genere. *vt ſit, optimo mortis genere. Vnus Romanus habet,* Tempore. *quæ lectio cũ his conuenit, quę proxima epiſtola ſuperiori ſcribit, his verbis. Hoc affirmo, neminẽ vnquam tanta calamitate affectum eſſe: nemini mortem magis optandam: cuius oppetendæ tempus honeſtiſſimum prætermiſſum eſt.*

Mihi etiam vnum de malis &c. *Senſus atque ordo eſt: Mihi etiam inter tot mala, vnum fratris miſeri negotium in metu eſt. hoc eſt, Ad meas calamitates, etiam metus quem habeo de negotio fratris accedit. Infra lib.* XII. *& in Topicis ad Trebatium, cum Enthymematis ex contrarijs exemplum adduceret, in metu ponere, dixit, his verbis. Hoc metuere, alterum in metu non ponere.*

## IN EPIST. X.

Aliud aliquid. *Noſtri fere, conuerſo ordine,* Aliquid aliud.

Aut certe viuus amitterem. *Contra meorum omnium conſenſionem, qui ad vnum habent,* Non amitterem, *vulgatam lectionem ſequi cogor, a qua abeſt negatio. Nam cum a* Commiſi *communi verbo, dependeant verba illa: nihil erit a Cicerone commiſſum, ſi viuens non amiſerit: commiſſum erit, ſi amiſerit, & non vnà vitam profuderit.*

## IN EPIST. XII.

Itaque Siletur. *Equidem mallem* Sileri. *Si enim* Siletur *defendimus, ſtatuendum nobis eſt, vtri tandem hoc verbum tribuere velimus, Attico ne, an Ciceroni: ſi Attico; videndum cenſeo, quàm conſequens oratio ſit, quamq; tranſitus concinnus, ab infinito modo, ad finitum. Sin Ciceroni: ita vt antecedentium verborum, quędam complexio & conſecutio ſit, Ergo, aut igitur, dicturus potius, vt mea fert opinio, quàm itaque fuit. Nam illa breuioribus concluſionibus, qualis ratiocinatio atque Enthymema eſt, conueniunt: hoc, ſicut & Quare & Quamobrem & huiuſmodi, longioribus. Adde quod his, quodammodo ac-*

*quieſcimus, finemq; orationi imponimus: in illis, non plane contenti, vltra aliquid deſideramus. Ego tamen puto illa verba eſſe ex epiſtola Attici, oblique a Cicerone relata; quæ recte ſcripta fuerant ab illo, dictumq; hic,* Itaque *pro* Atque ita. *Tu ſedulo inquit argumentaris, quid ſperandum ſit; conſolationi ſeruiens ſcilicet: idem tamen, caput rogationis proponi ſcribis, quare in Senatu dici nihil liceat: atque ita, non tu quidem ſcribis, ſed tamen tacite colligis, ſileri: nempe veritati ſtudens. Hæc noſtra ſuſpicio, verbis quę his hærent, corroborari videtur; in quibus* Hic, *cum indignatione prolatum, ſubindicat initium quoddam fieri; valet enim* Et, *aut* ἔπειτα. Siletur *omnino languet, & incommode cum reliquis conſtruitur.*

Vt ad me venias Sidona. *Sidona his in locis inuenio nullam. Quę eſt vrbs in Phœnice, ad cogitationes Ciceronis pertinere non poteſt. Pertineat fortaſſe Dodona, quod eſt Epiri oppidum, Iouis oraculo celebre: vbi Atticus ſua prędia habebat, quoque Cicero ſe iturum ſcripſerat. Et de prędijs quidem lib.* II. *Epiſt.* IV. *Terentiæ ſaltū perſpeximus: pręter quercum Dodoneam, nihil deſideramus, quo minus Epirum ipſam poſſidere videamur: ac ſi dicat, tua prædia. Statuiſſe verò illum eò ſe conferre, ex ſequenti proxima epiſtola,*

*non obſcure cognoſcitur, cuius initio, ita ſcribitur. Quod ad te ſcripſeram me in Epiro futurum, poſtea quàm extenuari ſpem noſtram, & euaneſcere vidi, mutaui conſilium: nec me Theſſalonica commoui. Et epiſtola ab hac tertia, quæ tamen ordine proximam antecedere debuerat: In Epirum ideo vt ſcripſeram non veni &c. Non alienum igitur, nec ab epiſtolæ argumento, nec a ſcriptura fuerit, ſi* Dodona *ſcribatur. Nam* Sidona tam, *quod in pleriſque legitur manuſcriptis, quo modo factum ex ſidona ſit, vicinum* Tamen *declarat.*

Tamen intelligo te iſtic prodeſſe &c. *Communis dicendi forma poſtulabat, vt* Verbo, Re *ſuo oppoſito redderetur: atque haud ſcio, an ſcriptorum incuria omiſſum ſit, an ex* Re, Te *factũ, in tanta vocum ſimilitudine, procliui lapſu: ita vt olim fuerit: Tamen re intelligo te: vel. Tamen intelligo re: ſic tamen, vt exterius, Te adhibeatur. Prioris lectionis veſtigia quædam apparent in Antoniano libro, vbi legitur.* Tamen vt intelligo te; *ſine ſententia; nec dubito quin deprauate* Vt *pro* Re *ſcriptum fuerit, erroris occaſionem præbente ſimilitudine litterarum. Deniq; non memini adhuc me, nec* Verbo *ſine* Re: *nec* Re *ſine* Verbo *ſuo redditiuo, aut ἰσοδυναμένω legere. Nam idem Verrina* II. *nomine dixit. Iſte*

*(inquit) M. Marcelli & P. Africani monumenta, quę nomine illorum, re uera populi Romani erant & habebãtur, ex fanis religioſiſſimis, ex urbibus ſociorum atque amicorum non dubitauit auferre. Pro Sextio paulo aliter. Fuerat arcus intentus in me unum, ſicut uulgo ignari rerum loquebãtur: re quidem uera in uniuerſam Remp. Quæ dicendi ratio, de græcis ad noſtros peruenit. Thucy. de Pericle.* ἐγίγνετό τε λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή. *Dio quoque lib.* XXXXI. ὀνόματι μὲν ἰσονομίας, ἔργῳ δὲ δυναστείας *&c. Item Iſocrates in Nicocle.* τῇ δ' ἀληθείᾳ. *quod eſt, reuera. Et Magnus Baſilius* εἰς τὴν ἀρχὴν τοῦ πρώτου ψαλμοῦ *pro eo quod eſt* λόγῳ, τῷ μὲν δοκεῖν: *hoc eſt, ſpecie, uel ut ſibi uidebantur* μελῳδῶσιν, *inquit,* τῇ δὲ ἀληθείᾳ τὰς ψυχὰς ἐκπαιδεύωνται.

## IN EPIST. XIII.

Perinde habebo, ac ſi ſcripſiſſes. *Conſentiunt noſtri omnes, cum Victorianis, proq́; Perinde, Proinde ſcriptum habent: quæ uox, Donatus ait in Phormione, aliquando ſimilitudinis aduerbium eſt, non coniunctio. quo in loco ſic Terentius. Proinde expiſcare, quaſi non noſſet: hoc eſt, Ita. Vtitur hac uoce Varro frequentiſſime: & ſi diligenter Soſipatri uerba pendamus, prius in*

*vſu, crebriusq́; vſurpatum* Proinde *fuiſſe iudicabimus in eo ſenſu, quàm* Perinde. *Eius hæc ſunt, inſtitut. lib.* 11. *Perinde, pro proinde. Plautus in Sticho. Vt perinde homini res parta eſt, perinde amicis vtitur. Itaque non mala fortaſſe coniectura vtetur, qui apud Ciceronem ſuſpicetur, ex* Proinde, *non raro* Perinde *factum eſſe. Varroni quidem certe eius æquali, crebro in vſu eſt: apud quem, Proinde ac: Proinde vt: Proinde quaſi inuenitur.*

Mecꝑ temporis non longinqui &c. *Senſus eſt: Et moleſte feram, quod non hæc, licet vana, tamen diuturnior ſpes fuerit: quaſi decipi concupiuerit: contra quàm paſſim, omnibusq́; ſuis literis ab Attico petierit, vt omnia certa ad ſe ſcribat, citiusq́; veritati ſeruiat, quàm conſolationi. Quare malim* Neque temporis, *illo ſenſu.* Neque *feram moleſte, ſperaſſe breui tempore: hoc eſt, ſpe illa priuatum eſſe, qua ſuſtentabar; cum mihi amicior veritas, quàm conſolatio ſit. Vel ſic.* Nec *moleſte feram, paucos hoſce dies non male ſperaſſe.*

Vt omni ſuo ſcelere & perfidia abuterentur &c. *Bonis abuti cum dicatur, vt patientia, obſequio alicuius: pro male vti, hic ſcelere et perfidia abuti, pro Conſumere, dictum eſſe videtur, tranſlate ſcilicet, a vino, oleo & his quæ vtendo*

deperduntur. Itaque, non ſcelere & perfidia abuſi ſunt, dixit ſimpliciter: ſed omni ſuo addidit: quaſi nihil ſibi ſceleris reliqui fecerint, ſed plane omne conſumpſerint.

## IN EPIST. XIIII.

Et ſcio te me ĳs epiſtolis potius &c. *Aliquid eſt ſupplendum extrinſecus, quod huic cõparationis particulæ reddatur: tale quiddã ſcilicet. Quàm veritati conſulere. Faërni tamen exemplar,* Etſi ſcio te. *vt ſi in uicino coniunctoq; mẽbro, quo plena oratio ſit,* quam meas ſpes, *emẽdemus: ſententia perelegans ſit, & ad præſentes animi perturbationes, quibus angebatur Cicero, accommodata: qui Atticum & accuſare & excuſare ſimul velit. Si ſtultus (inquit) tibi videor, qui ſperem: Facio tuo iuſſu: tametſi ſcio te, de me, ac ſalute mea potius, hoc eſt, vt me in vita retineas, quàm de ſpe, eſſe ſolicitum & curare. In ſpe enim retines, non quia de ſpe valde labores: ſed ne ego ea deſtitutus, manus mihi afferam: Ideo enim me ſperare vis, non quo quidquam ſit magnopere ſperandum, ſed ne ipſe deficiam.*

Subiti mihi vniuerſi nuntĳ venerant. *Nõ ſubiti vniuerſi, ſed vniuerſi nuntĳ, hoc eſt, quotquot iſtinc veniebant, ſubito & de repente. Dicimus enim, ſubito venit, & ſubitus venit. Eſt*

*hic quoque* ἔλλειψις *participij, Dicentes, Nuntiantes, frequens apud ſcriptores. Quidam pro Vniuerſi, legunt Aduerſi. Nos Vniuerſi retinemus; uel quia ita habent manuſcripti impreſſiq́; uniuerſi: uel, quia nuntios aduerſos nō dicimus: ſed aut graues, aut triſtes, aut malos, aut quid tale.*

## IN EPIST. XV.

Et rogas vt ſim firmior. Et rogas, *præter Antonianum exemplar, in nullis inuenio. Deſiderantur ea quidem, ſed Eclipſes eius generis, non infrequentes & apud alios, & apud M. Tullium eſſe, nemo ignorat. Hęc uero talis eſt, ut per ſe quiſque quod deſit, haud magno negotio ſupplere poſſit. Neque tamen inducimus.*

Quo modo a me ipſam incolumitatē &c. *Antonianus liber, & quatuor alij,* Et quo modo. *ut forſan legi oporteat,* Ecquo modo, *quemadmodum Ecquando, Ecquid, & id genus alia. Omnino, rogandi quædam uis eſt, in ea particula. Sententia uerò membri huius, eadem eſt, quæ ſuperioris, ſed alijs uerbis elata. Si tu, inquit, incolumis, hoc eſt, ſi tu cum tuis & in tuis cum ſis, nullaq́; ex parte læſus, me tamen requiris, atque hoc uno, quod me uno cares, tantopere doles: quo me deſiderio teneri putas incolumitatis ipſius, id eſt, tui, uxoris, fratris, filiorum, patriæ, dignitatis,*

*mei*

*mei ipſius denique, rerum mihi cariſſimarum; qui bus ſum omnibus orbatus? Incolumitatem hic Cicero, non ὑγίειαν, ſed priſtinum vitæ ſtatum, & fortunæ conditionem vocat. Sic infra 111 ab hac epiſtola. Tantum velim fortuna det nobis poteſtatem, vt incolumes, amore noſtro perfruamur. Et in v. ab hac eadem, reditum in patriam, ſalutem appellat. Eſt autem ὁ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον, ἢ τοῦ καθόλου καὶ κατὰ μέρος, τόπος.*

Quo tu abundas. *Noſtri omnes,* Abundabas. *ad illud tempus reſpiciens, quo fuiſſet conſilium maxime oportunum.*

Hic mihi ignoſcas. *Manuſcripti omnes* Ignoſces. *vtrunq; recte, ſi ad ſenſum ſpectemus. Sæpe enim futurū Indicatiui, aut inſtans Subiunctiui, pro imperandi modo inueniuntur. Idem hic noſter ad Trebatium. Sed valebis, meaq; negotia videbis, meq;, Dijs adiuuãtibus, ante brumam expectabis. pro Vale, Vide, Expecta. Et ſupra lib. 11, epiſtola vltima: Quo die Romam venies, ſi me amas, apud me cum tuis maneas: pro Mane.*

Vtinam modo agatur aliquid: multa occultant &c. *Inter* aliquid & multa, *in pleriſque meorum,* quo ipſa *ſcriptum inuenio. In Antoniano tamen & Faërnino,* In quo ipſa, *Vnde,* In quo ipſo, *non inconcinne emendari poſſe iudicauimus: quod eſt, in ſcribendo quid agatur.*

*Equidem (quod non in paruo diſcrimine ponendum puto) exemplar nullum adhuc vidi, a quo hæc abeſſent.*

Ac ſi per populum. *Equidem malim* At. *Atque ita habent aliquot manuſcripti, immò etiam impreſſi.*

Si autem ſpei nihil eſt. *Emendo* Sin *& vſu dicendi, & vetuſtis libris auctoribus.*

Satis eſſe conſilij decreueras. *Noſtri* Decreras. *Vtro modo legatur ad ſententiam nihil, ad germanam & veram lectionem refert plurimum. Eſt autem Decernere, Statuere, Indicare. Terentius in Hecyra. Tu autem ex amicis, inimici vt ſint nobis affines facis: qui illum decreuerunt dignum ſuos cui liberos committerent.*

Inductus, coniectus in fraudem. *Notauit Petrus Victorius, in ſuis varijs lectionibus, Inductus* ὑπαχθεὶς *Demoſtheni dici. Ita enim illū* περὶ εἰρήνης. οἱ ὑπαχθέντες ὑμεῖς, οὔτε συμφερόντως, οὔτε ἴσως, οὔτε καλῶς προεῖσθε φωκέας. *Vtitur eadem voce M. Tullius infra lib.* IIII. *Epiſt.* V. *Inductus, relictus, proiectus ab ijs. Et* II. *Philip. Nihil queror de Dolabella, qui tum eſt impulſus, inductus, illuſus. Plautus in Captiuis, in eandem ſententiam, Ductus, pro Deceptus dixit, Omnes de me loquentur: hic ille eſt ſenex ductus, Cui verba data ſunt. Fraus autem hic, culpam atq;*

*errorem ſignificat, vt infra lib. IX. Cuius ego ſpe in hanc fraudem incidi.*

IN EPIST. XVI.

Idq́ te rogo. *Libentius, Itaq; legerim, quàm Idq́. Nam cum ita ſuas litteras temperaret Atticus, vt Ciceronem iuberet & bono animo eſſe, & non temere ſperare: is, qui varietatem illam ægrius ferret, valdeq; angeretur: apparet (inquit) te & conſolationi inſeruire, & veritati. quod mihi tamen non placet. Itaque oro te plane, vt ad me quæ certo ſcis, pro certis mittas: quæ ſuſpicaberis, pro ſuſpicionibus ſcribas.*

IN EPIST. XVII.

Caue, ne aut diligentia tua. *Non videtur eſſe dubitandum, quin Putes, Exiſtimes'ue, aut quid huius generis ſupplendum ſit. Non abſimilis apud Plautum eclipſis eſt, Aſinaria:*
*Ita me obſtinate aggreſſus, vt non audeam*
*Profectò percunctanti, quin promam omnia.*
*Deſideratur facere, aut tale quippiam.*

IN EPIST. XVIII.

Quæ proſpici à te poſſunt. *Noſtri omnes.* Quæ perſpici. *Rectè.*

IN EPIST. XIX.

Quod eiuſmodi mihi litteræ. *Opinor rectius, Quoad. præſertim cũ ei Poſt quã reddatur,*

quemadmodum apud Græcos, τῶ ἕως ἂν, ἢ ἄχρις, ἢ μέχρις, τὸ ἐπιδὰν.

Non quo mea intereſſet loci natura. *Non quo ſequerer amœnitatem loci, qui etiam lucem fugerem.*

Age, quo quo modo &c. *Manuſcripti quidam* Ego. *Sed quando plures a vulgata faciunt, ea debemus eſſe contenti; eoq́; magis, quod eſt elegantiſſima. Habet enim vim* Age, *vix concedentis, vix conſentientis, vt Donatus ait, in eo loco Terentij, qui eſt in Andria,*

*Huc face ad me vt venias ſi quid poteris.*
*D. Quid veniam? nihil habeo. C. Attamẽ ſiquid.*
*D. Age, veniam,*

## IN EPIST. XX.

Maxime tamen volui. *Nota volui, pro cogitaui, & in animo habui. Id, quæ ſequuntur declarant. Animaduerte etiam Præſtolari, non modo perſonę conuenire, ſed etiam rei. quod tamen rarum eſt.*

## IN EPIST. XXI.

Trigintadies erant ipſi. Ipſi *pro integri dixit, græcos imitatus, qui & ipſi τὸ αὐτὸ, pro toto ſolidoq́; accipiunt. Nam Thucydidis illud,* αὐτοδεκάτῃ τῶν διελθόντων, *Scholiaſtes exponit* ὁλο-

πλήρων. *Eodem modo infra lib.* v I. *epiſt. penultima. Detraxit viginti ipſos dies etiam Aphractus Rhodiorum. Varro apud Nonium, ſolidos vocauit, dum ait, Vlyſſem decem annos ſolidos erraſſe. Et Terent. Adelph. Totos. vt ſex totis menſibus olfeciſſem, quàm ille quicquam caperet. Quod eſt apud Plautum in Trinummo,*

*- Quia rure dum ſum*

*Ego vnos ſex dies, me abſente atque inſciente inconſultu meo*

*Aedes venalis haſce inſcribit litteris. in eo, vnos, non Totos, ſed circiter videtur ſignificare. quam dicẽdi rationem, hodieq; vulgo retinemus.*

## IN EPIST. XXII.

Milites dicentur. *Faërni liber.* Dicerentur. *Malim* Dicantur.

Tum deſiderio omnium rerum, quæ mihi &c. *Poggij Maffeiq; liber, atque aliquot alij* Rerum omnium, qui &c. *Falſo, cum genere diſſentiat; ſed quod tamen, ſi fide bona deſcriptũ ſit, veſtigia retineat verioris lectionis, quæ tota eſt in Romano exemplari, talis. Premor, cum luctu, tum deſiderio rerum omnium, tum eorum, qui mihi me cariores ſemper fuerunt. Et ſane durum eſt credere, cum a fratre, vxore, liberiſq;*

*diſcedimus, quidquam poſſe vita cuiquam eſſe antiquius. Pro illis, cum pie emori, tum libenter poſſumus.* Tum *verò, aliquando valet in primis. Infra ad hunc ipſum. Vtrique noſtrum existimo, tum mihi erit pergratum.*

## IN EPIST. XXIII.

Et quid putes vtilitatis eum promulgatio nem attuliſſe, ſcribis. *Antonianus & Faërninus.* Perſcribis.

A noſtris magiſtratibus. *Plane cum his ſentio, qui* Nonis *emendant.*

Sed cum lex abrogatur, illud ipſum abrogatur, quo modo &c. *Qui ſcriptura ſeruata, ſenſum tamen eruunt, eos equidem fateor ingenio valuiſſe, ſolertiæq; laudem tuliſſe: ſatisfeciſſe ſibi, haud equidem credo, Sane præter alia, ad ea verba quæ ſequuntur attendenti mihi, nêpe hæc. Hoc cum ita ſit: cum ſemper ita habitum obſeruatumq; ſit &c. Quibus perſpicue docetur, aliquid eſſe concluſum; & quid porro aliud, niſi ſanctiones non eſſe ſeruatas? appareat tamen in vulgata lectione, collectum nihil fuiſſe: ſuſpicio iniecta eſt, mendum non abeſſe: eoq; magis quòd Antonianus liber, & item Faërninus* Abrogatur *pro* Abrogaretur *retinent. Quam lectio-*

*nem ſequor, ita tamen vt a fronte* Abrogetur, *a tergo* Quo non, *pro* Quo modo *emendetur, non tam libris auctoribus, in hoc quidem poſteriori, quàm ſententia & ſcripturæ ſimilitudine, quo modo rudis corruptaq; ætas ſcribere ſolebat: vt totum ita ſit. Sed cum lex abrogetur, illud ipſum abrogatur, quo non eam abrogari oporteat: illo ſenſu. Si ſeruandæ ſanctiones eſſent, nulla fere lex abrogari poſſet; cùm nulla ſit, quæ non ſibi ſanctione caueat: Nunc lex abrogatur, ſanctiones ergo non ſeruantur: Nam cum lex abrogatur, etiam illud ipſum, quo non eam abrogari oporteat: nimirum ſanctio ipſa, abrogatur, quæ homines terrere ſolet, ab lege abroganda. Quare mox infert. Quod cum reuera ita ſit: hoc eſt, cum ſanctiones non ſeruentur, atque ideo nulla cauſſa ſit, in abroganda lege Clodij, metuendi: quid eſt, quòd Octo Tribuni pl. quaſi ſibi metuentes, caput poſuerunt hoc? Eſt autem argumentum a connexis: cum id quod primum eſt in connexo, ait: & quod annexum eſt, negat: ſumptoq; eius quod annexum eſt contrario, contrarium eius quod antecedebat, concluditur. Vt, ſi valet non Aegrotat: ægrotat autem, non igitur valet.*

Per legem Clodiam promulgare. *Cenſeo cogitandum, cur legem Clodiam ſcripſerint Tri-*

buni pl. non Fonteiam, cum qui adoptarentur, ij, familiæ, in quam adoptati fuiſſent, nomen acciperent: quod nomen, vt in quotidiano ſermone negligeretur, tamen in actis publicis ſeruabatur. Cicero quidem ipſe in Philip. x. cum tota oratione illa, Brutum ipſum, M. Iunium Brutum appellauiſſet: in dicenda ſententia, quàm in acta publica referri oporteret, Q. Cępionem vocat: quòd a Q. Seruilio Cępione adoptatus fuiſſet. In prima quoque libri primi epiſtola, quem antea Thermum, poſtea deſignatum Conſulem, Figulum appellauit, cognomine illius familiæ, in quam tranſierat. An forte noſter hic, adepto Tribunatu plebis, cuius adipiſcendi cauſſa, ad plebem tranſierat, curauit ſe emancipandum, ad prioremq́; ordinem rediịt? Id ſi feciſſet, vix probabile eſt, tacitum fuiſſe laturum: an non ſemper hoc ſeruabatur, nec perpetuum erat? Id potius videtur.

Ad III Non. *In meis, amplius,* Nouembris. *& puto reponendum, præſertim, quod ſi abſit, ſupplendum tamen ſit; & poſt tantum verborum, quantum fluxit ab illo, Ad IIII. Kal. Nouemb. non facile ſuccurrat. Argumento eſt, quòd Corradus & Manutius, vt res certior eſſet, Nouembris inrerpretatur. Quod cum in meis omnibus inueniatur, quid cauſſæ eſt, quo minus reſtituatur?*

Ninnium ac cæteros ſugerit. *In Antonia no ac Faërnino, atque adeo aliꝭs fere.* Aut Ninnium aut Cæteros. *Vt credi poſſit,* Vt Ninnium ac cæteros. *vel vt* Ninnium vt cæteros *ſcriptum fuiſſe, a verbo* Inueſtiges. *hoc ſenſu. Velim inueſtiges vt Ninnium vt cæteros fugerit. Miratur enim Cicero, Ninnium ac cæteros Tribunos pl. ignoraſſe, caput huiuſmodi, nulla in lege reperiri. Quo magis de malitia ſuſpicabatur. Illud monendũ, in libris nonnullis,* Nuinmium *reperiri; ſed vulgatum probo.*

Siue quod obſeruandum. *Recte Manutius, vt mea fert opinio, hunc locum emendat. Quare nihil addo.*

Tum tua coniectura. *Noſtri cum, niſi fallor, melius: non quòd plus arroget ſibi Cicero, quàm Attico tribuat; ſed quod ita natura comparatum eſt, vt quæ magis cupimus, ea minus ſperemus,* δυσέλπιδέςq; *ſimus. Quod & ſupra, epiſtola ab hac tertia, indicat his verbis. Me tuę litteræ, nunquam in tantam ſpem adduxerunt, quantam aliorum: & tamen mea ſpes, etiam tenuior ſemper fuit, quàm tuæ litteræ.*

## *IN EPIST. XXIIII.*

Qvi cauſſam noſtram ſuſceperant. *In meis,* Et qui, *expuncta ſequentis inciſi copula.*

*plane melius. Iuſtior enim querela ceſſandiq́; cauſſa eorum eſt, qui cum ipſi noſtram cauſſam ſuſceperint, in ſua, noſtra conceſſione lędantur. Vbi etiam in Noſtra & ſua, grata oppoſitio eſt.*

Immutata ſit. *Lego e meis omnibus, & ſcriptis & impreſſis*, Imminuta, *vt mea fert opinio, non paulo melius. Voluntas enim, opinio, mens, ſententia conuerti immutariq́; poteſt: Conſtantia, an poſſit, neſcio: Extenuari tamen eam, debilitari, exhauriri poſſe, certum eſt. Quanquam hic ego Imminuta, læſa, contemptibiliorq́; facta, interpretor, illo ſenſu. Vt cum alacritas illa Senatus, ſiue potius Tribunorum plebis, pro mea ſalute ſuſcepta, facto illo Conſularium prouinciarum ornandarum, læſa, leuiorq́; apud homines effecta ſit; quiduis iam, præuerti, meo negotio poſſit. Neque hic tantum in hac voce, ſcriptorum oſcitantia deprehenſa eſt. In epiſtola ad Marcellum quæ incipit, Si tu exercitusq́; valetis: id ipſum Victorius animaduertit: & ex antiqua ſcriptura, Imminuta, pro Immutata reſtituit. Procliuis eſt enim lapſus, tanta litterarum conuenientia eſt.*

## IN EPIST. XXV.

SALVTIS noſtræ ſubeſſet. *Noſtri, omnes*, Saluti. *Lenius omnino*,

Aut ne omnia velle &c. *Hoc meo iudicio ſignificat. Atticus, re Ciceronis, bono loco conſtituta, Roma exierat, ſui negotij cauſſa; idq́; ad illum ſcripſerat. Hoc Cicero cum ægre ferret, querela tamen abſtinere ſe dicit, ne ingratus videatur, nullamq́; amici rationem habere. quaſi non laboret, an omnia pereant, ſi ipſe pereat.*

## IN EPIST. XXVII.

PLVRA non ſcribo, cura vt valeas. *Hæc verba, præter Antonianum, nulli mei habent. Et vero ſubolent ineptam quorundam ſedulitatem; qui etiam de ſuo, omnibus fere epiſtolis* Vale *adſcripſerunt, cum in manuſcriptis libris, & quidem omnibus, per quam paucis addatur.*

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Atticum, EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

## Argumentum libri IIII.

HOC LIBRO, *quatuor annorum epiſtolæ cõtinentur. Tres primæ, P. Lentulo ſpinthere, Q. Metello Nepote: Quinque conſequentes, Cn. Lentulo Marcellino, L. Philippo: Poſt has, totidem Cn. Pompeio Magno* II, *M. Craſſo* II: *reliquę vſque ad finem, Ap. Claudio Pulchro, L. Domitio Ahenobarbo Coſ. ſcriptæ ſunt. Neceſſe eſt autem aut eos vnà fuiſſe, aut non plures ab eo, qui epiſtolas congeſſit, inuentas. Primæ igitur, reditum Ciceronis continent: qui fuit; Prid. Non. Septembris, duo de vigeſimo menſe, poſt eius fugam: Quo modo area domus illius, pontificum ſententijs liberata*

*fuerit: domus ac villæ publica pecunia reſtitutæ: & cum in reditu eius, ſumma annonæ caritas eſſet, S. C. in ſententiã illius factum eſt, quo Cn. Pompeio, rei frumentariæ per quinquennium cura dabatur; cum eodem imperio, quod is, bello Piratico habuiſſet: item, vt T. Annius Milo, ſæpe cum Clodio, Aedilitatis candidato, manu armisq́; dimicauerit, ne eius comitia haberentur. Hæc in tribus primis epiſtolis. In proximis, quæ Cn. Lentulo Marcellino, & L. Philippo Coſſ. ſcriptæ ſunt, nihil eſt hiſtoria dignum, niſi de Domitij repulſa in petitione Conſulatus: qui etiam foro per vim pulſus ſit: ſeruo illius, qui Lucernam præferebat, interfecto: Creati vero ſunt ex interregno & per vim, Cn. Pompeius II, M. Craſſus II: quorum anno ſcriptæ litteræ, reditum Ptolemæi in regnum, ſtrictim attingunt: turpemq́; Craſſi in prouinciam Syriam profectionem, dirarum obnuntiatione neglecta. Porro autem litteræ quarti anni, Ap. Claudio videlicet, & L. Domitio Coſſ. candidatorum ambitum & contentionem habent: quę tanta fuit, vt M. Meſſalla, & Cn. Domitius ex interregno, ſeptimo huius anni menſe Conſules declarati vix deniq; fuerint: idq́; Q. Pompeio Rufo Tribuno pl. qui interceſſionibus comitia tollebat, in carcerem coniecto ex S. C. ceterisq́;, ſiquis impedire conaretur, deterritis.*

*Continent etiam A. Gabinij reditum, nocturnúq; in vrbem ingreſſum, omnium hominum odium aduerſus illum: accuſationem de maieſtate, quòd contra Senatus populiq; iudicium, Ptolemæum in regnum reduxiſſet: & quædam alia, ſed pleraque priuata, atque domeſtica. Inter proximi ſuperioris libri epiſtolas, atque huius, mẽſes octo fluxerũt: nimirum ex Kalendis Ian. ad Nonas Sept.*

## IN EPIST. I.

PROPTER meam in te obſeruantiã &c. *Rarum omnino, atque haud ſcio an ſingulare, vt Propter, vim comparationis habeat, Præq; aut Pro valeat. Finem quidem, efficientemq; cauſſam ſignificare, vel vnus ille locus, infra declarat. Tironem, propter humanitatem & modeſtiam eius, malo ſaluum, quam propter vſum meum. Sed neutra hic notio, locum poteſt habere, vbi vis eadem indicatur, quæ eſt in Pr, aut Pro. quæ vt facilius dignoſcatur, vtriuſque prępoſitionis exemplum afferam: primum ex Sextianæ orationis principio, quòd tale eſt: Siquis antea Iudices mirabatur, quid eſſet, quòd pro tantis opibus Reip. tantaque dignitate imperij, nequaquam ſatis multi ciues forti & magno animo inuenirentur &c. Quorũ ſenſus eſt: ſi magnitudo Reip. potentiaq; ſpectetur, pauci inueniantur &c. Alterũ ex Liuij primo lib.*

*ſic ſcribentis. Qui omnes facile ſpem fecerant, paruam Albam, paruum Lauinium, præ ea quæ conderetur fore: hoc eſt, Albam, ſi cum ea vrbe quæ conderetur, conferretur, paruam fore. A qua ſignificatione, cum Propter, vt quidem paſſim vſurpatur, alienum ſit,* Præ *aut* Pro mea in te obſeruantia, *libẽter legerem, niſi repugnarent exẽplaria, & maior æquo fiat litterarum iactura. Itaque nihil muto, contentus hęc ipſa indicaſſe, in mediumque protuliſſe.*

Quemadmodum fracta, diſsipata &c. *Plautus in Perſa, de eo qui quod habuit perdidit. Nam etſi res ſunt fractæ, amici ſunt tamen.*

Ipſo illo die, quo lex lata eſt. *Faërni liber,* Illo ipſo die, quo lata lex eſt. *Et proximũ quidẽ inciſum, dulcius fluit, quã vulgatũ: illud eſt vſitatius. Idem pro domo. Hunc Conſulẽ, illo ipſo die cõtẽdo ſeruaſſe de Cœlo. Et paulo poſt. Hora nona illo ipſo die, tu es adoptatus; Et ſic fere alibi.*

Et Brunduſinæ Coloniæ. *Ea deducta eſt, auctore Velleio, Torquato & Sempronio Coſſ. anno Vrbis Condite* I Ↄ I X.

Et ad omnia me, alterum ſe fore dixit. *Ab Romano typis excuſo, atque duobus alijs manuſcriptis,* Ad *præpoſitio, abeſt, ab vno Maffei, etiam* Me. *vt fortaſſe non longe aberret a vera ſcriptura, qui* Omnino *emendet,*

*verbaq; ita texat. Me principem nominauit, & omnino alterum ſe fore dixit.*

Nihil adhuc pontifices reſponderant. *Faërni liber.* Reſponderunt. *a l hiſtoriam temporaq;, plane melius. Adde, quod non ſatis conſequens eſt oratio. Nos tacemus, quòd nihil adhuc Pontifices reſponderant.*

## IN EPIST. II.

NEQVE plebiſcito, qui ſe. *In manuſcriptis,* Neque plebiſcituis, qui &c. *vt commode legi poſſit.* Neque plebiſcito is, qui &c.

Videri poſſe ſine religione. *Videri, dixit, ex priſca conſuetudine, qua in ferenda ſententia Iudices, etiam id quod ſcirent, videri dicerent. de qua in extrema quarta Academica, idem ſic Cicero. Quam rationem maiorum etiam comprobat diligentia: qui primum iurare ex animi ſui ſententia quenque voluerunt; deinde ita teneri, ſi ſciens falleret, quòd inſcientia multa verſaretur in vita: tum qui teſtimonium diceret, vt arbitrari ſe diceret, etiam quod ipſe vidiſſet: quaq; iurati Iudices cognouiſſent, vt, ea non eſſe facta, ſed vt videri pronuntiarentur. Vnde infra hoc eodem libro, epiſtola Occupationum mearum. Druſus (inquit) & Scaurus, non feciſſe videntur: id eſt, abſoluti ſunt. Hoc verbum, iuris fuiſſe, idem*

*innuit,*

*innuit, ad Trebatium his verbis. Hoc, quemadmodum vos ſcribere ſoletis in veſtris libris, idem Q. Cornelio videbatur.*

Iam partem illam areæ. *Manutius & Corradus*. Eam. Meam *fortaſſe melius, propterea quòd ea eſſet etiam, vbi erat porticus Catuli.*

Nuntiat iam populo. *Quod in duobus meis legitur*, Nuntiante populo, *videtur emendari poſſe*, Nuntiatq́. *certe* Iam *otioſum eſt.*

Hic, cum etiam illi infimi. *Non video, quî minus infimi, vel vt habent alia exemplaria, Infirmi homines, quam ſummi atque valentes irrideant, vt hoc argumentum Cicero afferret, ad amentiam Clodij prodendam. Deinde, quid ſibi vult,* Illi? *Itaque ſuſpicor* Intimi *poſſe legi, illa ſenſu, vt etiam ij, qui illi intimi eſſent, eiq́; propter amicitiam deberent ignoſcere, riſum continere non poſſent.*

A quibus Marcellinus. *Non a quibus rogatus, ſed a quibus quæſiuit.*

Quæſiuit, quid eſſent in decernendo ſecuti. *Pulchra dicendi ratio planeque ſeculi illius aurei, finem ſignificans. Quęſiuit, inquit, quid eſſent in decernendo ſecuti: hoc eſt, qui ſenſus, quod conſilium, quę cogitatio fuerit illorum, cum dixerunt, Videri ſine religione, partem areæ, poſſe reſtitui. Videri enim poterant nonnullis, iudi-*

*caſſe reſtitui oportere. Itaq; Lucullus ad ea: Ponti fices de religione, quod ſui fuit officij ſtatuiſſe: nẽpe aream, omni religione liberam eſſe: de lege Clodij conſtituere, ad Senatum pertinere.*

Si quæ vis eſſet facta. *Plerique meorum,* Siqua. *Priſcianus quidem lib.* v. *cum illorum opinioné refellit, qui Siquis, Nequis, Aliquis, ad imitationem Græci* εἴτις, *enclitice prolata, putabant oſtendit* Siqua *dicendum eſſe: propterea quòd Encliſis, corrumpere dictiones non ſoleat: corruptas porro eſſe Siqua, Nequa, illud palam facere, quod ſimplex illorum, Quæ, non Qua ſit. Cuius ſi vera ſententia eſt, multa erunt huiuſmodi, in libris Ciceronis emendanda. Nam infra lib.* x i i. *epiſt.* i i i i. *De Cælio, vide quæſo, ne quæ lacuna ſit in auro. Et lib.* x v i. *epiſtola, Binæ vno die. Et metuo, ne quæ* ἀρισεία *me abſente. Et eodem libro, epiſt. Ita vt heri. Quam ob rem, etſi magis eſt, quod tibi gratuler, quàm quod te rogem: tamen etiam rogo: vt ſi quæ minus antea propter infirmitatem ætatis conſtanter ab eo fieri videbantur: ea iudices illum abieciſſe. Multa ſunt huius generis, tum in his libris, tum reliquis illius, aliorũq; ſcriptis: quæ quo plura ſunt, eo mihi fidem maiorem faciunt, vtrunque recte dici, quemadmodum Siqui, & Nequi, pro Siquis & Nequis in ſingulari numero: eoq; magis, quòd in Terentia-*

*na Heautontimorumeno, Prologus, Siquæ ſcripſit, his trimetris.*

*Nã nunc nouas qui ſcribunt, nihil parcũt ſeni.*
*Si quæ laborioſa eſt, ad me curritur:*
*Sin lenis eſt, ad alium defertur gregem.*

*Nec me fugit in impreſſis legi Siqua: ſed vt emendem Siquæ, & vetuſtorum exemplarium auctoritas, & carminis ratio facit, quæ iambum fere in prima ſede, aut Spondeum efflagitat, cum Siqua, Trocheus ſit, vt illud Catulli manifeſtat.*

*Siqua recordanti benefacta priora, voluptas*
*Eſt homini, cum ſe cogitat eſſe pium &c.*

*Quinimo, Qua, pro eo quod eſt Aliqua, vel diſſecta compoſitione, vel prorſus ſine M inuenitur. Cicero enim ad Sulpicium, libro Epiſtolarum ad Memmium. Sin autem propter verecundiam ſuam, minus ſe tibi obtulit, aut eum non dum ſatis habes cognitum; aut quæ cauſſa eſt, cur maioris commendationis indigeat: ſic tibi eum commendo &c. Et Varro de lingua Latina, in fine libri IIII. Ab eo Ennius ſcribit, Pæni ſtipendium pendunt. Ab eodem ære impendendo, diſpenſator: & in tabulis, ſcribimus expenſum: & inde prima penſio; & ſic aut ſecunda, aut quæ alia. Quo in loco, ne Ciceronis tantum videamur habere rationem: pro Im-*

Locus Varronis emẽdatus. *pendendo, Diſpendendo puto legendum, vnde Diſpenſator fiat; Diſpendere enim eſt, pendendo diſtribuere, quod ad diſpenſatorem, hoc eſt, οἰκονόμον pertinet: vel certe Pendendo, ſine præpoſitio tione. Siqui vero, & Nequi, pro Siquis, Nequis dictum priſcis fuiſſe; hoc quoque, nequid, quod ad hanc rem pertineat, quodque vtilitatem aliquam iuuentuti afferat, omittamus: exemplis eſt hiſce probandum, Idem pro Cluentio: Itaque ei teſtamento legat grandem pecuniam a filio, ſiqui natus eſſet: ab ſecundo herede, nihil legat. Et pro Sylla. Atque illud etiam addam, ne qui forte incipiat improbus, ſubito ſe amare Torquate &c. Item pro eodem. In quo ego, tam ſubito & exiguo & turbulento tempore, multa diuinitus, vt dixi, non mea ſponte prouidi: primum, nequi poſſet tantum aut de Reip. aut de alicuius periculo meminiſſe, quantum vellet &c. Denique infra lib. VII, epiſtola IX, ſubito conſilium cepi, vt antequam luceret exirem: ne qui conſpectus fieret, aut ſermo. Atque hęc hactenus.*

Omnium fanorum ac ſacrorum locorum. *Deleo* Fanorum, *& ne Fana a locis ſacris videamur excludere: & quia (ſi veterum librorum ſcripturam animaduertimus) librariorum culpa factum arbitror, vt illud intruderetur. Ea eſt enim huiuſmodi.* Omnium ſanorum

locorum. *quæ cum abſurda ſit, vt ex errore gignitur error.* Et ſacrorum *poſteriores agglutinarunt, vbi opus fuerat*, Fanorum, *in* ſacrorum *mutare. Atque in hoc quidem, Corradum ſequor.*

Abſens, præſentes. *Fortaſſe*, Abſens præſensq́.

## IN EPIST. III.

TVM ſcire quid hic agatur. *Emendo*, Cum ſcire. *& vetuſtis libris auctoribus, & dicendi ratione.*

Diſturbata porticus Catuli. *Diſiecta, demolita, diruta. Apparet ex illis. quæ ad tectum pene peruenerat. Sic Philip.* v. *Huc etiam niſi veniſſem*, K. *Sept. fabros ſe miſſurum & domum meam diſturbaturum eſſe dixit.*

Iuſſu Clodij, inſpectante vrbe, iniectis ignibus. *Ordo & ſententia verborum, videtur hæc. Iuſſu Clodij, iniectis ignibus: idq́; inſpectante vrbe, atque ferente.*

Ille vehemens furere. *Mei omnes* Ruere. *eodem plane ſenſu. Nec quia ſequitur, Poſt hunc vero furorem, non mihi antiquior eſt, tot librorum auctoritas.*

Etenim antea cum iudicium nolebat. *Cũ*

*lex de reditu Ciceronis lata fuiſſet, ipſeq́; P. Clodius, ſtudium populi erga illũ vidiſſet: vt comitia impediret, cum gladiatoribus, quos C. frater in ludos funebres comparauerat, impreſſionem fecit; multosq́; tum vulneribus tum cæde multauit. Huius rei cauſſa, de vi poſtulatus a Milone; ne iudicium fieret; omni ope contendebat, vt comitia Aedilitia, quorum ipſe candidatus erat, ante haberẽtur, ſperans, ſe, ſi Aedilis fieret, vt factus fuit, iudicium euaſurum. Etſi enim nomen ipſius delatum fuerat, Iudices tamen ſortiti non dum erant. & Metellus Conſul, qui Clodio ſtudebat, prætori inhibuerat, ne quod ante ſortitionem illam, iudicium faceret, comitiaq́; haberi volebat: quæ Milo, quo iudicium fieret, obnuntiationibus eximebat. Idq́; eſt, quod hac epiſtola ſcribitur. Hiſtoria eſt apud Dionem, lib.* X X X I X.

Meamq́ in Ceramico. *Subuereor, ne* Eam quæ *ſit legendũ: vt intelligamus* Milonem, *cum tria patrimonia, vt Pedianus ait effuderit, plures etiã domos habere potuiſſe, quorũ vna in Ceramico fuerit. Quare, haud multo poſt; Ex Anniana Milonis domo, dixit; vt diuerſam fuiſſe intelligamus ab hac, quã nunc expugnare Clodius, incẽdereq́; conatus ſit. Ciceronẽ plures habuiſſe domos, nõdũ legere memini. Auitã, quæ in Carinis fuerat ex P. Vict. abalienatam, ſuã non vocaſſet. Abalie*

*natã porro fuiſſe, ſatis illud eſt argumẽti quòd nullum de ea verbũ, neq; in his epiſtolis, neq; ſcriptis etiã reliquis, prorſus facit. Inſulas habuiſſe nõnullas, ex his epiſtolis cognoſcimus: ſed hæ, plurimũ diſtant a domibus. De Ceramico nihil habeo certi.*

Tum ex Arniana Milonis domo. *Cornelius Fronto, de nominum verborũq; differentijs; Pompeij porticus (inquit) & Pompeia, & Pompeiana. Pompeij, ſi poſſidet: pompeia ſi publicauit: Pompeiana, ſi in alterius dominationẽ venit.*

Eduxit viros acres. *Veteres libri omnes.* viros acris, *quemadmodum paulo ante, Omnis Catilinas: & in ea quę hanc antecedit epiſtola, Horas tris: & alibi, Pontis occuparãt: Omnis partis: Exitus difficilis:* διάφόρως *ſuauis: et locis innumerabilibus, eodem modo. Itaque viſum eſt, non eſſe faciendũ, vt hoc diutius diſſimularemus, contra omniũ manuſcriptorũ exempla, & veterũ grãmaticorum præcepta, nobis ab ijs, ſuper hac ipſa re tradita. Scribunt. n. quę nomina, gignẽdi caſum, recto ſimilem habent: cuiuſmodi ſunt, Agreſtis, Cæleſtis, Similis, Nobilis: item quæ E R deſinẽtia in recto, in ſexto declinant in I: qualia ſunt; Saluber, Acer, Imber: quæ'ue N S, aut R S, vt Frons, põs, Parens, Ingens: Ars, Iners: & quæ ſunt generis eiuſdẽ: vel vt breuiſſime Seruius, in eo loco exponẽdo ex primo Æneid. Tris notus abreptas &c.*

*Tris (inquit) latinum eſt. quorum genitiuus pluralis, in* Ium *exit: omnia in quarto caſu multitudinis in Is quidem & in Es, ſed melius & frequentius, vt idem ait, in Is: quorum in* Vm *exit, in Es mittunt: vt Patrum patres; Quo in loco, ne quis de ſcriptura dubitaret; Tris; Seruius Latinum eſſe dixit, ne exiſtimemus græca diphtongo ſcribendum, nimirum τρεῖς: & Soſipater, in I & S: ſingulari patrio ſimilia. Singula præcepta ſuperiora, Priſcianus, veterum ſcriptorum, ſed Maronis in primis teſtimonijs confirmat: quæ ego adducere ſuperſediſſem, niſi in recentiſſimis libris & nouiſſime impreſſis, deprauata legerentur. Ea igitur hæc ſunt. Georgi. libro III.*

*Idæasq; pices, & pinguis vnguine ceras.*

*Et lib. IIII.*

*Aquas dulcis & frondea ſemper Tecta petunt. Et Aeneidos libro I.*

*Hic feſſas non vincula nauis Vlla tenent.*

*Et lib. IIII.*

*Id cinerem, aut manis credis curare ſepultos?*

*Et lib. III.*

*Tris adeo incertos cęca caligine ſoles Erramus.*

*Item lib. IX.*

*Metuenſq; moneret Acris eſſe viros; prorſus eodem modo, quo nos diximus nunc ſcribi oportere, apud Ciceronem: ſed pergamus reliqua.*

*Virgilius item Aeneidos libro x i.*
*Sparſitq́; ſalubris Ambroſiæ ſuccos.*
*Et Georg. lib. i i.*
*Ingredior ſanctos auſus recludere fontis.*
*Et Eneidos lib. i i i i.*
*-Mactant lectas de more bibentis.*
*Terentius item in Heautontimoru.*
*Quid reliqui eſt, quin habeat quæ quidem in homine dicuntur bona?*
*Parentis, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, diuitias.*
*Et denique Virgilius idem lib. v i.*
*Hic locus eſt, partis vbi ſe via findit in ambas.*
*Quis omnibus in locis, in impreſſis vt diximus, E S, ſcriptum eſt: non quin & Pingues, & dulces & Manes & Tres & Acres dici poſſit: ſed ego veterum ſcripturam cenſeo, etiam ſi deterior ſit, tamen eſſe ſeruandam: nunc cum ſit longe melior, ſiue Romanæ linguę proprietatem ſpectes; ſiue aurium iudicium ſequaris, quo Maronem certum eſt fuiſſe politiſſimo; quid exiſtimare debeo? Quin Probus Valerius apud Gellium, Carmen illud Virgilij, - Vrbis ne inuiſere Cæſar: affirmat ſe vidiſſe, in libro, manu ipſius poëtę collecto (vtar enim verbo ipſius) per I, non per E ſcriptum, cum idem Poëta alibi, Centum vrbes habitant, dixerit: aurium iudicium ſcilicet, vtrobique*

*ſecutus. Nam ſi vertas (inquit) ibiq; Vrbes dixeris, hic, vrbis; illic inſipidius neſcio quid facies, hic exilius & exanguius. Et quanuis ibidem Probus, nihil referre putet, vtro modo quis, Vrbis ne, an Vrbes dicat, omneq; huiuſce quæſtionis arbitrium, auribus tribuat: alij tamen grammatici, Vrbis malunt: Vrbes aurium cauſſa dictũ eſſe. Exemplar quidem illud Virgilianum Vaticanæ bibliothecæ, tantæ vetuſtatis, vt quidam auſi ſint dicere, manu poetæ ipſius (quod ego tamen non credo, ſed eſt prorſus perantiquum) ſcriptum fuiſſe: Præſentis, Grauis, Fortis, & Ciuis habet, in vna Tityri ecloga, quam mihi ſtrictim licuit attingere. Vnde iudicium facio, eandem fere ſcribendi rationem vbique in eo ſeruatam. Verſus ij ſunt.*

*Nec tam præſentis alibi cognoſcere diues.*

*Et paucis interiectis*

*Nõ iſueta grauis tẽptabũt pabula fœtus. Et mox*

*Et fontis ſacros, frigus captabis opacum.*

*Et paulo infra.*

*En quo diſcordia ciuis*

*Perduxit miſeros.*

*Itaque Cornelius Fronto, Tris (inquit) in accuſatiuo caſu: Tres in nominatiuo & vocatiuo. Quo, quid dici clarius poteſt? Quare & in eodem exemplari Virgilius*

*Tris pateat cæli ſpatium non amplius vlnas.*

*Et Cicero in Frumentaria, ſi Priſciano credimus, Sedaſti etiam litis illorum, dixit. Quo minus etiã video, quid ij ſecuti ſint, qui Treis & Parteis, & vrbeis, & ſic omnia eius generis, per ei Græcum ſcribunt. Neque tamen is ſum, qui diphthongos quodam tempore, non in ſecundo tantum, ſed etiam in tertio declinatu, in vſu fuiſſe negem: res enim ſatis eſt plana, vel ex his Cæcilij carminibus apud Fabium.*

*Iam puerei venere, E poſtremum facito atque I.*

*Vt pueri plures fiant. Et deinceps.*

*Mendaci furi adde E, cum dare furi*

*Iuſſeris. Item ex Priſciano, ita libro VII. ſcribente. Veteres, finalem I, quæ longa eſt, per ei diphthongum ſcribebant. Quæ ratio Nigidio quoque placuit apud Gellium, & Q. Terentio Scauro, in libro de Orthographia: nã inquam diphthongum negamus aliquando, nec ſolum Ei, ſed etiam Ai in ſingulari etiam numero adhibitam fuiſſe: cum Ae ſyllabam, vt Feſtus ait, antiqui, græca conſuetudine, per Ai, quanquam ſeparatam, ſcriberent; Aulaï, Pictaï, Menſaï dicentes, & Marmora etiã iunctã, vt in illo ex Epitaphiorũ libro,*

VLPIAI SCITAE CONIVGI B. M.
P. AELIVS MACER ARTE SIGNATOR.
*Trib.* LACRVMANS POS. *ijdem tamen ſcimus,*

Locus Quinctiliani. *eundem Quinctilianum, eam diligentiam, vti ſuperuacuam incommodamq; damnare: cum & L, tam longæ, quàm breuis naturam habeat: & in his vocibus, quæ proximam ab vltima, litteram E habent, & I longa deſinunt, eam rationem ſequentes, E geminam vti cogamur, vt in Aureei, & Argenteei, & ſimilibus: ipſumq; met Priſcianum non ignoramus, poſteaquàm dixit, antiquos poſt E, I, ponere conſueuiſſe, ei diphthongum facientes, paulo infra addidiſſe, Ei diphthongo, nunc non vtimur: ſed loco eius in grçcis nominibus E, vel i productas ponimus, & his multo plura. Denique & is, et nõ ſane pauci artis grammaticæ ſcriptores, in quibus non nulli, vt Maronis libros manu ipſius ſcriptos; ità M. Tullij videre potuerunt, teſtatum reliquerunt, Compluris annos & Litis, apud hunc ipſum: Omnis homines apud Salluſtium: Omnis nos, Parentis, in Terentio ſcriptum fuiſſe, per vnum iota, non E latum; non ei diphthongum. Quibus tot argumentis, facile adducimur, vt manuſcriptorum librorum auctoritatem ſequamur; atque huiuſcemodi ſaltem accuſandi caſus, per IS prorſus enuntiandos putem, quidquid de reliquis, quis contendat & opinetur. Cæterum ad penſum quod ſuſcepimus abſoluendũ reliqui mihi ſunt loci tres, refellẽdi, unus M. Tullij, duo M. Varronis; qui illorum cauſſam*

*adiuuent, quibus ea diphthongus valde placeat: Ille igitur in III de Oratore, de Cotta loquens, cuius ruſticanam pronuntiandi rationem, Sulpicius imitabatur; Quare, Cotta noſter (inquit) cuius tu illa lata Sulpici nonnunquam imitaris, vt I, litteram tollas, & E, pleniſſimum dicas: non mihi oratores antiquos, ſed meſſores videtur imitari. Quo in loco, de diphthongo verbum dici, negamus: ſed cum E littera, duplicem ſonum haberet, craſſum & tenuem: qui tenuis, vſque adeo affinis eſſet vocali I, vt altera in alterius locum ſæpe ſuccederet: Sulpicius, contempto I, Mageſter, verbi cauſſa, mallet dicere, quàm Magiſter, idq; E, pleniſſimo. Et ne mihi videar hæc fingere: Quinctilianus libro primo, inter has duas litteras, mediam quaſi vocalem, agnoſcit, cum ait, In Here, neque E plane, neque I, propter vicinitatem audiri: vt hac de cauſſa veteres, E loco I poſuerint: Menerua & Leber, & Mageſter dicentes. Et item infra: Quid? non Cato Cenſorius, Dicam & Faciam, Decam & Faceam (ita enim emendo, cum excuſum ſit Dicem & Faciē) ſcripſit: eundemq; in ceteris, quæ ſimiliter cadunt, modum tenuit: quod ex veteribus eius libris, manifeſtum eſt? & a Meſſalla in libro de S littera poſitum Sibe & Quaſe, ſcriptum in multorum libris eſt. Ergo in hoc Cotta a Craſſo repre-*

Locus Ciceronis illuſtratus.

bendebatur, primum quòd E mallet vti, quàm I. deinde quòd E, nõn preſſo & leni ſono, ſed vaſto & pleniſſimo efferret. Nec turbari quiſquam debet, quòd E litteræ duplicem ſonum tribuamus: cum ſingulis vocalibus Priſcianus denos attribuat, ratione aſpirationis, Quantitatis, Accentus. Prior Varronis locus in VIII de ling. Lat. talis eſt. Eadem eſt analogia ad pleraque, quæ ex multitudine cum tranſeunt ad ſingulare, difficulter efferuntur ore. Sic cum tranſitur ex eo quod dicebatur, hæ Oues, vna non eſt dicta Oues, ſed additum I. ac factum ambiguum verbum, nominandi an patrici ſit caſus. vt Ouis & Auis. hactenus is quo videatur, de ei diphthongo ſignificari neſcio quid. Sed ſuſpicio tolletur, ſi quę pariunt errorem deleantur maculæ: quas, doctiſſimi viri & perſpicaciſſimi Antonij Auguſtini (quem honoris cauſſa nomino) oculos effugiſſe, miror. Elui ergo poterunt, ſi ita legatur. Vna non eſt dicta Ous, ſed additum I. ac factum ambiguum verbum nominãdi an patrici ſit caſus, Ouis, Auis: quæ ad diphthongum nihil pertinent. Alter locus eſt ex libro VII, quo maxime nituntur, qui fauent diphthongo, huiuſmodi: Item cum ſi ſit analogia, debeant a ſimilibus verbis ſimiliter declinatis ſimilia fieri; & id non fieri oſtendi poſſit: deſpiciendam eſſe eam rationem.

Varronis loci duo illuſtrati.

*Atqui oſtenditur. Nam quid poteſt ſimilius eſſe, quàm Mens, Dens, Gens, cum horum caſus patricus & accuſandi in multitudine ſint diſpariles? Nam a primo fit Gentium & Genteis, vtrobique vt ſit I. a ſecundo, mentium & mentes: vt in priore ſolo ſit I. a tertio, Dentum & Dentes: vt in neutro ſit I. ſic Varro. Quorum fiducia, cur quidàm diphthongos huiuſmodi, in latinam linguam inducant, cauſſę nihil eſt. Diſputans enim Varro contra analogiam, tali quodam vtitur argumento: A ſimilibus verbis, ſimiliter declinatis, ſimilia fiunt: his porro vocibus, Mens, Dens, Gens nihil poteſt eſſe ſimilius: ab his igitur ſimiles caſus debent fieri. At fit contra: Nam caſus in genitiuo plurali & accuſatiuo, diſpariles ſunt: cum Gens, gentium ſit & gentis, vtrobique vt ſit I. A Mens, mentium & mentes: vt in priore ſolo ſit I. A Dens, dentum & dentes, vt in neutro ſit I. Ex quibus, quod ad rem noſtram pertinet, concludi nihil poteſt, niſi accuſandi caſus huiuſmodi, tum Es, tum, Is deſinere: quod ne nos quidem negamus: de diphthongo nihil.*

Ille in interiorem partem ædium abdidit Sylla ſe &c. *Manutius ita reſtituit. Ille ſe in interiora ædiũ Syllę. plane ſcite. quę ſequũtur nõ attigit. Ea nos parua vtiq; licẽtia, ita emẽdari poſſe*

*credidimus*. Fit Senatus poſtridie Id. *vel per eclipſim verbi*. Senatus poſtridie Id. *vt ſit ſententiæ initium alterius*. *vel quod placet magis*. Is in Senatu poſtridie. *vt Flacci conſtantia ac fiducia, nihil ſibi conſciſcentis, indicetur: qui vel facta cæde, in Senatum venire non dubitauerit: contra, Clodij timor atque fuga, qui ſe domi continuerit, ſcelerum conſcientia retardatus.*

De cuius conſtantia virtute, veriſsimæ litteræ. *Antonianus liber, & cum eo aliquot alij*, De cuius conſtantiam vitæ tuæ veriſsimæ litteræ. *Prorſus enim* tuæ *vel huiuſmodi quippiam deſideratur, quod liqueſcere in proximũ nomen, ob vocis ſimilitudinem ſanè facile potuit. Qua ratione autem ex* in *&* vitæ, virtute *fiat, quiuis poteſt videre. Nam ex* in *facto* ui, *& ex* ui, tu, *plena fere dictio erit: quæ abſoluetur apiculo, quo R notabatur. Omnino mihi oratio manca & mutila, ſine pronomine Tuæ vel Meæ uidetur.*

Aſſequitur inter lucos hominem Milo. *Fortaſſe, ubi a Romulo conditum Aſylum fuit, Capitolium inter & campum, ex ea parte ſcilicet cliui eius, quæ eſt Comitio & foro Romano opposita. Ita enim Liuius libro primo. Locum qui tunc ſeptum denſis ſentibus, inter duos lucos eſt, Aſylum aperuit; non ſecus ac Dionyſius.* τὸ μεταξὺ

ταξὺ χωρίον τοῦ τε καπετολίου καὶ τῆς εἴκρας, ὃ καλεῖτε νῦν κατὰ τὴν ῥωμαίων διάλεκτον, μεθόριον δυοῖν δρυμῶν. *De Eſquilinis lucis, vix eſt vt poſſit intelligi, qui prorſus a campo Martio recedũt.*

Paucis pannoſis. *Placet* Pauci pannoſi. *vt eſt in Faërnino, & alijs nonnullis: vt ſubaudiatur, Inerant, aut Nuntiabantur. Sed neque illud omittam, in manuſcriptis omnibus,* Lanterna *legi, cum N. Et cum hac de re, Plautina etiã exemplaria, multa & vetuſta adierim, eodem plane modo ſcriptum reperi: vt equidem arbitrer cogitandum: non quin ſciam, vnde Laterna ſit dicta, atque N. a primigenio abeſſe. veruntamen. Interea nihil ſtatuo.*

Si ſe inter viam obtulerit. *Ex eiſdem contaminatæ ſcripturæ veſtigijs, lectionem vnam Petrus Victorius eruit; nimirum, ſi ſe interim obuiam obtulerit. Nobis exemplaria noſtra, opis nihil plus afferunt, vt vtra verior ſit, ſcire poſſimus. neutra certe ab hoc loco aliena eſt.*

Subſidijs amicorum. *Ne minor amicorum ratio quàm fratris, habita a Cicerone videatur, præſertim illo recuſante: placeret* Et ſubſidijs. *Neque enim obſcurum eſt, eorum quoque opibus ſubleuatum fuiſſe. Adde quòd adiungitur, Pro facultatibus noſtris; quod non verum eſſet omnino, ſi accederent amicorum ſubſidia.*

## IN EPIST. IIII.

Vt nos ames, & te amari ſcias. *Dulcis ac feſtiua ratio ſermonis, eiq; beneuolentiæ & charitati conueniens, quæ illi cum Attico erat: valet autem Amplectare: dies atque noctes mecum ſis: de nobis cogites: noſtri curam ſuſcipias. Hic enim eſt amoris fructus. Idem lib. 1. Apud te eſt vt volumus. Mater tua et ſoror a me Quinctoq; fratre diligitur. Quid porro eſſet diligi paulo ante declarat: Apud matrem eſt recte, eaq; nobis curæ eſt. hoc eſt diligitur. Quo ſenſu itidem ſcriptum illud eſt. Metellus eſt Cos. egregius, & nos amat. quod eſt, tuetur contra Clodium, male contra nos animatū. Ergo hic, ad nos inquit aduola eo animo, vt ex conſuetudine ſedulitateq; tua, amorem in nos tuum palam facias: tuq; viciſſim ex officijs noſtris, certo ſcire poſſis, te vere atque ex animo a nobis amari.*

Librorum meorum bibliothecam. Bibliothecam *Antonianus non habet: & videri poteſt ex interpretatione acceſſiſſe. Quę enim erat ea deſignatio? nempe librorū ſuorū, hoc eſt bibliothecę. Cur ergo ea addatur? & cum res vna dicatur, cur, quaſi duæ ſint, ita comparatur? Plane mihi videtur, inducta inciſi nota poſt Tyrannionis, ſine interſpiratione, ad vſque Quorum reli*

*quiæ, legi oportere: vel certe,* bibliothecæ *legendum. Nam cum in pleriſque manuſcriptis* bibliothecam *ſit, nulla ratio eſt, cur facilius* bibliothecam, *quàm* bibliothecæ *factum fuerit. Offendes inquit, mirificam deſignationem librorũ meorum bibliothecæ. Eſt autem hoc loco deſignatio, quod Feſtus ait, definitio, diſtributio quædam, qua ſuus cuique libro, certus propriusq; locus aſſignatus fuit ac definitus. Idem in* 1. *de Orat. Primum Oratoris officium eſſe, dicere ad perſuadendum accommodate: deinde eſſe omnem rationem, aut de infinitæ rei quæſtione, ſine deſignatione perſonarum ac temporum, & quæ ſequuntur.*

Mediusfidius. *Non vna eſt dictio, ideo ſic ſcribenda.* Me Dius Fidius, *vt me Hercules.*

## *IN EPIST. V.*

Ain' tu? Exiſtimas &c. *Antonianus & Faërni, his amplius.* Me me exiſtimas? *Quare ſic emendo.* Ain' tu? me ne exiſtimas &c. *Sane incõmode abeſt Me. & cum iactura ſententiæ.*

Aut etiam emiſſe non cogitant. *Faërni liber et Antonianus,* A vectio, *pro eo quod hic eſt,* aut etiã. *quàm elegãter, quàm feſtiue, ij facile nõ animaduertũt, qui frigus ſentiũt vulgatę. Quid enim inſulſius dici potuit? Moleſte ferũt, quòd villã Catuli habeam homo nouus, nec cogitant me emiſſe. Quid? ſi cogitaſſét emiſſe? nũ minus inuidiſſét? vide ne multo ẽt magis, q̃ ſi vel teſtamẽto, vel quauis*

*alia ratione accepiſſet: quippe qui ita, accuſari non potuerit affectatæ quæſitæq; nobilitatis, vt potuit emendo. Itaque iniuria, hæc dicta, in Ciceronem conferuntur. Sin a* Vectio *emendetur; quàm acute, quàm ſolerter; Aegre ferunt, inquit atque indignum putant, me hominem Arpinatem quidem, ſed tamen Conſularem, nobiliſſimi viri Catuli villam habere: nec cogitant Vectij fuiſſe hominis mancipis ac publicani, de quo ego emerim. Hunc enim intelligi arbitror hoc loco: quem cum contemptu quodam appellat libro* VI. *ad Atticum, qui græcos iudices irrideret, ſcribens. Græci vero exultant, quòd peregrinis iudicibus vtuntur: nugatoribus quidem inquies. Quid refert? Tamen ſe αὐτονομίαν adeptos putant. Veſtri enim credo grauis habent Turpionem ſutorium, & Vettium mancipem. Quanquam & de iudice poteſt accipi, de quo ſupra.* De *ſcriptura illud adſcribam. Vettius non modo apud Dionem, quod ſupra tetigimus; ſed in vetuſtis etiam latinis marmoribus, geminato T. ſcribi. Vidi ego Firmi, cum ad Bernardinum Cyrillum diuertiſſem, virum mihi, non modo meritis in me illius, ſed moribus etiam ſuauiſſimis, ſingulariq; & eleganti doctrina, colendum; in ipſo foro lapidem, perantiquis atque pulcherrimis litteris, ita inſculptum.*

ALLIENÆ T. F. BERENICE,
C. VETTIVS POLVS
VXORI SANCTISSIM' ET
C. VETTIVS POLVS MATRI PIISSIMÆ.
PATR. COL. FABR.
ET CENT. L. D.
D. D.

*In quo, illa etiam animaduertenda ſunt, eliſionem eſſe factam ſequente vocali: &* Polus*, vnico L. etiam ſcribi. Extrema verba, vt hoc addam quaſi corollarium, ita interpretor. Patrono collegij fabrum & Centonariorum, locum Decuriones dono dederunt. vt ij locum de publico Vettio dederint, quò cadauer vxoris poſſet inferre.*

Sed quoniam qui nihil poſſunt. *Ante hæc verba in manuſcriptis, (quod mirum eſt) omnibus, verbum eſt,* Finis*: nec quo modo huc irrepſerit, in mentem venit. Niſi ſi illud germanum eſſe credimus: vt hoc vno verbo, Cicero, erroris ſe finem ſui facere, viamq; inire aliam, præciſe ſignificet. Quod ſi accipimus, quod certe odioſum non eſt, etiam cõcedi mihi velim, vt* Et quoniam, *pro* Sed quoniam *ſcribatur: tranſitu ſane facili vnius litteræ, ex antecedenti dictione.*

Scio te voluiſſe & me: Aſt nugigeram manum fuiſſe. *Alij aliter emendant. nos, ne nihil*

*dicamus,ex hac vulgata lectione, quæ quidem alicunde accepta eſt, et cũ vno libro Maffei pene congruit: illam non ineptam, ad ſententiam certe valde appoſitam, architectati ſumus.* Scio te voluiſſe, & me maſtigiam germanum fuiſſe, *exempta ſyllaba* ger *e* nugigeram *& ex* nu *facto* mi, *traiecto tamen* m. *Scio inquit te voluiſſe, me id dare operam, vt ab ijs qui omnia poſſunt diligerer: & ſcio me maſtigiam germanum fuiſſe, qui tua conſilia neglexerim. Maſtigiam porro vocabant, qui flagris ac verberibus dignus eſſet. Terent. Adelph. Mitte me maſtigia. Humile verbũ, fateor, ſed num non abiectius, Aſinum germanũ, vt Corradus emendat? Eadem forma dicendi, in Oratore ad Brutum vſus eſt, cum ita ſcripſit. Sed eum mutila quędam & biantia locuti ſunt, quæ vel ſine magiſtro facere potuerunt, germanos ſe putant eſſe Thucydidas.*

## *IN EPIST. VI.*

Noſq; malo ſolatio, ſed non multo tamen conſolamur. *Quod nam illud eſt ſolatiũ? Quòd vicem ipſius, inquit, minime dolemus: ſed non multũ tamen eſt ſolatium; propterea quòd, vt non magnopere doleamus, patrię ipſius interitus, & incendiũ facit; e quo ille diuinitus ereptus eſſe videtur. Conſolamur ergo, malo quidem ſola-*

*tio,ſed non multo. Quare non multo? quia amicũ perdidimus, vt eius deſiderium, vel ipſum noſtrũ ſolatiũ leuiorem faciat. Hic ſenſus erui ex his verbis,ſiquid video,poteſt:ſed erui,nõ duci: qui vt aliquis ſit,mihi tamen videtur, non ad popularẽ ſenſum tantummodo,ſed ad ipſius quoq; Ciceronis in dicendo vel ingenium vel morẽ accõmodatior fore,ſi* Nonnullo *ſcribatur.Sane mihi ille ſpinoſior eſt,& ab Ciceronis elegantia abhorrentior. Quantula porro iactura, ſententia nobis planiſſima & ornatiſſima conſtet, nemo non videt. Offendebar etiam mox, quòd in diſſimilitudine,* Non vt,*ſine* Sed *poſitum eſſet,antequam in meis omnibus,vidi eius vocis quædã veſtigia.nimirũ,* Veſtris *pro* Veſtri:*indicauiq;,S,illud,argumentũ eſſe integri* Sed,*compendio,vt illa ferebant tempora, conſcripti:cuius,etiam ſi nulla manerent veſtigia,vi tamen ſermonis reſtitui deberet. Totum igitur ſit. Non Vt Saufeius et veſtri;ſed me Hercule,quia ſic amabat patriam,&c.*

Reliqui eſt. *Cur non* Reliquum? *In meis quidem tum* Reliqua, *tum* Reliquia *legitur. vtrunque male: ſed tamen vt nulla ratio ſit, cur* Reliqui *potiùs, quàm* Reliquum *ex his fiat.* Reliqui *non placet. atque haud ſcio, an ſingulare ſit. Quidã.* Sed inquies *corrigunt a ſententia appoſite: a ſcriptura alienius,quàm oportet.*

Vt iſta improbem. *Antonianum exẽplar, & alterum Card. mei,* Probem: *vt puto uerius. Etſi enim inquit, ægre adducor, ut contra boni uiri & liberi hominis officium: contra animi mei ſenſum, quod non oportet faciam: tamen quia ij, quibus cum conſentire in Rep. capeſſenda, uolebã, malis meis lætantur: ijdemq; ſunt qui fuerant: quoniamq; tu præterea ita uis: mecum ipſe in his locis commentabor, qui iſta probem: hoc eſt, rationem inibo, qua id quod minime honeſtum eſt, ſpeciem tamen aliquã habeat honeſtatis: quamq; tu etiam probes. Hanc lectionem, atque adeo ſententiam,* Verumtamen *etiam aduerſatiua confirmat.*

Omnes vno tẽpore. Omnis, *ueteres libri.*

Quòd videor ſtulte, illius amici non intemperiem tuliſſe. *Negatio uarie iuncta, aliam atque aliam ſententiam reddit. Nam, &* Quòd videor non ſtulte, *inuenitur: &,* Quòd videor ſtulte, illius amici non intemperiem, *quæ eſt noſtra uulgata: &,* Quòd videor ſtulte, illius non amici. *& denique,* Quòd videor ſtulte illius amici intemperiem non tuliſſe. *Prima lectio refellitur, quòd ſubiungitur,* Rurſum ſtulte, *quo declaratur, ſtulte prius affirmatum fuiſſe. Altera parum firma: primum, quia cum intemperiem hoc loco,*

*iniuriã ipſemet Cicero interpretetur: qui hanc lectionem retineat, hic ſimul, non iniuriam vocet iniuriam: deinde vel a ſententia aberret, vel in ambiguitatem incidat & abſurdum. Nam ſi* Videor ſtulte tuliſſe, *exponamus, Stultus habeor, qui tulerim: quaſi non debuerim ferre: ſenſus alius erit, quàm iis videatur, qui hanc ſcripturam defendunt, & quàm ſit fortaſſe. Sin, non ea mode ratione, qua oportuit: tam paucis verbis, in eadem periodo,* Stulte, *aliud, atque aliud ſignificabit: hic quidem immoderate: mox* ἀνήθως *& imperite; Quod ſane durius videatur. Nihil dico, de infinito illo nomine,* Non intemperiem, *ſi modo infinitum eſt, quòd intemperiem ſtatuat, ſed remiſſiorem, longe diuerſam ab illo, Non homo, ſed litus aer, & ſolitudo mera: illud dico, ſolere huiuſmodi formas dicendi, Prorſus, Omnino, vel aliquo, eius generis aduerbio accerſito, molliores reddi. Quin, vſque adeo non placuit nonnullis, vt (quod vix ferendum eſt) negationem, per* ἀναςροφὴν, *præcedenti nomini adiunxerint,* Amici non, *pro* Non amici *legentes. Tertia lectio, eadem fere patitur incommoda, cum verbum affirmet. Probatior mihi igitur reliqua eſt, vt verbum negetur. Apparet autem ex his litteris, neſcio quid ſecus in Ciceronem ab Hortenſio, in foro, aut in Senatu dictum fuiſſe: quod ille durius*

*acceperit, quàm oportuerit, ſilentioq́; præterire non potuerit, cum fuerit tamen diſſimulandum: propterea quòd eius opera, in reditu, & bona & fideli uſus fuerit. Id ab ſe ſtulte factum confitetur: ſed quando ſemel peccauit, nolle rurſum offendere. Nam qui iniuriam vltus eſt, ſi deinde hominem laudet, is quandam præ ſe fert pœnitentiam, quam vel a timore, vel ab inconſtantia oriri neceſſe eſt. Si ab illo, illuſtrem reddit iniuriam: ſin ab hac, leuitatem declarat. Sub turpis enim omnis παλινῳδία eſt. Ac tale quid accidiſſe, quale diximus, illa etiam argumento ſunt. Et ſimul, ne βαθύτης mea, quæ in agendo apparuit, in ſcribendo fiat occultior. Nam dolorem ſuum Cicero, quem ex Hortenſii verbis accepeperat, diſſimulare non potuit: oſtendit, præſetulit. Hanc, leuitatis reprehenſionem fugiens, occultare nolebat. Et alioqui homini erat offenſior, vel quòd ſuis miſerrimis temporibus, ab illo, per ſimulationem amoris, ſummamq́; aſſiduitatem quotidianam, ſceleratiſſime inſidioſiſſimeq́; tractatus fuerat: vel poſt reditum impeditus, quo minus priſtinam omnem dignitatem recuperaret.*

Epiſtolam Lucceio quam miſi. *Manuſcripti oẽs.* Nunquam miſi. *Puto diſtinctis verbis, ſenſum reddi perſpicuum.* Nunc quam miſi.

## IN EPIST. VII.

Epistola tua,me ſolicitum &c. *Diu me torſit,fa eor,relatiuum illud pronomen* Quæ, *quod eſt poſt* Tua, *& in editione Victoriana,& in manuſcriptis omnibus, impreßoq; etiam Romano, excuſum.Nam illud & reuertere ſententiam videbam: nec caſu factum putabam, vt a nullo abeſſet veterum exemplarium. Ergo accuratius cogitanti,illud venit in mentem, quod ſpero doctis hominibus probatum iri: hanc epiſtolam eſſe ſine capite, hæſiſſeq; illud extremis proximis ſuperioribus litteris,quod ſit ſuo corpori reddendũ atque ita legendum. Nihil* ὀνιαρότερον *epiſtola tua: quæ me ſolicitum de Quincto noſtro puero optimo, valde leuauit. Nec quia accidit, vt ab ea ſententia, cui agglutinatum eſt, non abhorreat, eo noſtra coniectura minus firma eſt exiſtimanda: cum nec ab illa quicquam detrabatur: & ad hoc principium, ſi recte putetur, & congruenter aptetur, & vna omnium librorum auctoritate, quaſi uoce reuocetur. Nec me valde mouet* Vale *interiectum. Teſtari enim poſſum,in antiquis libris,neque hic, neque fere ali bi, in fine epiſtolarum inueniri. additum vero fuiſſe ab imperitis librarijs, qui putarent omnes litteras, hoc fine claudi oportere.Id quod eo etiã*

*manifeſtius eſt, quòd in vnis litteris, operarum culpa quaſi conſciſſis, biniſq; aut ternis factis ex vnis, in ſingulorum fragmentorum fine, vale, aut Cura vt valeas, reperitur, pro ſcribentis videlicet libidine. Inuenitur tamen alicubi, Cura vt valeas. Quod obſeruaſſe etiam videtur, vt diximus, Petrus Victorius.*

Nemo erat mortuus. Quid quidem tibi? nummi meo periculo ſint. *Ego hæc ità interpungo, atque emendo.* Nemo erat mortuus, qui quidem. Tibi nummi &c. *ita vt reticentia ſit, in, Qui quidem: taceaturq; deterior, improbior, minus e Rep. mihi inimicior fuerit, vel tale quippiam. Idq; ſileri declarat Homeri carmen. quo ſignificatur impium eſſe, mortuos conuitijs & maledictis petere. Nã re ἀποσιώπησις quidem, quo nunc loco, ex interpunctione poſita eſt, reticentiæ nullam habet imaginem: nimium præciſa eſt, nec eo deducta, vt quod reticetur, legentis cogitatione ſuppleri poſſit. Debet quidem ſententia imperfecta relinqui, ſed tamen inchoata. Sequere deinceps reliqua. Tibi nummi, meo periculo ſint: quæ vt εἰρωνικῶς dici ſuſpicer, quæ attexuntur, faciunt. Quare in hoc thecam nummariam non retexeris: in alijs eris cautior. Quę item poſtrema verba, ſatis manifeſto docent,* Retexeris *hoc loco, a* Retego, *non a* Retexo, *inclinatum*

*eſſe : valereq́; Proferre, Expedire, iocoſa dicendi ratione. Quod non ideo monui, quaſi quenquam ignorare putem, a Texo, in præteritis Texui & Texuerim declinari, id quod ſatis erat, ad hoc quod dico probandum; ſed nequis perſugio ſyncopæ valde confideret, ſententia repugnante. Indicatur enim his verbis, non eſſe cur magnam ſpem Atticus ſibi proponeret, recuperandæ pecuniæ.*

## *IN EPIST. VIII.*

ΕΙΜΗΙΣΗΤΩΦΙΔΌΣ. ΚΟΣ. *Haud ſane valde ab hac contaminata ſcriptura, &, vt ſuſpicamur, a ſententia recedentes, ita, ſed noſtro inſtituto, emendamus.* ἐμοὶ ἔσω φίλος οἶκος. *hæc mihi domus grata, hæc in delitijs ſit : eadem prorſus ſententia, qua itidem libro. 11, de eodem Antio ſcripſit : vbi loci oportunitates, vt etiam hic admiratus, in hanc denique vocem erumpit. Hic, hic nimirum* πολιτευτέον.

Poſtquam miſiſti libros illuſtrarunt valde. *Proxime ad veram ſcripturam Antonianus liber, niſi me fallit coniectura, accedit. Habet enim, non* Poſtquam miſit tibi, *vt reliqui a vulgata recedentes; ſed,* Poſtquam ſit tibi. *Itaq́;, quod iam antea arriſerat ex coniectura Octauij Pantagathi, viri cum in alijs omnibus, tum hoc genere perſpicaciſſimi,* Poſt quæ ſittybæ *emen-*

*dare non dubitaui. Vnde uero Poſt quam, ex Poſt quæ, fieri potuerit, ij facile intelligunt, qui manuſcriptos voluere conſueuere. Senſus porro eſt. Nihil venuſtius, quàm tua illa pegmata. poſt quæ Sittybæ libros illuſtrarũt valde. Tribus autem nominibus, Tyrannionis ac librariorum operam commendat: Conſtructione, Pegmate, & Sittybis.*

Male ſic egiſſe. Apenas &c. *Faërninus & Antonianus.* Sic egiſſe reapenas. *vt ſuſpicari poſſimus, ſcriptum initio ſuiſſe,* ſi ſe geſſere. Apenas &c. *ita diſcerptis vocibus, ſcriptorum imperitia.*

## IN EPIST. IX.

Si modo eſt commodum. *Noſtri. Si modo tibi eſt commodum.*

Fieri conſulem non poſſe? *Nam ex interregno facti ſunt Cn. Pompeius* II, *& M. Craſſus* II, *per vim & factiones. Nam cum Cæſar, partis aliquot victorijs, iam diceretur Gallias confeciſſe: magnaq; & ob hoc in gloria, & propter liberalitatem, etiam in gratia eſſet: veritus Pompeius, ne ſi ille Romam rediret, minus ipſe gratioſus in uulgus, minusq; potens eſſet in Rep. emulatione, inuidiaq; per motus, quo par illi eſſet, aut etiam ſuperior; coitione facta cum M. Craſſo, Tri*

*bunorum pl. interceſſionibus, curauit, uti res ad interregnum rediret, atque ita Conſules ipſi crearentur: & quo munitiores eſſent contra potentiã Cæſaris, ipſe Hiſpanias cum imperio per quinquennium, Craſſus Syriam obtineret. Dio auctor eſt.*

Homo peramans ſemper noſtri. *Molliori numero Antonianus & Faerni.* Homo peramans noſtri ſemper fuit. *Et mox.* Nec mi vnquam: *: noſtri,* Mihi.

## IN EPIST. X.

NVM cenſum impendant. *Antonianus,* Impediant, *ut Manutio placet, & ſententia poſtulat. habet tamen,* diebus vitiandis, *ut reliqui fere mei, non* initiandis.

Sane ſibi diſplicens. *Cuiuſmodi ſolent eſſe, quos continenter ſecunda æquabiliſq; fortuna ſupra modum euexerit. Nam qui omnia concupiſſet, contemnebat partem. Hiſpanias tamen, ut diximus, accepit per quinquẽniũ, ſibi lege Trebonia, decretas: Syria Craſſo conceſſa, eadem lege.*

Suauiſsime Hercule eſt effuſus. *Placet Victoriana editio, præſertim cum in nullis uetuſtis* Eſt *inueniatur: ſed eius loco* Et. *Ea eſt autem hęc.* Suauis me Hercule & effuſus.

## IN EPIST. XI.

ETIAM illud cuiuſmodi ſit &c. *Hoc qđ ſua*

*dicturus, quodq; mihi Pompeius affirmauit, de rationibus cum publicanis putandis. Id ipſum repetit, poſt hanc narrationem, his verbis. Id cuiuſmodi ſit, aut nunc ſi ſcias &c.*

Dixit Pompeius, Craſſum &c. *Antonianus & Faërni,* Dixit Pompeius mihi. *quod placet, vt intelligamus in Cumano, epiſtola quę eſt ante proximam.*

Præter Dionyſium duxi &c. *Faërni liber, & Ant.* Eduxi. *melius. Eſt enim ex vrbe, & foras ducere.*

Quo magnopere delector. *Noſtri ad vnũ omnes.* Sermo deſit abs te, opere delector. *Nos, vt in rebus male contractis, Sermo deſit abs te,* quo perdelector. *eodem plane ſenſu, quo uulgata: non peracuto quidem, ſed tamen aliquo. Etſi enim inquit, præter Dionyſium mecum eduxi neminem, conſolor tamen ea re, quòd mihi non deerunt tuæ litteræ, quibus in ea ſolitudine ſuſtenter.*

## IN EPIST. XII.

VEHEMENTER ante egi. *Antonianus liber,* Anti. *Faërninus* Antij *atque hoc puto rectum. Nam & fuiſſe Egnatium extra urbem cum Cicerone congreſſum, illa indicant. Egnatius Romæ eſt: ac ſi dicat, in urbem rediјt. Et potuit*

accidere,

*accidere, vt Antij, quo ſe Roma Cicero primum contulerat, cum illo egerit.*

Præſto eſſe. *Deſideratur* poſſe, *quod eſt in libro Car:mei.*

Ignoſcas mihi velim. *Noſtri omnes*, Mi ve lim. *qua apocope in humili ac familiari ſermone, ſane valde grata, ſæpe in his epiſtolis, vtitur.*

Et promouebo. *Cum verbum, & Prouehere, & Producere, & Proficere ſignificet: non ſatis huic loco conuenire videtur. Nam Proficiam, quod placet nonnullis, quo referatur non habet, niſi ad rem Halimeti, quæ abeſt ſane lōgius, quàm vt ſignari poſſit. Itaque malim* Præmonebo *quod & alijs placuit: vt exponamus, Et faciam vt me veniſſe ſcias: ſeu, quod magis probo, Et te accerſam ac vocabo, præſertim cum dixerit: Poſtri die K. cæna apud me cum Pilia. Nam Monere, hoc ipſum quoque ſignificare, locus ille Terentij declarat. Sed vt diei tempus eſt, monere oportet me hunc vicinum Phaniam, ad cænam vt veniat.*

## IN EPIST. XIII.

Ergo vt ſit rata. *Manuſcripti, eodem fere modo*, Ergo & ſi irata fuiſſe. *Vnde elicere mitius nihil potui, quàm alij fecerint. Videor mihi tamen vulgatæ, quæ & ſegnior eſt, & parum hærens, vim aliquam & ſpiritum comparaſſe, co-*

*hærentemq; magis continuatamq; reddidiſſe, ita ab alio quaſi principio, nouaq; re. Comitiorum nõnulla ſuſpicio eſt ergo? vt ſit rata, abfuiſſe me &c. hoc eſt. vt certa res ſit, nec in leui exiſtimatione amplius poſita; ſed ſit iam κυρία δόξα: nihil iam ſit, quod rem illam, cuius cauſſa in Senatu altercatio erat orta, quo minus feratur impediat, aut moretur; tamen abfuiſſe me, in illis altercationibus, non moleſte fero. Nam aut defendiſſem quod non placeret: aut defuiſſem cui non oporteret. Nec arbitror comitia Conſularia ſignificari: quæ ſi ad diem illum adducta fuiſſent, non longe abfuiſſent ab interregno, cuius hoc anno mentio nulla eſt.*

Et præſertim ſtatum Reip. *Nullo diſſentiente mei omnes,* & Præſentem ſtatum. *Et quãuis, non plus uni lectioni, quàm alteri ſuueam, moueor tamen tot librorum conſenſu.*

Quantum potes & vales. *In nullo meorum* Et *legitur: & in Romano ac Faërnino,* Valde *pro* Vales *integrum, in ceteris* Pote val. *Quod cum nonnulli* Vales *(ita enim ſuſpicor) interpretarentur, neceßario etiam copulam addiderunt, vt ſermonis ratio conſtaret. Nos, nulla re extrinſecus accerſita,* Valde *probamus, vt ſit, Valde ſum ὀξύπεινος.*

*IN EPIST. XIIII.*

PVTARE profectum eſſe, *Faërni liber;*

*atque item Car. mei.* Putare poſſum profectum eſſe. *quorum ille ſenſus eſt. Veſtorius certiorem me fecit, te Roma a, D.* VI. *Id. Maij proficiſci ſtatuiſſe. Sed quando tu eo tempore quo mihi ille ſcripſerat, profectus non es: putare poſſum ea de cauſſa tardius exiſſe, quàm dixeras, quia minus valuiſſes. Neq; hæc eo pertinent, vt propenſior in hanc lectionem, quàm in vulgatam ſim: ſed vt ſeruem inſtitutum meum.*

Velim ſiquid forte habes. *Reliqui manuſcripti,* Vt velim. *Antonianus,* Tu velim, *recte.*

*IN EPIST. XV.*

Suam illam in meo dolore &c. *Prorſus, coniunctio mihi deſiderari videtur, cuius etiam in Poggij, Lolgij, Faërni, Maffei, veſtigia quædam ſunt. In his enim* Iam *ante* ſuam *legitur; vt mihi facile perſuadeant,* Et iam, *aut* Etiam *ſcriptum fuiſſe,* Et, *vero perijſſe in extrema ſyllaba antecedentis verbi: cuiuſmodi peccata, in manuſcriptis ſæpe deprehenduntur. Et videtur Eutychides, opera Ciceronis, ab Attico libertate donatus.*

Puto tibi ſuſcipiendum fuiſſe. *Hoc eſt, neceſſario a te ſuſceptum: oportuiſſe a te ſuſcipi: vt intelligamus ex hoc, atque ex his quæ iuncta his ſunt; Atticum iam in Aſiam tranſmiſiſſe. Quo in loco, participium illud, quod vocant, vmbram nullam habet futuri temporis, ſed ne tẽporis quidem.*

*Quin, vt meas ſuſpiciones, quidque mihi in mentem venerit aliquando, exponam, mihi voces huius generis, vix vnquam participia viſa ſunt, cum in his nulla ſit temporis adſignificatio; ſed vel neceſſitas quædam, vel dignitas, vel officiũ vel quid tale indicetur. Amandus enim, quis non intelligit, non eum, qui futurum eſt vt ametur, ſignificari, ſed qui debet amari vel Dignus eſt qui ametur? Et puto te conueniendum; non fore vt conueniaris, ſed vel idoneum qui conueniaris, vel oportere conueniri? Et in illo Cice. 1. de Orat. vt Alijs miſerandus, alijs irridendus eſſe videatur: quis non exponat, vt alijs dignus miſeratione, alijs irriſione videatur? Quin Varro lib.* VII, *&* VIII. *de lingua latina. tria tantum participia numerat, Amans, Amatus, Amaturus: Quod & Priſcianus non nunquam videtur approbare, cum* VIII *lib. ſic ſcribit. Sed tamen ſciendum, quòd omnia huiuſmodi formæ participia in Dus terminata, etiam nomina eſſe poſſunt, cum tempus amiſerint. Nos, cum tempus adſignificent, non dum vidimus. Veteres quidem certe, id quod poſtea Grammatici de participio in Dus comminiſcuntur, his fere circunſcriptionibus comprehendunt. Spero amicitiam noſtram cognitam fore: Et, officium meum probatum iri. & fore vt probetur: non autem Cognoſcendam, non*

*Probandam. Cæſar quidem primo Comm. Commiſſum cum equitatu prelium fore videbatur. nec deſunt exempla.*

Tres ἀρειοπαγίτας. *In Antoniano & Car: mei, ſpacium hic vtrique voci relictum, ſuſpicionem iniecit, in exemplari, vnde illa exſcripta ſunt, loco latini* tres, *græcum itidem aliquod nomen fuiſſe. Nam ſcriptores illorum temporum, græcorum elementorum prorſus ignari, ſiquod huiuſmodi verbum offenderent aliquando, ſpacium fere ſolebant relinquere. Et hercule* tres *ſi legatur, ſententia aut expreſſa coactaq; erit, aut aliena & falſa. Si enim iudicum iniquitatem Cicero, vt ego quidem arbitror, luget ac reprehendit; qui Suffenatem & Catonem abſoluerunt, Procilium vix condemnauerunt: quinquaginta fuerunt, non tres eximij: & Suffenas, Cato, Procilius, in Iudicum numero eſſe non potuerunt, qui eſſent rei. His igitur rebus permoti, exiſtimauimus* θεῖος *reſtitui poſſe: a ſcriptura minimum; ab vſu loquendi, & niſi fallimur, etiam a ſententia, nihil aberrantes. Hac eadem ironia, ſimili in re, vſus eſt libro* 1, *latine tamen ſcribens in hunc modum. Clamare præclari Areopagitæ, ſe non eſſe venturos, niſi præſidio conſtituto. Ex hoc eodem pneumate, ſummouendum eſt verbum* Debemus, *non modo vetuſtis libris auctoribus, in iiſq; An-*

*toniano Faernino: ſed etiam ſenſu poſtulante; qui eo verbo manente, nullus erit: extrito, is non ineptas. Ex quo intellectum eſt, diuinos Ariopagitas, cum, Suffenate & Catone abſoluto quos damnare debuerant, ſi quam modo curam Reip. habuiſſent: Procilium cõdemnarunt; rationẽ tanti patrisfamilias, habere quidem uoluiſſe (nihil enim propius eſt factum, quàm vt abſoluerent) ſed non quantum oportuit habuiſſe. Abſoluerunt enim* XXII; *Condemnarunt* XXVIII; *vt tribus omnino ſententijs damnatus fuerit. Vnde autem addiderit* domi ſuæ, *quis ſcire poſſit? An hæc item,* εἰρωνικῶς *cum ſcribantur, Domi ſuæ, dixit, quaſi in regno ſuo, atque in arte illa, qua maxime polleret: vt videretur ex eo miſericordiam commouere? Grauiſſimum eſt enim patrem familias occidere: ſed domi ſuæ occidere, prorſus inexpiabile. Quo porro crimine illi poſtulati, hic damnatus fuerit, difficile eſt diuinare: cum tot a M. Tullio congerantur. De ambitu huius anni, uix arbitror poſſe intelligi, cum litteræ datæ ſint menſe Quintili: ut, quamuis Cicero comitia ductum iri uideret, de interregno tamen, tanto ante iudicium facere uix poſſet. Sed & de huius anni comitijs, paulo poſt.*

A M' Curio emiſſus, interciſo monte in Nar defluit. *Curium Dentatum fuiſſe arbitror;*

*qui* IIII. *Cos. Samnitibus Sabiniſq́; deuictis, totum eum tractum Romano imperio ſubiecit. Illud notandum; Narem apud Virgilium, Plinium, Tacitum, Priſcianum, grammaticos reliquos, uirili genere enuntiari. Velinus autem, iterum noſtra ætate, a Paulo Farneſio Pontifice Maximo, ingentis animi uiro, cum Reatinorum precibus, tum emulatione uirtutis; in Narem exoneratus eſt: haud procul a primo hoſtio, interciſo itidem monte. Opus ideo inchoatum relictum eſt; quod Antonius Sangalius Florentinus, architectus noſtrorum temporum clariſſimus, in ipſo opere deceſſit, nec multo poſt, ingenti totius Italiæ atque adeo totius orbis, Paulus ipſe.*

Vixi cum Axio: qui etiam me ad ſeptem aquas duxit. *Apparent adhuc ruinæ Axianæ villæ, haud ita procul ab ipſis aquis: quæ hodie S. Suſannæ uocātur: ſuntq; ab ipſo ſtatim fonte propemodum nauigabiles.*

Ad VII. Id. Quint. veni. Spectaculum &c. *Otioſe* Veni *ad ſcriptum eſt, cum dictum ſit Rediȷ. Itaque nota diſtinctionis loco dimota*, Veni in ſpectaculum primum, *libenter legerim, appoſito inciſo. Atque hoc eſſe rectū, pręter alia;* Deinde *redditum declarat. Spectaculum uero, non ſolum ſpectationem, ſed locum etiam ſignificat, in quo gladiatorum certamina, ut in Theatro Ludi,*

*committebantur. Itaque Cicero ex ſpectaculo, in theatrum profectus eſt, Antiphonti operam daturus.*

Nam in ceteris. Nam *delendum eſt: Nihil enim agit, & ab Aſtyanax aut Aſtyanacte, reciſa eſt. In manuſcriptis enim,* Aſtyanam *legit.*

Nihil tam puſillum, nihil tam ſine uoce, nihil tam verum. *Sic veteres libri omnes: ſed ſcriptum cum ſententia pugnans, facit, vt* Verum *non ſatis probem. Siquidem in Antiphonte Cicero, artem & naturam improbat, quaſi perſonas agat parum decore: verba, illi veritatem qua imitanda actoris artificium cernitur, tribuũt, quaſi nihil deſideretur, quo minus quæ perſona agitur, vera videatur. in quo vno ab Ant. in* I I, *de Orat. laudatur. Quæ duo eſſe contraria, quis non uidet? Senſus qui a uiris doctis elicitur, eſt ille quidem acutus, et pro re nata, nõ incommodus: ſed accuratius intuentibus, parũ firmus. Neque.n. ſatis concinne, a perſona ad perſonam tranſitur: quod fiat neceſſe eſt, ſi expoſitione illa contenti ſimus. Puſillũ Antiphontem uocant, ad perſonas ſcilicet, quas ſuſtinet, neceſſario reſpicientes: Verum, ad Antiphontis ipſius. Quod in uno atq; eodem membro, quàm cõmode cadat, uideant doctiores. Mihi certe ita nouũ accidit, ut de mendo ſuſpicer. Fortaſſe uerius, bona certe ſententia & eadẽ*

pene ſcriptura, Vietum legi poſſit: quòd eſt, molle, languidum. Qua voce Terentius Eunucho vſus eſt. Hic eſt vetus, vietus, veternoſus, ſenex. Et Cicero in Catone maiore. Quaſi vietum; quod ferendum eſt ſenectuti. Vietus, inquit Feſtus, Languidus, & ſine vi, & naturalibus viribus priuatus.

Ἐ'ξοχὴ nulla eſt. Noſtri omnes. ἐξοχὴ in nullo eſt. eadem plane ſententia, & pari ſplendore.

H-S quingena depoſuerunt. Perſpicuum eſt ex hoc atque ex alijs locis, non prorſus verum eſſe, quod quidam aiunt: Seſtertij nomen, ſaltem apud Tullium, virili tantum genere, nec niſi pro nummo ſeſtertio reperiri. Id ſi verum eſſet, quantula hæc ſumma foret?

## IN EPIST. XVI.

Quod erat abs te. Quid ſi erant? Non quòd mihi ſatis arrideat, ſed vt in malis, non peſſime. Quædam inquit, ita erant ſine argumento, atque ſententia, vt ex his, nihil aliud poſſem cognoſcere, niſi vbi eſſes: idq; non quia id ipſum priuatim ſignificarent, ſed quòd in fine ſcriptum haberent, verbi cauſſa, Buthroto. Dixit autem, Quod erant abs te: quo modo Terentius, Ab Andria eſt ancilla hæc. id eſt, quod eſſent domi tua datæ: quod niſi notum ſit, omitti non ſolet.

Et hoc primum. *Noſtri omnes.* Et hoc qui dem primum. *non otioſe: nam habet vim illã. Et quia Paccij mentio facta eſt, pergam primum quod cæpi.*

Huic ioculatoriæ diſputationi. Diſputationi, *in nullis eſt meorũ: ex quibus partim* Ioculatoriæ, *partim* Ioculatorem *habent. Neutrum mibi ſatis probatur: quod & hoc, Sc̨æuolæ perſonæ minime conueniat, qui grauitate fuit illa, vt eum ab ſe Antonius, ſi quãdo prenſare vellet, dimitteret: cum diceret ſe velle eſſe ineptũ: hunc autem vnum eſſe hominem ex omnibus, quo pr̨ęſente, ineptus eſſe minime vellet: & diſputatio nequaquam leuis ac ridicula ſit. Et tamen, vt in malis,* Ioculatorem *diſplicet minus; non aliam ob cauſſam, quam quod additur,* vt notas *quod ſine aliquo adiecto, ſuperuacuum eſſet: &* Ioculatoriæ *ſublata appellatione, cui hæreat (nã diximus,* Diſputationi, *in nullis vetuſtis inueniri) conſiſtẽre non poſſit. Porro ioculatorẽ hic, non ſcurrã aliquem ac dicacem, ſed lætum & iocundũ debemus accipere, & quod de Cęphalo dixit, feſtiuum. Sed hanc, vt diximus, lectionẽ ferimus: quia meliorẽ non habemus. Quod ſi* Diſputationi *retineatur: potius mihi erit,* Ioculatoriæ, *hoc eſt puerili: quod in eo libro, pręcepta illa tradãtur, quibus ad rhethoricam facultatem, iuuentus informatur.*

Aureliam vt ſcribis iudicis. *Cum Beſſarionis libro, quem Manutius eſt ſecutus, noſtri pene omnes faciunt: vt de ſcripturæ veritate, dubitari iam non debeat.*

Cum habeat duos faciles. *Te videlicet & me. Sed nobis (fatendum eſt enim) coniectura blanditur eorum, qui* Deos *ſubſtituunt. Cur enim duos potius, quàm nos? Deinde, cur duos, non plures? Mihi videtur Cicero, moroſam hominis naturam & querulam voluiſſe reprehendere: cui cum omnia ex ſententia, amicorum officijs & diligentia ſuppeterent: cum Deos haberet faciles ac propitios: nihil tamen eſſet illo difficilius; hoc eſt, ſuſpicioſius, & magis δύσκολος. Quin Atticus aberat; vt prodeſſe illi parũ, aut nihil poſſet. Et tamẽ, quid mihi arrideat dico, nihil ſtatuo, prӕſertim cũ veterũ librorũ ſcriptura, a vulgata ſit.*

Non mihi, vt quod &c. *Non incommoda mihi coniectura, ſi modo coniectura eſt, non ſcriptura aliqua, viſa eſt eorum; qui* Notum tibi *emendarunt: ſi modo, quæ ſequuntur hærerent. Quid ſi ita? Notum tibi vt video?*

Ac Senatus decreuit. *Vnus Maffei* At: *melius omnino, ſiue ad Meſſallæ & Domitij priuatim, ſiue vniuerſe, ad omnium candidatorũ ambitum referamus. Certi inquit erant Conſules, niſi Senatus decreto illo ſuo, vt in ſingulos cãdidatos,*

*Iudicum conſilijs, tacitum iudicium fieret: terrorem incuſſiſſet candidatis, conatumq́; illorum retardaſſet. Vel ſic. Meſſalla & Domitius liberales in populum valde fuerunt: At contra huiuſmodi liberalitatem & ambitum, Senatus decreuit &c.*

In his Opimius Veietorantius, Tribunus pl. *Coniectura eſt Octauij Pantagathi.* Opimius veie. Terentium Tribunum pl. *In manuſcriptis quidem,* Trib pl. *legitur: & inchoata illa & dimidiata voce, Veientina Tribus ſignificatur: quemadmodum Quir. Quirina: & Pal. Palatina, in antiquis marmoribus, & aliæ tribus non paucæ, eodem modo. Terentius porro ille intelligi poteſt, qui ſua interceſſione, quo minus de tacito iudicio lex ferretur, obtinuit. Quare & paulo poſt,* Reſcidit *tueri poſſumus: non quia plane ſatisfaciat, ſed quia ita habent priſca exemplaria, præter Antonianum, omnia: in quo quidem Antoniano,* Res cedit *eſt: Et ſententiæ non repugnat. Eſt autem Reſcindere, Diſſoluere, Labefactare: quo Cicero non ſemel vſus eſt, Pro domo ſua. Quæ furore improborum in Rep. geſta ſunt, reſcindere &c. Et in Philip. Quibus cum prouocatio datur, non ne acta Cæſaris reſcinduntur? Is ergo Tribunus pl. Senatus conſultum illud reſcidit, cum intercedendo, vt primo quoque tempore comitia haberentur, effecit.*

Siqui interceſsiſſet &c. *Ita emendauit Manutius, cum antea legeretur* Qui ſi. *quod tamen a Quis, quod eſt, in Antoniano, factum videri poteſt, quod exierit in Qui ſi, ſequente maxime dictione, quæ in fronte I præferat: aures certe, Quis potius exigunt, etiam ſi præponatur* Si: *& Quis, ſine Si, figura defendit illa, qua et alibi, & Philip.* XI. *vſus eſt Cicero, his verbis. In quo maximum onus nobis impoſuit. Aſſenſero; ambitionem induxero in curiam: negauero; ſuffragio meo tanquam comitijs, homini honorem amiciſſimo denegauero. Eclipſi videlicet* Si *particulæ. Atque hæc mihi lectio probatur, propterea quòd in nullis inuenitur* Siqui.

Liber nemo. *Antonianus* Libere, *probe, ſine dubio.*

A Q. Pompeio Rufo. *Hic Syllæ ſororis filius, tum Tribunus pl. Caluino ac Meſſallæ, restitit: vt non niſi poſt menſem ſeptimum, Coſſ. crearentur; Reiq; publicæ moleſtias peperiſſet, niſi a Senatu in carcerem coniectus fuiſſet. quæ pœna, vt ſcribit Dio, in eos ciues inſtituta erat, qui mali alicuius facinoris in Rep. auctores eſſe vellent.*

Nunc vt opinionem habeas rerum. *Hæc pars tota, vſque ad, Sed accipe alia.* ἀποσπασμάτιον *quoddam mihi videtur eſſe, epiſtolæ alterius, aut certe epiſtola ſine capite & calce. Quæ me*

*cauſſæ mouerint, vt hoc ſentirem, dicam haud multo poſt: certe nomen Gabinij; cuius hic de iudicio tam multa dicuntur, omitti non debuit. Et tamen, mecum ipſe cogitabam, an emendari ſic poſſet.* Nunc vt Gabinium habeas reum. *Illa ſententia ſcilicet: Nunc vt de Gabinio reo certiorem te faciam: ferendum eſt: Siquidem eſt abſolutus. Sed quærat aliquis. quo modo reum; ſi abſolutus eſt? Reſpondeo vel dudum, vel etiam num reum: cum non plane eſſet expeditus, multaq; alia iudicia impenderent, Ambitus, Repetundarum. Nam vt idem ait ad fratrem; multæ eum factiones poſtulabant.*

Accuſatorum incredibilis infantia, id eſt, L. Lentuli, L. F. *Ex hoc loco, & epiſtola prima & tertia libri tertij ad Quinctum, perſpicuus fit error Dionis: qui Gabinium dicit de maieſtate accuſatũ fuiſſe a Cicerone. Ita enim libro* XXXIX. *Accuſationes in Gabinium multæ, & actores haud pauci extabant. Primum autem de Ptolemæi reductione, vt maximo crimine cognitum eſt. In eo iudicio, vniuerſus fere populus ad tribunal confluxit: ſæpiuſq; illis eum diſcerpere, animus fuit: præſertim quod nec Pompeius aderat, & Cicero eum ſumma dicendi vi, accuſabat. Nihilo tamen minus abſolutus eſt. Ipſe enim, vt qui de tantis criminibus iudicium ſuſtineret immen-*

*ſam pecuniæ vim elargitus fuerat: ſocijq́; Pompeij & Cæſaris, promptiſſime ei opitulabantur: aliudq́; tempus a Sybilla, aliumq́; regem indicatum, dicentes. Hæc ille. Verum vtri magis in hoc credendum ſit, ei'ne an Ciceroni, neminem arbitror fore, qui in dubium reuocet. Quare idem quoque ſine cauſſa leuitatis ab eo ac proditionis arguitur, quaſi inſtante Pompeio, de repetũdis accuſatum poſtea defenderit. Eius hæc ſunt in fine libri, de Põpeio ſcribẽtis:* τόνδε κικέρωνα, οὐχ ὅπως κατηγορῆσαι ἔτι αὐτοῦ ἐκώλυσεν, ἀλλὰ καὶ ὑπερδικῆσαι καὶ ἔπεισε, ὥστε καὶ ἐκ τούτου, τὸ τοῦ αὐτομόλου ἔγκλημα καὶ ὄνομα τῶν πλεῖον οἱ αὐξηθῆναι. *Defendit quidem Cicero Pompeij precibus commotus, de Repetundis poſtulatum; ſed quem tamen Maieſtatis minime accuſauerit: vt crimen illud in eum cadere non potuerit. Sed deceptum arbitror illum ex eo maxime, quia ſcriptam legerit orationem in Gabinium, cuius lib. Quintilianus his verbis meminit. Dixit Cicero pro Gabinio & P. Vatinio, inimiciſſimis antea ſibi hominibus, & in quos orationes antea ſcripſerat.*

Non omnem modo ſuccum. *Antonianus.* Omnem non modo. *melius.*

Per me iſta pedibus trahuntur. *Cogitandũ*

*plane cenſeo, an* Trahantur *ſit potius. Hac enim dicendi ratione tunc vtimur, cum ſignificamus nos non curare, flocci non facere, non laborare, quo modo res abeant: ne ſi ruant quidem atque pereant.* Per me *vero, non a me: quis enim ita interpretetur? ſed quantum ad me attinet valet. Sic eſt locutus libro epiſtolarum ad Marium, qui eſt ordine* VII, *ſubiunctiuum adhibens. Nam de iudicijs quod quęris, multo laboro minus. Trahantur per me pedibus omnes rei. Eſtq́; ἔλλειψις verbi licet. quod non nunquam tamen adhibetur. Idem. Per me ſtertas licet, ait Carneades, non modo quieſcas.*

Stomachus vbi habitabat. *Nonius in dictione Concallere, hunc ipſum locum adducens,* Habitat *agnoſcit. & placet, ne ſtomachum dicat Cicero ſe prorſus amiſiſſe. Sane bono ſtomacho fuiſſe, declarat idem ad Cæreliam ſcribens, rationemq́; reddens, cur illa C. Cæſaris tempora, tam patienter toleraret, ſic de ſe, vt Fabius ait. Hæc, aut animo Catonis ferenda ſunt, aut Ciceronis ſtomacho: quanquam Stomachus illic, vt idem ait Fabius, habet aliquid ioco ſimile. Sed omnino vide ri volebat Cicero, Oleũ philologiæ ſuæ nõ periſſe.*

Quin foris eſſet &c. *Nam cum ex a.d.* XII, *ad* IIII *K. Oct. ad vrbem fuiſſet Gabinius, in eamq́; noctu ingreſſus eſſet: nec niſi decimo die,*

in

*in Senatum veniſſet: Syllam fortaſſe potuit latêre: foris illum eſſe, qui intus eſſet, credentem. Verum, quid tanti erat ad nominis delationem, vt foris eſſet? Nihil opinor: ſed hiſce verbis Cicero conſilium Syllæ voluit indicare: qui vt Gabiniũ à Triumphi cogitatione deduceret, properauerit in iudicium adducere: neſciens, iam tum illum, ſpem eius abieciſſe, atque in vrbem ingreſſum. Atque hæc quidem loci huius ſententia videtur, non ſane iacens. In libro tamen Faërni* Fortis eſſent *ſciptum eſt: vbi ſi* Fortes *emendetur, ad iudices referri poſſit, quos timidos idem proxime appellauit. Eſt inquit non nullus odor Dictaturæ, ſermo quidem multus: qui etiam Gabinium apud timidos iudices adiuuit: quos tamen Sylla non dubitans quin fortes eſſent, hominem poſtularat. Hanc ſcripturam adiuuant, quæ ſequuntur. Sed omnes abſoluentur; hoc eſt, ita timidi ſunt, vt non ſolum Gabinius euaſurus ſit, ſed plane omnes: niſi ſiquis hominem occiderit. Item illud, quod eſt in libro* III *ad Q. fratrem, extrema prima epiſtola. Gabinius ad* IIII *K. oct. noctu in vrbem introiuit: & hodie (exiſtimatur autem fuiſſe* III *K.) Octaua hora, cum edicto C. Alfij, de maieſtate eum adeſſe oporteret: concurſu magno & odio vniuerſi populi, pene afflictus eſt. ſic ibi. Quod ergo notum erat vniuerſo populo, Gabinium Romę*

*atque adeo in vrbe eſſe, id Sylla ignorauerit?*

Solidis pectoribus libertum accenſum. *Verba mihi tranſpoſita videntur, atque ita diſponi poſſe.* Antiochum Gabinium neſcio quem, libertum accenſum Gabinij, ſolidis pectoribus, lege Papia condemnarunt: *vt iudices ironice fortes appellet; qui ſibi magnum aliquod & egregium facinus, viſi ſint feciſſe, ſi libertum accenſum condemnaſſent. Quòd ſicui verba traicere non placet, is tamen ſciat* ſolidis pectoribus, *videri mihi ad iudices eſſe referendum, non ad libertum. Translatione vſus eſt libro* XV. *non valde diſſimili, ſic cum ſcribit epiſtolá* XI. *Hoc loco, fortibus ſane oculis Caſſius: Martem ſpirare diceres: ſe in Siciliam non iturum.*

Læſæ maieſtatis. Maieſtatem lædere, *poſterioris ætatis eſſe cum dicatur, (nam melior illa, Minuere, aut Imminuere fere ſolebat dicere) & præterea vetuſti libri omnes,* lege maieſtatis *habeant: non valde mihi venit in dubium, quin hoc potius ſit. Illa mihi plus exhibent negotij: quę eliciuntur ex his verbis: Condemnatum eſſe Antiochum prius, quàm cauſſam dixerit: damnatūq; reum vocari. Itaque verebar, ne aut ὕστερον πρότερον ſit: aut hæc de Aulo Gabinio ſint dicta: qui poſt liberti iudicium, rurſum lege maieſtatis & ipſe dixerit: quaſi vna eſſet vtriuſque cauſſa:*

*nec damnari accenſus potuerit, quin reus Procon ſul fieret. Quæ verò ſequuntur, græcæ verius litteræ, quàm certe voces: non magis quid dictum fuerit, quàm quo modo dictum continere poſſunt: vt non tam conſtanti & forti animo, quàm (quod magis puto) humili & abiecto interpretari liceat. Et vt riſum præbeamus legentibus: videndum etiam cenſeo, an* ου σμαρις, ἀλλ' ἀφύη, *ad hunc locum faciat; vna atque altera littera vel abiecta vel mutata: vt parœmia quædam ſit, noſtris adhuc ignota, & vtriuſque piſcis natura deducta. De qua quid ipſe dicam, non habeo; habebunt fortaſſe, qui multa variaq; lectione delectantur.*

Exercitum Britania reportabant. *Faërni liber* Ex Britania *Antonianus, e Britania: vtrique grammaticorum præceptis conſentanee.*

Si amor in te eſt noſter. *Faërni liber,* Nõſtri, *reliqui* Nõri, *quod* Noſtri *ſimilius eſt, quàm* Noſter, *quod in nullo eſt. Ita ſupra libri primi epiſtola vltima. Papirius Pætus, vir bonus, amatorq; noſtri: ita manuſcripti: licet impreſſi* Noſter. *Eſt omnino vſitatius, vt noſtri dicatur.*

Cum dies venerit. *Qui dies? An promiſſi Dionyſij? ita vt hominẽ ſecũ habere Atticus ad certũ tẽpus uoluerit, poſt M. Tullio cedere? Id ego vix credo: cũ præſertim ꝓxima ſuperiore epiſtola,*

*quæ non multo ante ſcripta eſt: Cicero Atticum roget, vt Dionyſium mittat, de certa die nihil dicat. Placeret,* Quo die ueneris. *vt deſiderij vis ac magnitudo indicetur eorum; qui ne vnum quidem aut alterum diem expectaturi eſſent: ſed eodem quo veniſſet, hominem efflagitaturi.*

## IN EPIST. XVII.

Detur eſſe valiturum. *Maffei vnus,* Detur etiam valiturum: *quod ſtomachum Ciceronis magis declarat. Abſolutus eſt inquit Gabinius, homo nocentiſſimus, detur etiam illud, fore vt in Rep. floreat: auctoritateq; & gloria valeat. Verumtamen de hoc non valde laboro.*

Paccianæ epiſtolæ reſpondi. *Scite Manutius, hanc partem epiſtolæ, indicat ab alio quodam corpore deſectam eſſe: atque huic agglutinatam: Paccianæ epiſtolæ, in proxima ſuperiore reſponderi cęptum eſſe: Quis ſit eius in ea locus, non dicit: quem nec ego pro certo dicere auſus ſim: ita inuoluta harum poſtremarum epiſtolarum vt ita dicam, fragmenta inter ſe ſunt, & implicita. opinor tamen hanc partem, ad finem vſque, ſuperiori illi epiſtolæ reſtitui oportere; ab eo loco,* Nihil reperio: *cui parũ cohærens eſſe diximus,* Nunc vt opinionem: *opinor autem, non modo propter adductam cauſſam, ſed etiam quia perſpicuum eſt*

*hanc partem, prius eſſe ſcriptam, quam eam, quæ ſuperius item per errorem adiuncta eſt grandi epiſtolæ, ab eo loco, qui incipit: ſed accipe alia: quæ prorſus auellenda eſt ab ea, cum epiſtola ſcripta ſit Prid. K. Oct: hæc pars poſt IX K. Nouemb. & tam diu retentam fuiſſe apud auctorem, ſtultum eſt exiſtimare: Perſpicuum verò eſt, vt diximus: quia hic agitur de expectatione belli Britanici; ibi de confecta iam inſula, & reportatione exercitus ex ea. Sed & hanc partem quàm diximus incipere, Sed accipe alia, ad finem: ante ſcriptam putamus, quam quæ incipit Nunc vt opinionem. coniectura illa adducti: quia, quod videmus in hac vix attingi de abſoluto Gabinio, in ea copioſe explicari. Atticus enim hoc admiratus, quæſiuit per litteras, quid accidiſſet, quod abſolutus fuerit: quo modo Pompeius tuliſſet, quod defenſionem Gabinij Cicero ſuſcipere noluiſſet: quo ſtomacho denique hæc ipſa ferret, & præſentem ſtatum Reip. Ad quæ ſingula Cicero, epiſtola Nunc vt opinionem, reſpondit: quæ tamen, niſi fallimur, & ſine capite eſt, & ſine fine. Et vt in pauca conferam: hæc ita meo iudicio ordinanda ſunt: primum Nihil reperio. Paccianæ epiſtolæ reſpondi &c. vſque ad finem. Deinde, O expectatas: vſque ad, Catone præſertim abſoluto. cui attexe, ſed accipe alia, ad finem. Ter-*

*tio loco, Nunc vt opinionem. vſq; ad Conſentientibus ſenſibus: vltimo loco, Puto te exiſtimare. Omnes datæ ſunt Appio Claudio Pulchro, L. Domitio Ahenobarbo Coſſ. nullis deſignatis.*

Neque argenti ſcrupulum eſſe vllum. *Noſtri fere* Scripulum, *quo modo, ſuo tempore ſcribi ſolitum eſſe, Cariſius ait, cum Scriptulum Varro dicat. Sic enim Inſt. Gram. lib. 1. Scriptulũ, quod nunc vulgus ſine T dicit, Varro in Plautorino dixit. Idem in Annali. Nummum argenteum conflatum primum a Seruio Tullio dicunt. Is quatuor Scriptilis maior fuit, quàm nunc.*

Non enim te puto de Luſtro &c. *Hæc mihi ſignificare videntur, proximam ſententiã, concluſam fuiſſe a Cicerone, in hæc, aut huiuſmodi verba.* Habes res Romanas: *Nec valde aliter Faerninus, nimirum,* Proderit quid te labores res Romanas. *Nam quaſi requirenti adhuc Attico, ita occurrit, Non enim puto te de luſtro, quod iam deſperatum eſt, aut de iudiciis quærere. Familiaris autem Ciceroni fuit, hæc dicendi forma: Etenim libri primi epiſtola* x 1. *Habes res Romanas: ſed tamen etiam illud, quod non ſperabam audi. Hoc ſi probatur, in reliquis quoque verbis vitium erit: quod nunquam dubitaui ita leuis ſententia eſt & puerilis. Cum enim reſpondere debuerit, quem vſum allaturum eſſet mo-*

*nimentum illud; Ad quid, inquit, laboramus res Romanas? prorſus aliene. Itaque videbatur ita emendari poſſe. Dicis; Quid mihi hoc monumentum? proderit ad quietem labi. Proderit, inquit, vt dum comitiorum tempus expectatur, ex campo atque Sole, labi ad quietem & vmbram; vtq; ſecedere poſſis. Deinde. Habes res Romanas. Hæc noſtra emendatio, tranſpoſitas illas & confuſas Faernini libri litteras attendenti, haud ſane videri nimium audax debebit: cum præſertim vulgata lectio, ſenſum habeat, niſi fallor, abſurdum, parumq; Cicerone dignum. Et tamen rem totam, noſtro more, in medio relinquimus.*

Quæ lege Plotia. *In nullo meorum* Plotia *legitur. in omnibus* Coctia, *vnus Maffei,* Cinctia. *hæc erat de muneribus: quę num ad rem faciat, videndum eſt. certe Plotia parum conuenit, & Coctia nulla eſt; niſi a L. Valerio Cotta, Cottia factum ſit, vt eadem ſit, quæ Aureia; quod vix puto.*

C.Domitius mihi reddidit, Buthroto datam. *Hic locus argumento videtur eſſe, recte ſupra* Buthroto, *pro* Bruto, *emendatum a Manutio fuiſſe. Nam cum duæ epiſtolæ ſcriptæ ſignificentur: vna Paccio data eſt: altera, niſi fallor, Decimio; & vtrique reſponſum a Cicerone.* Decimius *porro legimus cum eodem*

*Manutio, auctoribus Faërni libro, et Antoniano.*

Ne toties & tam longe abeſſes. *Faërni liber,* Vt ab ijs totiens. *reliqui omnes,* Mutabis totiens. *ſed apparet ex* Vt ab ijs *factum: M. præcedentis dictionis, coniunctioni* Vt *adhæreſcente. Itaque tuto mihi uideor poſſe dicere, in omnibus,* Vt ab ijs totiens *legi. Quod plane rectum puto. Ab ijs auté intelligit, ab vrbe, a tuis, ab his quæ habes chariſſima, a Nobis. Monere etiam libet, in cunctis non modo harum epiſtolarum exemplis, ſed plane in omnibus vetuſtis libris manuſcriptis atque impreſſis paulo antiquioribus;* Totiens, *&* Quotiens *ſcriptum eſſe. Priſcianus etiam cum de aduerbijs ſcriberet. In Ens (inquit) Totiens a Tot. Quotiens a quot: a multo, multotiens: & aliquotiens ab aliquot. & cum Victorinus Afer in Orthographia, non modo Totiens & Quotiens, ſed Deciens etiam, & ſimilia, eodem modo ſcribenda putet: ille tamen tradit, Quinquies, Sexties, Decies, Vicies, Centies dici. Hæc docti cogitabunt. Feſtus quidem, Pauciens (inquit) dicebant pro raro. Titinius. Vxorem pauciens videbo.*

Ad quæ tempora te expectem. *Noſtri omnes,* Expectemus.

## IN EPIST. XIX.

Me non oblitum. *Maffei duo exéplaria, ne-*

*gationem non habent. Pro ea Victoriana editio* Nunc. *Neutram ſcripturam improbo: ſed tamen in negante, duriuſcule redditur illud* Sed, *cum Dedi, finitiuæ qualitatis: Affirmans, ſiue abſit, ſiue adſit* Nunc, *conſequentior eſt. Puto te inquit exiſtimare, me oblitum, ſiue, me nunc oblitum con ſuetudinis & inſtituti mei, rarius ad te ſcribere, quam ſolebam: ſed non ita eſt: Verum cum loca & itinera tua uideo, certi nihil habere, nolui cuiquam, niſi ad te proficiſcenti dare.*

Quam ip ſe ſuus competitor. *Maffei exemplar vnum,* Ipſe & ſuus. *& mox* feciſſent. *ſine dubio melius: cum vtrique cum Conſulibus pactionem fecerint.*

Vt ambo *Plerique meorum* Vti ambo, *ad eam rationem, qua pactiones & S. C. ſcribi ſolebant. Vti Conſules alter ambo'ue.*

Duos conſulares. *Noſtri omnes,* Duo Conſulares. *Priſci enim, vt Cariſius ait, græcos ſecuti, qui τοὺς δύο καὶ τοὺς ἄμφω dicunt hos duo, & hos ambo dixerunt: in quibus Virgilius, Verum vbi ductores aciẽ reuocaueris ambo. Et Terent. Adelp. Tu illos duo olim pro re tollebas tua. Vbi Helenius Acron. Duo inquit pro duos. Sed hodie tamen in impreſſis,* duos *legitur. Sed et idem Cic. ad Appiũ, epiſt. Prid. Non. Iun. Duo n. duarum ætatum plurimi facio, Cn. Pompeium filiæ tuæ ſo-*

Locus emendatus in eps ad Appiũ.

*terum, & M. Brutum generum tuum. ſic Priſcianus legit, cum in vulgatis tamen* duos ſit. *Eodem modo locis aliquot infra.*

Ne Senatus quidem affuiſſet. *Vt ſententia poſtulat, & Manutius vult,* Fuiſſet *legitur in Antoniano. quod rectum eſt.*

Concitare dictaturam. *Liber qui eſt apud Octauium Pantagathum,* Cogitante. *nec dubito, quin ſcriptorum aliud agentium culpa deprauate, pro* Cogitare. *Eſt enim, Cupere, In animo habere: Mente verſare: curamq́; & ſtudium in rem aliquam ponere. Dictaturam porro Memmius cogitabat, vt & Conſules pœnas darent ſui flagitij, & ob eam rem, ipſe deſignaretur, quòd pactionem illam detexiſſet. Concitare dictaturam, quàm latinum ſit neſcio. Ex alijs libris, quidam* Cotiare, *alij* Ociare. *vnus Maffei* Conante. *Omnes malè.*

Hibernam legionem. *Quidam* Regionem *ſine cauſſa, præſertim repugnantibus libris. Nam cum ſuas legiones Cæſar, quo facilius prouinciam in officio contineret, non vnum in locum ad hibernandum mitteret, optionem Quinto dabat, ad quam vellet proficiſcendi: ita vt integrum illi eſſet, in propinquiora loca, & munitiora venire.*

Si me amas. *Noſtri,* Vt, ſi me amas. *De qua dicendi ratione Petrus vict.*

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Atticum, EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

## Argumentum libri. V.

EX ANTEPENVLTIMA *epiſtola ſuperioris libri, atq; huius ſecunda, intelligimus ceſſatũ eſſe ſcribi inter eos, annos ipſos duos, & menſes paulo amplius ſex: nimirũ ex a. D. IX K. Nou. L. Domitio Ahenobarbo, & Ap. Claudio Pulchro Coſ. ad vſque menſem Maiũ, Coſ. M. Marcello et Ser. Sulpicio: quo mẽſe Cicero pro Conſule, in prouinciã Ciliciã, cum imperio, Roma profectus eſt: ſibi & S. C. & lege Curiata traditã extra ſortẽ: Appioq; ſucceſſit. Scriptæ ſunt aũt libri huius epiſtolæ, ex itinere magna ex parte: reliquæ ex prouincia; quo puenit Prid. K. Sext. cũ Roma egreſſus eſſet, vt diximus, circiter K. Maij, Marcello & Sulp. Coſ. Quæ ex itinere ſcriptę ſunt, nihil cõtinẽt memorabile: quæ*

*in prouincia, tantũ, qua moderatione, qua abſtinẽtia illam gubernarit: quoq; modo ſe comparauerit, ſi forte Parthi in ſuam prouinciam irruptionẽ facere conarentur. Nam cum Superiore anno, exercitum populi Romani, Craſſo duce interfecto, miſerabili clade affeciſſent; reliquiasq; illius, haud ſane magna manu, in Syriam perſecuti, à Q. Caſſio Longino fortiſſime repulſi fuiſſent: maiori ac firmiori vi, hoc anno redierunt: ab eodemq; Caſſio rurſum Syria excedere coacti ſunt. Ita enim infra Cicero. Interim rumore aduentus noſtri, & Caſſio, qui Antiochia tenebatur animus acceſſit: & Parthis timor iniectus eſt. Itaque cedentes ab oppido Caſſius inſecutus, rem bene geſſit: qua in fuga, magna auctoritate Oſaces dux Parthorum, vulnus accepit, eoq; interijt paucis poſt diebus. Continetur item his epiſtolis, quo modo Cicero in Amano Pindeniſſo, oppido Eleutherocilicum capto, nomen Imperatoris aſſecutus fuerit: et quædam alia, haud magni ad hiſtoriam momenti. Ceſſatum eſt autem ſcribi inter eos toto Conſulatu Cn. Domitij Caluini: M. Valerij Meſſallæ: item Cn. Pompeij Magni I I I, et Q. Metelli Scipionis.*

## IN EPIST. I.

ET meo ſum ipſe teſtis. *Fruſtra quidam* Mei *legi volunt, non ſatis animaduertentes,*

*priſci illius ſermonis proprietatem. Valet enim Meo, id quod imperiti, De meo, ſolent dicere. Ita ſupra libri 11. Epiſt. 1. de Pompeio loquens. Sibi enim bene geſtæ, mihi conſeruatæ Reip. dat teſtimonium: hoc eſt. De ſe teſtificatur &c. Huic dandi Caſui, adiungitur etiam nonnunquam, patrius caſus. Vt in Epiſtola ad Lentulum. Præterea qui dem de Conſularibus, nemini poſſum aut ſtudij erga te, aut officij, aut amici animi eſſe teſtis.*

Et ſunt aliquot ſatiſdationes ſecundum mancipium. *Locus obſcurus, & quia non facile, ſimili quodam alio illuſtrari poteſt, totus in coniectura poſitus eſt. Itaque alij aliter exponũt. Nos ita de illo ſtatuimus. Attico ſatiſdandum, vel de pretio, vel de prædio fuiſſe: ſi de pretio, aliquid emiſſe Ciceronem, pro quo præſentem pecuniam ſoluere cum non poſſet: quo venditori cautum eſſet, Atticum ſatiſdare uolebat. Et addidit, ſecundum mancipium: non quia hoc ad venditorem quicquam, vt arbitror, pertineret: cui abunde cautum erat ſatiſdatione: ſed vt Atticum alacriorem redderet ad ſatiſdandum: cum intelligeret, pro his ſe bonis ſatiſdare, in quæ, ceſſante in ſolutione emptore, ipſe ius haberet, velut in bona prædia: huiuſmodi rerum mouentium ſatiſdationes eſſe nõ ſolent. Secundum mãcipium ergo dixit, quia quéadmodum ij, qui mancipio aliquid tradunt, peri-*

*culum iudicij præſtant: ita res immobiles, ſponſorem ſecurum reddunt. Itaque* Secundum *hoc loco, id valet, quod Græcis* κατὰ, *latinis Congruenter & conuenienter: quo ſenſu, dicimus, Secundum naturam viuere: vt ſatiſdatio ſecundum mancipium, ſit ſponſio, traditioni mancipio, non diſſimilis; cum & ei qui pecuniam diſſoluit, & ei qui repromittit, æque cautum ſit. Sin de prædio aliquo, iubetur Atticus ſatiſdare: dicendum eſt, fundum aliquem, mancipio vendidiſſe, pro quo emptori ſatiſdare oporteret, ſiquis illum vt ſuũ forte repeteret. Hæc interpretatio Corrado placuit: & eſt ſane latino ſermoni congruentior, cum & Mancipio dare, vendere, promittere: & emere accipere, vſitate ornateq; dicatur: cuius oppoſitum erat, ſuo periculo emere. quorum eſt omnium apud Plautum in Perſa, exemplum luculentũ, & apud Tulliũ pro Muræna, non obſcurum. Eſt autẽ tale. Quòd ſi in his rebus repetundis, quæ mancipi ſunt, is periculum iudicij præſtare debet, qui ſe nexu obligauit: profecto etiam rectius in iudicio Conſulis deſignati, is potiſſimum Conſul, qui Conſulem declarauit, auctor beneficij populi Romani, defenſorq; periculi eſſe debebit. Sed hæc expoſitio, videtur ſententiæ repugnare ſcriptoris, qui tum ſe innuit emiſſe, non vendidiſſe, cum Memmianorum Atiliorumq; prædiorum meminit. niſi for*

te Ciceronem dicamus (quę mihi ſententia valde placet) in difficultate nummorum atque ære alieno, aliqua prædia vendidiſſe: quæ ex Memmianis & Atilianis bonis antea emiſſet. Atque hæc ita placet, vt affirmem nihil. Et interpretor Secundum mancipium; pro mancipio: in fauoremq; mancipij.

Quæ res ſe ſic habet. Apparet cum Attico Pomponiam coram, aut per litteras queſtam eſſe: vel certe aliquid illũ rumoris inaudiſſe, de quo trãſuerſo illo uerſiculo ad Ciceronem ſcripſerit.

Vt veni in Arpinum. Mei & quidem omnes, In Arpinas. vt intelligamus in fundum Arpinatem. In Arpinum venire σολοικισμὸν puto. Idem certe libro VII admonitus ab Attico, quod in Piræa ſcripſiſſet, addita prępoſitione: eatenus ſe excuſat, vt ſe dicat Piræea locum, non oppidum eſſe putaſſe: Terentij quoque auctoritatem ſecutum, qui in Eunucho, ita ſcripſiſſet. Heri aliquot adoleſcentuli, coiuimus in Piræeum. Quo in loco Donatus, vt hoc incommodum effugeret, Coiuimus, Conſenſimus, Pepigimus, uel ridicule interpretatur, ne ſit (inquit) ſolœciſmus. Non igitur cõmittendũ eſt, vt quod ibi Cicero non defendit, id ei peccatũ hoc loco tribuamus. Exiſtimamus tamen, Arpinũ ueni, Romã ueni dici. per Ellipſim prępoſitionis In, quam Varro, vt Scaurus ait, aduerbiũ

Terẽtii locus.

*locale vocat: alij præuerbium. Quatuor enim facit, Ex, In, Ad, Ab. quæ duo inter ſe paria contrariorum faciunt. Ex & In: Ab & Ad. Nam Ex, locum ſignificat vnde digredimur: vt ex Area. In, locum in quem imus, vt in aream: Ad, locum ad quem adimus, vt ad parietem: Ab, locum a quo diſcedimus, vt a pariete. In hoc tamen conueniunt, quod par prius, locum interiorem & intra ambitum ſignificat, vt, Ex vrbe, In vrbem, non ſecus atque In Nauim, & e naui: poſterius, exteriorem, ſed propinquum. vt. Ab vrbe, Ad vrbem, eo ſenſu quo dicitur Ad nauim, & Ab naui: vt ſignificetur propinquitas, non* ἐνοίκησις. *Inde illæ frequentes dicendi formæ; Ad vrbem eſſe, quod valet, prope vrbem. nam & Ad, ex Apud factum exiſtimant, per ſyncopen: Ad Tarentum proficiſci, ad Meſſanam: item a Buthroto, ab Epheſo: quod non magis exitum ex ipſa vrbe, quam diſceſſum e propinquis vrbi locis, nobis indicat. Quæ idcirco pluribus a me dicta ſunt, ne quis effugio illo valde confidat, ita In Arpinum dici, quemadmodum Ad Arpinum. Nam neque In Arpinum dicitur. & Ad Arpinum, longe aliud valet, quàm Arpinum: ſicut Roma proficiſcor, quàm ab Roma. Eſſet enim Ab Roma illo ſenſu, Solæciſmos, aut certe Metaplaſmos. Verum, quod negauimus In Arpinū dici, hoc ab*

*eo tempore*

*eo tempore intelligi volumus, quo Romana lingua, doctorum hominum diligētia exculta, in ſummo gradu ſuæ magnitudinis conſtitit: quoq; veluti fines quidam conſtituti ſunt, communi loquentium ſcribentiumq; conſenſu, quatenus dein progredi licitum eſſet. Nam priſco illi rudiq; ſeculo, hæc atque alia permiſſa ſunt, quæ poſteriores vel, vt peccata fugiſſent, vel* ἀρχαϊσμοῦ *nomen oppoſuiſſent. Plautus quidem in Bacchidibus, In Epheſum dixit, his verbis.*

*Nam vt in Epheſum hinc alij (hoc factu'ſt ferme ab hinc biennium)*

*Ex Epheſo huc ad Piſtoclerū ſodalē meū, litteras Miſi, &c.* *Verum hæc, vt diximus, ætate excuſantur. Sed vt cetera. Sed vt ad prima redeam: Cicero idem infra lib.* XIIII. *epiſt. vltima, præpoſitionem neglexit, cum ſic ſcripſit. Primum igitur ſcire te volui, me hinc Arpinum* XVI *K. Iun. Quod ex libro* IX, *epiſtola, Natali die, quidam afferunt, Neque me in Arpinum hoc tēpore abdam, manuſcripti libri, Lolgij, Poggij, Maffei, Antonianus, reijciunt: a quibus* IN *præpoſitio abeſt. Sed quid multis opus eſt? non paulo poſt ſic legitur: Illo ſic die, Poſtridie ex Arpinati profecti ſumus? Quæ declarant, etiam ſi In Arpinum diceretur ſine culpa, tamen In Arpinâs eſſe legendum, quo modo illa tempora proferebant.*

*Nam ſuperiora, vt Q. Rhemnius Palemon ait, hic & hæc Arpinatis & hoc Arpinate, declinabant. Itaque mirari nemo debet, vt hanc appendicem addam non inutilem, ſi Arpinàs & Rauennàs, atque huius generis reliqua, contra latinarum vocum conſuetudinem, in poſtrema ſyllaba, Ionum habeant. Neque enim a communi omnium regula deficiunt, & quaſi ſeceſſionem faciunt: ſed vbi accentum tota habuerunt, ibidem mutila ac diminuta ſeruant: vt id eis non natura, ſed caſu accidiſſe ſciamus.*

Inuita mulieres, ego acciuero pueros. *Quas mulieres obſecro? Terentiam'ne ac Tulliam? Quid? hæ inuitadæ fuerunt, quaſi hoſpites? Neque enim dicit voca, ſed inuita. Liceat hic mihi ſuſpiciones meas ſine arrogantia proferre, dum me ſciant omnes, id quod ſæpe teſtatus ſum, niſi quod veterum librorum teſtimonijs, aut certa ratione confirmare poſſum, affirmare nihil. Quid enim obeſt, tantum? Suſpicio ergo mea illa eſt, Pomponiam mulieres illas inuitare iuſſam fuiſſe, quę Arcis officij cauſſa, ſalutatum venerant: quas Quinctus humanitate ac liberalitate adductus, inuitari uolebat, mulieres a muliere: itaq; et* Viros, *citius quã* Pueros, *eſſe legendũ: vt Arcanos itẽ accipiamus. Arcæ porro fuere, haud procul Arpino, ad Melpham fluuiũ poſitæ: qui ex Apenino defluẽs,*

perq; planiciē ſuas vndas agens, ſub Fregellis denique, Liri iūgitur. Hoc oppidū, hodie quoq; Arcæ dicitur, vnde Arcanus: vt a Thebæ, Thebanus.

Maiore ſtomacho. *Veteres libri* Maiori. *Et paulo poſt,* Partis, *pro eo quod eſt ſcriptum,* Partes, *aut* Parteis. *de qua re ſupra.*

L. Torquatum amantiſsime dimiſi Minturnis. *Huc vſque honoris cauſſa proſecutum. Fuere autem Minturnæ ad Liris hoſtia, latium inter & Campaniam. quanquam fuere Latij & alij fines.*

## IN EPIST. II.

E x Pompeiano proficiſcebar. *Pompeij oppidum fuit, in extremo orientali receſſu Campaniæ, ad flumen Sarnum, eodem incendio Veſuuij montis, quo Plinius Secūdus, vnà cum Heraclea, ſiue Herculaneo, ſublatū. Abfuit ab Neapoli, paſſuū millia* x x, *plus minus: & ab eo Trebula fere totidē, & ipſum Cāpaniæ oppidum, ſed citra Vulturnū: de hoc Liuius lib.* x x x i i i. *his verbis. Et circa Capuā tranſgreſſo Vulturnū Fabio, poſt expiata tandē prodigia, ambo Conſules rem gerebant. Cōbulteriam & Trebulā, & Auſticulā vrbes, quæ ad Pœnos defecerant, Fabius vi cœpit. Hinc Trebulani Balinienſes cognomento, a Plinio primæ regioni adſcripti, vrbeq; donati, vt initio*

*libri* x *Liuius tradit: vt intelligamus ab his Trebulanis differre, qui ſunt agri Sabini, Mutueſcei cognominati in quarta regione ab eodem deſcripti. De quibus Maro Aen. lib.* VII.

*Eremi manus omnis, oliui feræq; Mutueſcæ: pudendo Seruij (dicendum eſt enim) errore: qui cũ Mutiſcas ſciret primum Trebiam, deinde Trebulas dictas, ad hanc Trebiam putauit cladem illam memorabilem ab Hannibale Romanos accepiſſe.*

Locus ex epiſtolis Celii ad Ciceronem.

Nondum enim huc ſatis erat allatum. *Ex epiſtola Cœlij ad Ciceronem prima, ſane facile cognoſcitur, nuntium huc Ciceroni, de Tranſpadanis allatũ, rumoremq; de auctoritate præſcripta, falſum fuiſſe. Cœlius enim e Complexu Ciceronis Romam reuerſus (hoc.n.iudicium facio ex eius litteris) ſcribit ſe de Tranſpadanis, ne tenuiſſimã quidem auditioné accepiſſe: Marcellũ præterea, nihil adhuc, de ſucceſſione Galliarũ, retuliſſe: ſed eam relationem, in K. Iunias diſtuliſſe: vt intelligere poſſimus; nihil cum his, illa Cœliana pugnare. Cur autem* IIII *viros creare Tranſpadani a Cæſare iuſſi ſint, quidq; illud referret: totusq; hic locus, accurate, copioſeq; a Carolo Sigonio, in libro tertio de antiquo iure Italiæ, explicatur.*

## IN EPIST. III.

EODEM autem ex Pompeiano. *Faërni*

*liber, Antonianus, Poggij Maffeiq; & alij.* Eodem autem ex Panſæ pompeiano. *quam ſcripturam neglectam potius ab alijs, qui in his libris elaborarunt exiſtimo, quàm non animaduerſam. Sed neque mihi placet omnino: veruntamen, quid ſi in his locis fundum habuit Panſa, vnde M. Tullius daret, vt hac eadem epiſtola, & a Pontio?*

## IN EPIST. IIII.

Ad quas. *Superiores litteras, in Trebulano redditas.*

A Pontio. *In meis, & quidem omnibus,* L. Pontio. *Et potuit fieri, vt is a Ciceronis diſceſſu, Romã ſe retulerit. Mouet me cõſenſus exẽplariũ.*

Quorum alteras Feſulanus. *Placet* Funiſulanus *ex meis pene omnibus. Cuius etiam meminit infra lib. x. epiſt.* x v. *ſic. Eodem die Funiſulanus, attulit a te litteras.*

Et me abſente, rei habebis rationẽ meæ. *Senarius. In antiquis libris,* Res habebis rationem. Nam &c. *vt propius accedant ad Romani exemplaris lectionẽ, quæ eſt.* Rei habebis meæ rationem. *Sed hoc leue eſt: illud momenti non nullius; videri negationem deſiderari, & fortaſſe* Nec, *pro* Et *legi oportere: nimirum,* Nec me abſente. *Qui enim abſens rationem habebit? Frigidum eſt dicere, Quo modo abſens poterit: Repu-*

*gnant enim quæ his nectuntur: Nam poſſet aliquid, ſi vteruis adeſſet. Quibus negatur, ab abſentibus fieri quidquam poſſe. Placet ergo* Nec.

Nunc ſi iam. *hoc eſt, ſi etiam.*

Quæ de Sicinio. *Videtur, aut hic* Licinio, *aut proxima ſuperiori epiſtola,* Sicinij, *legendum eſſe. De Sicinio autem dixit, pro A. Sicinio; vt de Edicto illo intelligat.*

Et vt agam amplius. Amplius, *quidam vehementius exponentes, hac lectione iacent: in qua ego vt acquieſcam, animum inducere nunquã potui. Cupio hunc locum diligentius animaduerti. Vehementer agere: Grauiter agere, inuenio: nãq; ad hunc ipſum Cicero; Cum Egnatio (inquit) de re tua vehementer egi: is grauiter ſe acturum cũ Aquillio confirmauit: Agere amplius, non inuenio. Et ſane Amplius, aut Poſthac, Vltra, Iã, præterea ſignificat: quo in genere, negatio fere adhibetur, vel percõtatio: aut, cum ei Quã vel Caſus latinus redditur, gradum cõparationis: hoc eſt, Plus, Magis. Exẽpla ſunt in promptu: illius. Quid quæris amplius? Non luctabor amplius: Huius, Natura amplius homini attribuit, quã belluis. Et vero, cum dico: Non contendã amplius: non illud ſignifico, Non contendã vehementius: ſed, a contentione ceſſabo. quo ſenſu, ſi illa etiã, ut neceſſe eſt, accipiãtur; Non agam amplius, contrariũ eius, quod eſt,*

*Agam amplius, agã adhuc, valebit non vehementius. Quòd ſiquis, Plus aut Magis interpretetur, præterquã quòd Plus agere, Proficere ſignificat: quo modo dicimus, Nihil plus agas, Græci οὐδὲν πλέον ποιήσειας ἄν, etiã locutio erit ſingularis. Poſtremo, qui potuit uehementius agere, quàm cum dixit, Perfice? Nam Perficere, eſt abſoluere: quo deſiderari amplius nihil poteſt. Quare non immerito videri poſſumus, de loci integritate dubitare. Et ſperabamus viſum iri, vim nec ſententiæ nec verbis allaturos, ſi ita emendaremus.* Et ne, vel, Et vt ne angar amplius. *Quæ ſequuntur, plauſibilem etiam faciunt coniecturam noſtram. Magna me cura leuaris: cui quid obſtet aliud non video, niſi conſpiratio quædam (vt ita dicam) librorum, in vulgata lectione conſentientium. quam tamen ſi cogitabimus, cum alibi, tum in his libris vel doctorum hominum quaſi conſenſu, non raro fuiſſe neglectam: ea pondus, contra rationem habere, non ſane magnum debebit.*

Chartam tibi deeſſe, mea cautio eſt. *Hic ex his locis eſt vnus, vbi æque omnes, ab antiqua librorum plane omniũ, ſcriptura, diſcedant. Ea vero eſt,* Captio. *quorum conſenſione permotus, inſpicere etiam probatiſſimum illud exemplar, quod eſt apud Victorium; curaui: nec aliter habere deprehendi. Itaque de uulgata accuratius*

*cogitanti, non tam proba, quàm antea uiſa eſt: quanquam, nunquam plane ſatisfecit. Etſi enim in verbo negatio incluſa eſt: vt in illo, Caue putes, Caue dixeris: & Plautino hoc in Caſſina: Cauebunt qui audierint faciant: tamen cum infinito an inueniatur, neſcio: illud animaduerti, cum hac latini ſermonis forma, Ne, iunctum eſſe: vt in Andria Apud Terentium. Puerum autem ne reſciſcat mihi ab illa eſſe, cautio eſt. & Adelphis. Piſces ex ſententia Nactus ſum: ij mihi ne corrumpantur, cautio eſt. In Pſeudulo item apud Plautum. Ne quiſquam pertundat crumenam, cautio eſt. Quin mea cautio eſt, & Tua cautio eſt. pro mea, tuaq́; diligentia, in me te'ue ſeruando, proq́; ſecuritate & otio accipitur. vt pro Marcello. Tua enim cautio noſtra cautio eſt: hoc eſt. Tua in cuſtodia tui corporis cura, noſtræ etiam ſalutis eſt cauſſa. Verum, bene habet, inquis: Captio, quid hic (malum) ſignificat? Iacturam forſan & damnum: quo ſenſu idem pro Cecina, captioſum videtur dixiſſe, hiſce verbis. Periculoſum eſt, diſſolui hoc interdictum: captioſum eſt omnibus, rem vllam conſtitui eiuſmodi; quæ, cum armis geſta ſit, reſcindi iure non poſſit. Et pro Q. Roſcio. Nam illa membra, merere per ſe non amplius poterant, duodecim æris: Diſciplina quæ erat, ab*

*hoc tradita, locabat ſe non minus* H-S CCCIↃↃↃ. *O ſocietatem captioſam & indignam: vbi alter* H-S IↃↃↃ, *alter* CCCIↃↃↃ, *quod ſit in ſocietate affert. Ergo ſi Captioſum, damnoſum ſit, Captio erit damnum. Exempla huius ideo non affero, quòd nõ dum ita plana firmaq; reperi, vt alio torqueri non poſſint: quod & in Captioſo eueniat, ſiquis aduerſari calumniariq; velit. Et tamen, ſic damnum ſignificare iudico, vt illud per fraudem malitiamq; allatum velim. vt ſiquis Captio, deceptio interpretari velit, non ſane repugnem. Noſtræ cõiecturę ſubſcribit, quod puerile eſt credere, curandũ fuiſſe Ciceroni, ne Attico charta deeſſet, aut ſi ea maxime defuiſſet, ducentos Attico defuiſſe, niſi a Cicerone auferret. Ego vero hæc ironice ab eo ſcripta arbitror: qui cum totas paginas exaratas vidiſſet, ita vt nihil reſtaret vacui ſpacij, quo plura addi poſſent: quaſi impoſita neceſſitas Attico fuerit finiendi: vrbane venuſteq; vt ſolet, Chartam (inquit) tibi deeſſe mea captio eſt. Nam niſi ea deeſſet, plura ad me ſcripſiſſes. Itaque ne poſt hac quidquam omittas, aufer a me ducentos: Deinde: quanquam ego ineptus, qui, cum largus & liberalis haberi ſtudeo, grauioresq; epiſtolas, actorum rumorumq; plenas a te requiro, atq; ita parſimoniam quodammodo reprehendo tuam, quaſi chartæ ideo parcas, ne in eam ſum*

*ptum facere cogaris: meam ipſe ſignifico, huius contractione paginæ.*

Iam ſiqua certa habes. *Antonianus & Faërni,* Siquæ. *de qua dicendi forma, nõ pauca ſupra.*

## *IN EPIST. VII.*

Proficiſcebar Brunduſium, ad XIII. K. Iun. *Recte illi ratiocinantur, meo iudicio, qui* XII *emendant: tum quòd ſe triduo fuiſſe cum Pompeio ad hunc ſcribit: ad Cœlium, complures dies: tum quòd Brundiſium venit* XI *K. Iun. vt ipſemet ad Appium ſcribit, epiſtola* III. *vt triduum ponere in itinere, ſiue pedibus, ſiue claſſe proficiſceretur, non potuerit. Abeſt enim à Tarento, vt Plinius ait, iter diei vnius: hoc eſt Paſſ. Mil.* XXXII. *Verum vt totum iter ipſius habeamus: Roma egreſſus eſt, circiter K. Mai. & primo cum Attico in Tuſculano fuit. Inde, Arpinate, Arcano, Aquino Minturniſque, vnde Torquatum dimiſit, & Cumano peragratis: ex Pompeianoq; ad* VI *Id. Maij, in Trebulanum profectus,* V. *Id. Beneuentum venit: inde Venuſia tranſiens,* XV *K. Iun. Tarentum.* XI *K. Iun. denique, Brundiſium, vt diximus.*

## *IN EPIST. VIII.*

Romæ acceperam litteras. *Manutius emendat* Roma. *& quidem eſt cur probem: verum-*

*tamen & Roma & Romæ, ſua habent incommoda. Enimuero ſi Roma, cur non Accepi potius, quàm Acceperam? qua voce, multum iam fluxiſſe temporis demonſtratur, cum ipſe, non ita pridem Roma exiſſet? Sin Romæ, cur non ipſemet cum adeſſet, hoc ipſum confecit, quod nunc abſens Attico mandat? niſi non ſatis credidit eorum litteris, a quibus ſibi ſcribebatur Milonem queri. Nam paulo poſt, ſæpe ſibi maiora ſcribi dicit: ſed vel re tamen poſtea diutius conſiderata, ſtatuit, id quod eſſe potuit, non eſſe negligendum: vel ab Senatu, vt eſt in litteris ad Appium, ita maturare coactus fuit, vt ad ea tempus non habuerit, quæ ex itinere curanda fuerunt. Quin vt* Romæ *legatur, illa etiam perſuadere videntur, quę mox adduntur: Vt ego ei coram dixeram, mihiq; ille receperat: de Philotimo ſcribens. Illud ſcrupulum inijcit, proq; altera ſcriptura ſtare videtur: quòd qui Ciceroni ſcripſerunt, ij niſi Romæ fuiſſent, non queri per litteras Milonem, ſed tantummodo queri, dicturi erant. Qui enim hoc ſcire poterant, niſi ab ijs qui Romæ acceperant? Quanquam, non deeſt, quid ad hæc dici poſſit. Sed Acceperam, defenditur, ſi Ciceronem dicamus paulo poſt, quàm egreſſus eſt, certiorem factum.*

Alienis mancipijs. *Durior omnino dicendi ratio, vt equidem non mirer, Vbaldinum*

*(ei enim attribuitur)* Et alienus, *legiſſe: & tamen in* Alienis, *veteres libri conſentiunt. Affine illud videtur, quod* VI *libro de Grȩcis, quibus Cicero conceſſerat, vt inter ſe diſceptarent ſuis legibus, tale eſt. Græci vero exultant, quòd peregrinis iudicibus vtuntur. ſic ibi, cum uterentur ſuis. ſed peregrinis tamen, ſi ad Romanos, ſeq; referat. ut hic Alienis, ſi ad Milonem.*

Vt ipſi nos. *Ipſi, dandi caſu: atque ideo a, Nos coma diſtinguendum.*

Siquid ſeruari poſsit. *Sententia & conſuetudo latini ſermonis, poſtulat* Poſſet, *prȩſertim cum addatur, ſeruaremus.*

## IN EPIST. IX.

Et Leucathen flectere. *Manuſcripti* Leucatam. *Et recte utrunque dici Maro docuit, cum, Feruere Leucaten dixit: &, Leucatȩ nimboſa cacumina montis. Fuit Epiri promontorium ex Liuio; cui applicata urbs Leucas fuit ad fretũ quoddam poſita, paſſus circiter quingentos longum, latum haud amplius centum uiginti. Hoc ut Strabo narrat, Corinthij eo habitatum profecti, manu fecerunt; cum ibidem Cherſoneſſum in Iſthmo effodiſſent: ne qui illac nauigaturi eſſent, peninſulam obire cogerentur. Quin antea quoque ut tædium longæ nauigationis effugerent, traducere na*

*ues ſolebant: de qua re Iulius Hyginius, in Cinnæ propemptico, vt eſt apud Soſipatrum lib. primo, in dictione Iteris, in hunc modum. Ab Actio nauigantes ſtadia* xxxx, *veniunt in Iſthmum Leucadienſium. Ibi ſolent iteris minuendi cauſſa, remulco, quam Græci πολκτωνα dicunt, nauem traducere. Et mox, in dictione Itiner, Quærunt (inquit) etiam non nulli, quam ob rem, eius cura iubent Actio nauigare, quod eſt e regione traductionis Leucadienſis: Et rurſus ab Actio circa inſulam moneat ire, quàm a Corcyra rectum itiner ad Leucatam. Hæc eo libentius attuli, quòd ad hunc totum Ciceronis locum, mire faciunt. Atque vtinam mendis carerent. Nos Quam, pro Quem emendauimus, quod Græci ἐπάκτωνα, non remulcum vocant, ſed nauigij genus minutum, ex viminibus compactum, vt eſt apud Strabonem lib.* XVII; *cuiuſmodi etiam Plauſtris traduci, nedum remulco poſſit: vt ordo hic ſit: ſolent nauē, quam ἐπάκτωνα Græci vocant, remulco traducere. Exiſtimamus autem Iſthmum illum, ita anguſtum fuiſſe, vt nauigia funibus ex vno in alterum ſinum, trahi remulco potuerint. Verum vt ad noſtra redeamus, moleſtum Ciceroni videbatur, Leucatam flectere: credo, quòd Athenas petenti, iter eſſet & deuium (flectendum enim erat ad Auſtrum) & prolixum. Ennius etiam in* x.

*Leucaten campſant dixit, pro flectunt.*

Sine his impedimentis. *Malim* Sane *Noſtri enim omnes habent, ſine. & tamen Manutianam emendationem ſequor, ex Beſſarionis libro.*

Quales res noſtras. *Manuſcripti* Qualis.

Vt pugnes, ne intercaletur. *Si proximus annus intercalarius fuit, vt in argumento Milonianæ Aſconius ſignificare videtur; quid eſt, cur tantopere laboret Cicero, ne intercaletur? An quia intercalatum non fuerit ſuo anno? An potius quia intercalandi cura ita Pontificibus permiſſa eſſet, vt ij, cum libitum eſſet intercalarent, ſepeq; per ambitionem aut odium, quo quis vel citius magiſtratu exiret, vel diutius fungeretur: aut omnino omitterent, cum eſſet intercalandum: aut cum non eſſet, intercalarent, pluresúe aut pauciores dies intercalarent? Id Macrobius ſignificat: & Tranquillus affirmat, in Cæſare ſcribens. Faſtos correxit, iampridem vitio pontificum, per intercalandi licentiam, adeo turbatos, vt neque menſium feriæ æſtate, neque vindemiarum autumno competerent: annumq; ad curſum Solis accommodauit. Verumtamen, hoc anno, intercalatum non eſt, tametſi Curio vt intercalaretur pugnarit. Ita enim Cœlius ad Ciceronem epiſt.* v i. *Quod tibi ſupra ſcripſi, Curionem frigêre; iam calet. Nam feruentiſſime concerpitur. leuiſſime*

*enim, quia de intercalando non obtinuerat, tranſfugit ad populum, & pro Cæſare loqui cœpit. Id etiam cognoſcitur ex ratione menſium, quibus Cicero in prouincia manſit.*

## IN EPIST. X.

Vt puto & vultu belliſs. *Conſentiunt noſtra exemplaria, cum Beſſarionis libro, atque,* vt puto & volo *habent. Sed* vultu *legendum eſſe, quod ſequitur* belliſs, *aut* bellis *indicant. quod de vna fronte dici non poteſt.*

Hac non modo nemo. *Delenda eſt aſpiratio, & ex vetuſtis libris, & ex ſententia. Nemo enim Athenis? Sed & abeſt a libris Petri Victorij: niſi malumus* Huc.

Turbæ duntaxat? & vrbis ornamentum. *Quædam ſunt in his verſiculis, quæ vel aliter in antiquis libris legantur: vel vt frigida & iacentia ſuſpecta ſint. Primum placet* vrbs, *vt eſt in pleriſque meorum: notamq́; rogandi, poſt* Ornamentum *traijci: Secundo loco, vt eſt in Faërnino et Bononienſi,* Quædam *potius, quàm* Quadam: *Tertio* Et *pro* En: *vt eſt in meis aliquot: poſtremo pro eo quod eſt ἄνω καὶ κάτω,* Antiochina: *vt ſcriptura omnis hæc ſit. Vrbs duntaxat, & vrbis ornamentum? & hominum amores in te, in nos quædam beneuolentia: ſed multum & philoſophia Antiochina. ſiquidem eſt in Ariſto, apud quẽ erã. Vt Antiochina placeat*

*illa faciunt: primum dicendi ratio noua; deinde etiam ſententia: quia, ſi per philoſopniam* ἄνω καὶ κάτω, *ſiue ſurſum & deorſum, morem Academiæ ſignificet,* εἰς ἑκάτερον *diſputantis, næ illud durum nimis & coactum videatur, & a communi hominum intelligentia ſenſuq́; remotius, quàm vt Ciceronis conſuetudo ferat: ſin variam & diſtractam, & quaſi fluctuantem: hac Cicero delectatus non eſt: nec eam is, apud quem erat, Ariſto, coluit: ſed vterque veterem probauit: Cicero quidem ſuo quodam genio: Ariſto, hoc amplius, quòd eam a fratre Antiocho in honore habitam, quaſi per manus acceperit, & domi habuerit: quod idem Cicero in fine Bruti, ſignificat. Et quanquam in pleriſque meorum ſurſum, deorſum legitur: in non nullis tamen eſt,* ἄνω καὶ κάτω. *Et fieri poteſt, ut latina interpretatio, græcorum uerborum locum occuparit, ab imperitis ſcriptoribus relictum uacuum: cuius rei non deſunt exempla. Atque huius quidem poſtremæ ſuſpicionis auctor mihi fuit amicus meus, reliquarum emendationum libri ueteres.*

Eramus inuicem. *Ad ea quæ Manutius ex Beſſarionis & Caualcantis, ad huius ſcripturæ confirmationem adducit; nos in Maffei quoque exemplari, quo teſtatior res ſit,* Inuicem *ſcriptū eſſe affirmamus. Et eſt uero ſermonis ratio elegantiſſima,*

*gantiſſima, qua ſignificatur mutuus tranſitus, modo Marci ad Quintum, modo Quinti ad Marcũ.*

## IN EPIST. XI.

Marcellus ſedendi comes. *Valde gauiſus ſum in hoc loco reſtituendo, conueniſſe mihi, cum ingenioſiſſimo & egregie docto viro Carolo Sigonio: vt quemadmodum amore coniuncti inter nos ſumus, ſimus etiam quodammodo iudicio, Atque hoc ita accidiſſe, præter ipſum neminem teſtor, qui quo tempore fragmenta illa Ciceronis edidit, in quorum ſcholijs locus hic emendatur; quæ ſuper hac ipſa re, ipſe quoque antea diſputauerim, me non modo poteſtatem faciente, ſed etiam rogante, legit. Atque ego hæc non eo dico, quo hominis gloriam, in rebus multo maximis probati et cogniti, immínuam; quaſi communem facere cum altero velim; ſed vt emendationi maiorem faciam fidem, & auctoritatem comparem: quæ & illi in mentem venerit, & probata ſit. Quanquam hoc ei maior quàm mihi laus debetur, quòd per ſe ipſe excogitare potuit: ego potuiſſem fortaſſe, ſed cogitandi curam ac laborem Octauius. Pantagathus eripuit, tum cum de ſuperioribus etiam aliquot locis admonuit. Sed neque paruam Petro Victorio habendam gratiam arbitror, qui*

ſi huc, aliud ſecutus non peruenit, viam tamen, qua facile perueniretur, muniuit, & complanauit. Sed ne rem pluribus adornem, ita videtur ſcriptum a Cicerone fuiſſe. Marcellus fœde in Comenſi. Coniectura ducta ex eo, quòd apud Appianum ſcriptum ἐν ἐμφυλίοις eſt his verbis. πόλιν δὲ νεόκωμον ὁ καῖσαρ ἐς λατίου δίκαιον ᾠκίκει, ὧν ὅσοι κατ' ἔτος ἦρχον, ἐγίγνοντο ῥωμαίων δὲ πολῖται· τὸ γὰρ ἰσχύει τὸ λάτιον. Hoc eſt, Nouocomum autem Cæſar Latij iure donauerat: quorum qui annuum magiſtratum geſſerant, ciues Romani fiebant. Hanc enim vim, habuit latinitas. Marcellus ergo Conſul, qui potentiæ Cæſaris aduerſabatur, colonis, vt Tranquillus ait, quos ille rogatione Vatinia, Nouum comum deduxerat, primum ciuitatem ademit: dicens iis, per ambitionem, & vltra præſcriptum datam: nimirum, vt ego interpretor, addito iure Latij, quo continebatur, vt quicunque in ea ciuitate magiſtratum geſſiſſet, ciuis Romanus eſſet; deinde quo id probaret, Cæſariſq; beneficia irrita eſſe oſtenderet: Comenſem, qui dicebatur magiſtratum geſſiſſe, ſeq; pro ciue gerebat, virgis cedi iuſſit: quo nemo ciuis Romanus ſupplicio afficiebatur. Id ſtomachatur Cicero, ea maxime ratione: quòd etiam ſi magiſtratum Comenmenſis ille, vt quidam Marcelli factum excuſa-

*re volentes, dictitabant, non geſſiſſet: eſſet tamen Tranſpadanus: quibus ante Ius Latij datum fuerat. Nam vt Aſconius refert in Piſonianam, Cn. Pompeius Strabo, Pompeij Magni pater, Tranſpadanis colonijs, ius dederat Latij; vt poſſent habere ius, quod cæteræ latinæ coloniæ: id eſt, vt petendi magiſtratus gratia, ciuitatem Romanam adipiſcerentur: de qua re Strabo etiam libro v. & planius & explicatius, idem Carolus Sigonius; de iure antiquæ Italiæ libro primo. Addo illud, mox,* Erat *eſſe legendum ſicq; inueniri in lib. Card. Maffei, & Antoniano: & paulo poſt,* Quam *comparationis particulam, reſtituendam: non libris quidem auctoribus, ſed ſententia: quæ eſt, Marcellum, eo facto, non modo Cæſarem, ſed etiam Pompeium offendiſſe: cuius pater Strabo, Tranſpadanus colonias deduxiſſet: vt ea contumelia, non ſolum ad Cæſarem, ſed etiam ad Magnum quodammodo pertineret, vt totus locus, ita legi debere videatur. Marcellus fœde in Comenſi: & ſi enim ille magiſtratum non geſſerit, erat tamen Tranſpadanus. Ita mihi videtur, non minus ſtomachi noſtro, quàm Cæſari feciſſe. Sæpe autem per Noſtrum in his epiſtolis, Pompeium intelligit. Nam infra vltima epiſtola libri* VII. *Plane enim, cui noſter alterū Conſulatū deferret. & triumphū &c.*

Ἀνεξίαν in vnum annum meditatus ſum. *Hæc ego non dubito per iocum a Cicerone ſcribi. Neque enim ſpecimen huiuſmodi vnquam de ſua virtute præbuit, vt dubitare poſſimus, non eandem fuiſſe illum perpetuo ſeruaturum. Sed cum ſciret Atticum de ſua exiſtimatione, non minus, quàm ſe laborare: hac feſtiua quaſi denuntiatione, terret hominem, ne ſibi patiatur prouinciam prorogari. Ego inquit* ἀνεξίαν *hanc, ad annum tantummodo (& addit, vt ſinguli dicunt) meditatus ſum: tu ſi vlla te cura de noſtra gloria tangit; da operam, pugna, ne quid mihi temporis addatur. Vereor enim, vt eandem abſtinentiam præterea, retinere queam.*

Nunc redeo, ad quæ mihi mandas. *Veteres libri*, ad ea quæ. *ſine dubio melius.*

In præfectis excuſatio: ĳs quos voles deferto. *Tam præciſa loquendi ratio, & plus, quàm laconica, ſuſpecta mihi eſt. eo magis quòd & difficilis coniectura, Vtrum* Eſt *an vero Non eſt, deſideretur: cum in huiuſmodi eclipſes, procliues eſſe debeant: ſed & loquendi ratio, in poſteriori membro, abhorret a priore: cum a Præfectis ad Præfecturam demigretur: & poſtremo, ĳs quibus voles potius, quàm Quos voles, dicturus Cicero fuerit. hoc modo, Præfecturam ĳs quibus voles deferto. Antonianus quidem liber,*

*& alij nonnulli* Excuſationis ijs, quos voles. *vnde conijcio legi poſſe. Excuſatio neminis: quos voles deferto: quo modo ſupra locutus eſt, epiſtola ab hac quinta. Ait ſe Pompeius, quinos præfectos delaturum. Sententia plana eſt. In præfectis excuſatio neminis, hoc eſt, neminem recuſabo: in nemine poſthac recuſatio: quos voles deferto. non ero tam* μετέωρος, *quàm in Apuleio fui.*

## *IN EPIST. XII.*

Ad VIII Id. ab Ceo iucunde. *Qui potuit Cicero Zoſtere Nonis teneri, vt ab Ceo* VIII *Id. non ab eo loco, vbi Nonis detentus eſt, nauigauerit? Nam inter Nonas profecto &* VIII *Id. nullus dies intercedit. Itaque Corrado aſſentior, qui* ad Ceum *legit, præſertim cum excuſi fere omnes antiquiores, & manuſcripti etiam aliquot, ita habeant. Ad hæc, tollitur etiam abſurdum illud, ne videatur, iucunde ſimul Cicero, & ſæuo vento nauigaſſe. Cum enim dico. Inde Gyarum ſæuo vento: Inde, ab Ceo intelligo, vnde iucunde nauigaſſe dixerat. quanquam in vetuſtis meis nonnullis*, Ad Ceum vicum, deinde. *& in alijs.* Ad Cei vicum, deinde. *Vt* Iucunde *fieri potuerit ex* vicum, *& ſequentis abuerbij prima ſyllaba: rectum vero ſit: Ad Cei*

*Vicum: inde Gyarum. a qua lectione non ſane valde abhorreo.*

Niſi omnia ἀκρατηρέων iura vidiſſem. *Ita fere legitur in vetuſtis libris, Alijs ἀκροτηρέων placet, obſeruationumq́; a promontorijs exponunt: ſi a themate, vt neceſſe eſt, ἀκροτηρὰς, potius promontoria ſeruantium, quàm obſeruatio nem ab eis, ſignificabit. Nam τηρὰς, ὁ τηρῶν valet ἐνεργητικῶς. ἀκροτήρισις id poſſet, ſed nimium eſt a ſcriptura diuerſum. Nos ἀκρωτηρίων emendamus: vt per iura promontorium, nautarum prognoſtica intelligamus, à promontorijs ducta, cu iuſmodi illa ſunt apud Plinium lib.* XVIII. *Cum in cacuminibus montium nubes conſident, hyema bit: ſi ea cacumina pura fient, diſſerenabit. Infra lib.* VI, *epiſtola Cum inſtituiſſem, ex Aſia nauigans, Aucupari tranquillitates dixit, his verbis. Nos Rhodiorum aphractis, ceteriſq́; longis nauibus, tranquillitates aucupaturi eramus.*

Nam id vel Helonius. *Faërni liber,* Helenius. *Fortaſſe melius. Fuit enim etiam eo nomine Acron Grammaticus, a Cariſio, Helenius Acron vocatus: e cuius ille commentarijs in Teren tium, crebra teſtimonia adducit. quem eundem putamus eſſe, qui Horatium expoſuit.*

Cum hæc leges. *Veteres libri.* Et iam cum hæc leges.

De ſtrue ſalinatum. *Manuſcripti fere*, De-ſtrues alterum. *Fortaſſe*, de ſtrue.ſ laterum. *quod eſt: de ſtrue ſcilicet laterum. Etſi ne id quidem ſatis placet. Quid enim ei fuit laborandum, vtrum in ſtrue lateres eſſent, an aceruo? vide an melius, tam etſi remotius a ſcriptura.* De ſtrue .ſ. alueorum. *nempe alueorum in hortis meis aut prædijs compoſitione, collocationeque. Vnde etiã, de aqua rogat, vt apibus neceſſaria. Nam profecto Salinæ, cum locus ille ſit, vbi ſal aut fit, aqua maris inducta: aut foditur, Græcis* ἁλικαὶ *dictæ: quam ſtruem requirant? deinde quid Salinæ ad M. Tullium? Quanquam Serues quidem Libi genus etiam fuit, de qua Cato in libro de re ruſt. Priuſquam porcum imolabis, Iano ſtruẽ commouero ſic, Iane pater, te hac ſtrue commouenda, bonas preces precor. Verum hic locum non videtur habere.*

## IN EPIST. XIII.

Poſt pugnam Bouillam. *Poggiana & Lolgiana exẽplaria.* Poſt pugnam ambo villam. *vt legi poſſe videatur* ad Bouillam. *eoq́; magis, quod Bouilliam pugnam a Bouilla, declinandum videtur. quanquam* Bouillam *non reſpuo.*

Nuntiaret Seſtius. *Veteres libri omnes* Ceſtius. *Neque quia libri huius epiſtola* XVII Se-

*ſtius nominatur, ideo hic quoque Seſtium legendũ eſſe, exiſtimare debemus. Fuiſſe autem Romæ Ceſtiorum familiam, ſi nihil aliud, Pyramis illa ad portã Trigeminam, erecta, ſatis declarat: in qua ita ſcriptum eſt. C. Cæſtius L. F. Pob. epulo, & quæ ſequuntur. nota enim ſunt.*

Seium Rhodium. *Noſtri fere* Seium tradi. *vnus Romanus* Tragedi. *Ego Victorium ſequor, cum præſertim Seius, nomen latinum ſit.*

Apollonicenſem Xenonem. *Apollonide, vrbs Aſiæ fuit: Apollonice, vllá ne fuerit ignoro. De illa M. Tullius idem pro Flacco. Abduxiſti Temno Apollonidem. Et ad fratrem lib. 1. epi. 11. Et te prorſus vehementer etiam atque etiam rogo, vt & procuratoribus Flauij remittas de diminuendo, & Apollonidenſibus ne quid præſcribas. Hæc eo pertinent, vt intelligamus Apollonidenſem hic quoque legendum eſſe.*

In primisq́ quid iudiciorum ſtatus &c. *Antonianus et Faërni:* In primisq́ nunc quid. *vt emendari poſſe videatur.* Numquid *ordoq́; verborum atq; ſententia ſit: In primisq́; ad me perſcribe, num quid ſtatus iudiciorum laboret: hoc eſt, agitetur & caleat. aut certe Laboret, periclitetur ac labet: ita vt & facta, infecta irritaq́; fiant, & futura impediantur. In vulgata vix ſenſum reperio.*

IN EPIST. XIIII.

Vtrunque præſtabo. *Ornata, ne dum bona dicendi ratio: in meis tamen omnibus*, Vtrunque dabo. *nec vllum apparet veſtigium vulgatæ lectionis, niſi fortaſſe in Antoniano, in quo eſt.* Vtrunque ẽ dabo.

Spero meos omnes. *Veteres libri*, Omnis.

IN EPIST. XV.

ME nomen habere duarum legionum exilium. *Plutarchus tamen ait, eum habuiſſe exercitum, qui duodecim millibus peditũ, & duobus millibus equitum, ac ſexcentis conſtaret. Auxit tamen poſtea, vt idem ad Catonem ſic ſcribit. Ego in caſtra ad* VII *K. Sept. veni, cum interea ex ſuperioribus diebus ex S. C. euocatorum firmam manum, & equitatum ſane idoneum, et populorum liberorum Regumq́; & ſociorum auxilia voluntaria comparauiſſem.*

Sim modo annuus. *ſcripti, immo vero etiã impreſſi omnes*, ſit modo annuum. *Neque vulgatam reprehendo; quę candida eſt; ſed cum hęc vitij nihil habeat, cur loco deturbetur, non video. Quæ eſt paulo poſt*, ſim annuus; *cum in vetuſtis meis*, ſit annuus *legatur; non laboro vtro modo Sim annuus, an Sit annuum, ſcribatur.*

Vt Senatum excites. *Veteres omnes hoc amplius.* Totum Senatum excites.

Plura ſcribam alias. *Noſtri, alias non habent. & Bononienſis, vnusq; Maffei,* Scribebam. *vnde mihi videtur ſenſus hic elici poſſe non ineptus. Ego plura ſcribebam quàm oportuit, præſertim dans, tarde tibi redditurό: ſed dabam familiari homini.*

Pro magiſtris ſcripturæ. *Præter vnũ Maffei, omnes,* per magiſtros. *vt coniectura opus non fuerit, vbi tot ſint teſtes.*

## IN EPIST. XVI.

Possessiones omnium uenditas. *Nihil eſt hoc mihi loco dicendum, niſi in meis omnibus, quemadmodum & Petri victorij, ὠνὰς græcis litteris, aut latinis* Onas *inueniri: qua de voce, cum ab illo diſputatum abunde ſit, ſuperuacaneum eſt plura adſcribere.*

Tædet omnium nos vitæ. *Malim equidẽ,* Tædet omnino eos vitæ. *Nam de incommodis prouincialiũ loquitur, non ſuis: permultumq; diſtat, tædiũ a Miſericordia. Tædet nos vitæ malorum. miſeret bonorum. Itaq; pro Flacco. Quòd ſi taliũ ciuium vos iudices tædet, oſtendite.*

## IN EPIST. XVII.

Hvnc locum ama. *Etſi locum video nõ-*

*nullis ſuſpicioſum eſſe; quibus nouũ fortaſſe videatur, locum pro re, pro negotio, pro cauſſa poni:* ar*maque, vt ſupra Præfulci, præmuni, legi placeat: ego tamen illum ſemper amaui, atq; in oculis tuli: vt ama dixerit hunc locũ, pro eo quod eſt, In hoc diligens ſis: in hoc totus ſis: huc omni cogitatione incumbas: vt in ea ſoles quæ vehemẽter amas. Locum porro dixit quaſi materiam, Subiectum, & argumentum, in quo vires ſuas exerceret. Et iucunda eſt etiam repetitio, Amas, Ama.*

Cum ego ſum. *Noſtri ſim. Melius: nec tamen illud male, niſi quòd a veterum librorum ſcriptura diſſentit.*

## *IN EPIST. XVIII.*

Ne quid inter cæſa & porrecta (vt aiunt) mihi oneris addatur &c. *Ne medio hoc tempore, dum nos longiſſime abſumus; dum nemo cauſſam tuetur noſtram, ij quibus res in manu eſt, ita mihi oneris aliquid aut tẽporis addant, vt multa Prætores decernũt, inter cæſa & porrecta, nulla religione impediti. De qua cõſuetudine ita Macrobius Varroq; ante eũ. Dies aut feſti ſunt, aut profeſti, aut interciſi. Feſti, Dijs dicati ſunt: Profeſti hominibus, ob adminiſtrandam rem priuatam publicãq; conceſſi: Interciſi, Deorum, hominũq; communes ſunt. Feſtis inſunt, ſacrificia, Epulæ, ludi, feriæ: Profeſtis, faſti, Comitiales, cõperẽdini, ſtati,*

preliares: Interciſi in ſe, non in alia diuiduntur. Illorum enim dierum, quibuſdam horis, fas eſt: quibuſdam fas non eſt, ius dicere. Nam cum hoſtia ceditur, fari nefas eſt: inter cæſa & porrecta fari licet. Varro autem de Ling. latina libro v. Interciſi dies ſunt, per quos mane & veſperi eſt nefas: medio tempore, inter hoſtiam cæſam & exta porrecta, fas. A quo, quòd fas tum intercedit, interciſi dies: aut quòd interciſum nefas. Quę poſtrema verba, hunc habent ſenſum: dies interciſos dictos: vel quòd fas iuris dicendi, intercedat inter cæſa & porrecta: vel quòd nefas intercidatur, ita vt dicendi iuris nefas, perpetuum ne ſit, ſed mane tantummodo & ueſperi. Fari autem ſine piaculo, tria illa licebat, Do, Dico, Addico, legeq; agere. Neceſſe enim fuit aliquo eorum uti uerbo, cum lege quid peragitur. Ad hunc igitur ritum ſpectantes, ij qui ſibi nequid decerneretur timebant: dum ipſi aliquo negotio occupati, aut minus animaduerterent, aut adeſſe non poſſent: nequid ſibi inter cæſa & porrecta, ſolebant dicere.

Varronis loc⁹ illuſtratus.

Expedito ad mutandum loco. *Si Pauli opinionem ſequimur, qui* copioſo *ad* Exercitu *refert:* Locum *erit emendandum, quemadmodum in Antoniano & aliquot alijs legitur, ne orationis ductus interpelletur: ut ſententia & ordo hic propemodum ſit. Tuto conſedimus: exercitu co-*

pioſo a frumento: Ciliciam prope conſpiciente, expedito ad mutandum loco, paruo quidem, ſed &c. Sin (quod mihi placet) vtq; in pleriſque manuſcriptorum conſpicitur, loco retineamus: ad ipſum erunt omnia referenda, atque ita verba ordinanda. Tuto conſedimus loco, copioſo a frumento: Ciliciam prope conſpiciente: expedito ad mutãdum: paruo exercitu, ſed &c. Locus autem expeditus is dici ſolet, qui habeat exitus facilis: vt impeditus, qui difficilis. Etiam locum tranſlate conſpicere dicimus, vnde proſpectus ſit. Inde illa: locum ſpectare ad Auſtrum, aut ad Arctum. Quin ab hac lectione, verbum Conſedimus facit. Neque ei ὑπέρβατον officere debet, quod non officiat alteri. Et tamen ſicui magis illa placeat, haud in magno ponam diſcrimine.

## IN EPIST. XIX.

ETIAM in Epirum. Senſus planus & perſpicuus, ſi detur, Etiam, Tamen vt placet nonnullis, quod ego nondum notaui, ſignificare. Nam qui locus ad hoc probandum, ex epiſtola ad Marium adducitur: is mihi cauſſam illam iuuare nihil videtur. Eſt enim talis. Ego cum meis, ſi quidq̃ nũc cuiuſpiam eſt: etiam in meis eſſe malui. Ait enim Cicero, maluiſſe ſe, cum vxore, filijs,

Loc' in epiſtolis ad Mariũ illuſtratus.

*fratre, & aliqua ſibi affinitate coniunctis eſſe: eſſe etiam in ſuis fortunis & bonis, ſi modo quidquam tum cuiuſpiam eſſet, vt illud, ſi modo quidquam, anticipata quędã correctio ſit. nec In meis interpretor Inter meos. Neque is ſum tamen, qui* Etiam *negem* Tamen *valere: qui, quod æque durũ videatur,* Tamen *obſeruauerim valere* Etiam *in illo Plauti in Milite. Paleſtrio.*

*Etiã nunc ſaluto te familiaris, prius, quàm eo.*
*Conſerui, conſeruæq; oẽs, bene valete et uiuite.*
*Bene quæſo inter vos dicatis: & mi abſenti tamen.*

*Niſi & hoc parum eſt firmum, aliudq; dicere volentem; Pyrgopolinices interpellauit, his verbis. Age Paleſtrio bono animo es. Non inquam nego, quod volunt, id valere* Etiam*: hoc dico, me nullibi etiam num, quod mirum tamen non eſt, animaduertiſſe: inq; eo teſtimonio ex epiſtola ad Marium, parum ſpei reponendum. Quæ cum ita ſint, ſatius eſſe duco ſcripturam ſequi illam, quæ eſt in libro Car: mei, & in libro Faërni: vbi non* etiam *ſed* iam *tantummodo legitur. ſenſu eleganti, & euidenti. Et quanquam* Vt *pro Etiam ſi, poſitum, redditiuum* Tamen *poſtulet, hoc tamen non ſemper reddi, vel ex illo Ciceronis eiuſdem in Philip. cognoſci poteſt. Legem illam appellare fas non eſt: Et vt lex*

*ſit, non debemus illam Hirtij legem putare. Sed vt ad* Etiam *redeam, illud ex Iam potuit fieri, ſyllaba quæ eſt extrema præcedentis verbi, operarum negligentia, bis ſcripta, & ſequenti dictioni iuncta. Quod, haud magno negotio ijs probabitur, qui in manuſcriptis libris verſati ſunt.*

Quæ de Tarentinis. *Ita quidem habét quos vidi: mihi tamen eorum coniectura blãditur, qui ex his, quæ idem ſcripſit ad Memmium, libro epiſtolarum ad ipſum:* Parietinis *emendarunt. Neque hic longius diſputo. De Parietinis autem, atque In militia dixit, vt iocus eſſet in ſententia: quòd exercitus Imperator, ac Dux, de Parietinis laborauerit, & conatus fuerit.*

Quoniam *νεμεσᾷν, intereſt τοῦ φθονεῖν. locus obſcurus: Eum ſic nos aperimus: Gaudeo repulſam tuliſſe illum; nec me pudet fateri, cum huiuſmodi gaudium non ex inuidia, quæ in bonis nulla debet eſſe (nemo enim iuſte inuidere poteſt) ſed ex indignatione, quæ ab illa plurimum intereſt, naſcitur. Nam odij cauſſa, in eo eſt, quem odimus; cum uel improbatis ſit moribus, vel certe, iniuria nos affecerit: inuidiæ vero culpa, in prauo animo eius qui inuidet, tota eſt: qui æquo animo res aliorum ſecundas ferre non poſſit. & cum odium plerunque iuſtum ſit, νέμεσις quidem niſi in*

imp

bonorum virorum animos, cadere non ſolet. Itaque eam Ariſtoteles, in ſecundo libro de arte dicendi, etiam Dijs tribuit, his verbis διὸ καὶ θεοῖς ἀποδίδομεν τὸ νεμεσᾷν. Gaudeo igitur inquit, non quia inuiderem, ſed quia indignarer: videorq́; mihi hoc modo ſine reprehenſione poſſe gaudere. Itaque plane gaudeo. Qui plura de vi vtriuſque ſcire deſiderat; qua Plutarchus in moralibus, de his ipſis perturbationibus priuatim diſputet: quęq́; Magnus Baſilius περὶ φθόνου, videat.

## IN EPIST. XX.

ILLIVS diei celebritate. Faërni liber, Poggij, Maffei duo: Celebritatem, quarto caſu. niſi fallor, melius & venuſtius. Nam & Gnato ille Terentianus: Salutant, ad cœnam vocant: aduentum gratulantur. Et idem etiam in Philip. Cicero. Atque ei recuperatam libertatem eſt gratulatus: & in Verr. Et voce maxima, victoriam eſt gratulatus. Quam conſtructionem Lætor quoque inuenitur habere. Idem ad Mariũ. Vtrunque Lætor, & ſine dolore corporis ſe fuiſſe, & animo valuiſſe. Sed neque illud negligendum, Qui, indicatiuo iungi hoc loco, cauſſam ſignificans: cũ in hoc genere, ſubiunctiuum ſoleat ſibi aſciſcere. Nam idem infra lib. VI, epiſtola penultima; At multa, qui & properarem, & ei litteras darem,

qui

*qui aut mecum aut paulo ante venturus eſſet. Et Teren. In Andria. Satin' ſanus es, qui me rogites? & ſic fere ſcriptores. Quod etiam de Quippe qui, & Vtpote, intelligi volo. Ita enim libri huius epiſtola* VIII. *Me & incommoda valitudo, qua iam emerſeram: vtpote qui ſine febre laboraſſem, & Pomptini expectatio &c. Et libri* VI, *Epiſt.* 1. *Ille vero, ante decemuiros non fuit: quippe qui Aedilis Curulis fuerit. Plautus tamen & ipſe in Amph. finitiuo iunxit, cum ſic ſcripſit. Quippe qui intellexerat Vereri uos ſe, & metuere, ita vt æquum eſt Iouem.*

Iniurias reuellimus. *Ita fere Cicero in præteritis. In Verrem de Supplicijs. Neque prius illam crucem, quæ etiam nunc ciuis Romani ſangui ne redundat: quę fixa eſt ad portam vrbemq; veſtram, reuelliſtis, neque &c. Dicitur & Reuulſi, vt e Priſcianus & alij adnotant.*

Quod * dein Apanteæ. *Quinque noſtra exemplaria.* Quod idem dein, *ſententia plana; vt pronomē explere ſpaciū illud poſſit, in impreſſis relictū, cū in manuſcriptis non ſit, niſi perpaucis.*

Aquarum diuortio. *Noſtri omnes* In aqua rum diuortio. *quod eſt, vbi aquæ bifariam diuiduntur; & placet. Hunc locum alij Diuergiū appellant; quod ibi aquæ, partes in cōtrarias vergāt, atq; inclinēt. Flaccus de territorijs. Territoria in-*

R

*ter ciuitates, id eſt, inter municipia, colonias ac Præfecturas, alia fluminibus finiuntur: alia ſummis montiũ iugis ac diuergijs aquarũ: alia etiã lapidibus poſitis præſignibus; alia inter binas colonias limitibus perpetuis diriguntur &c.*

Nos Pindeniſſum. *Strabo* πιτνιασσόν, *Stephanus* πινδενισσόν. *Cicero fortaſſe uocis aſperitatem peroſus, maluit Pindeniſſum dicere: dulcius ad noſtros homines: vnde Pindeniſſa ſupra: quanquam Stephanus* τὸ ἐθνικὸν, πινδενισσεύς, ὡς τελμισσεύς, ἀπὸ τοῦ τελμισσός, *Quod noſtri Pidnilißeus reddunt, vt a Telmiſſus Telmiſſeus. Non nulli manuſcripti & quidẽ probati, Pindentiſſum & Pindentiſſæ: Mihi tamen Pindeniſſum magis placet: quòd & ſcripturæ Grǽce ſimilius ſit; & qđ ita ſit etiam ſcriptum in epiſtola ad Catonem.*

Recte πεφυσίωμαι. *me extuli, a* φυσιόομαι *verbo vſitato.*

Atque etiam ſpero toto anno. *Hǽc cũ his quæ de Bruto, non ſatis cohærent. Quid.n. ad ſumptus, illũ excitaſſe? Itaq; valde vereor, ne verba illa* Brutum abiectum, *cũ his quæ de illo ſequuntur, tranſpoſita per imprudentiã fuerint, ſintq; ita omnia ordinanda. Interea e Cappadocia ne pilum quidẽ: atque etiam ſpero toto anno imperij noſtri Terũtium ſumptus in prouincia nullũ fore: Brutũ abiectũ, quantũ potui excitaui: quẽ nõ minus amo.*

*quàm tu; pæne dixi quàm te. Habes ad omnia.*

Deiotarus, cuius auxilijs. *Nulli mei habent* Deiotarus. *Itaq; ſequor opinionẽ Victorij.*

De domo Pammenis. Pammeni *ſcriptum eſt in vetuſtis omnibus: vtrũ vt Demoſtheni, Thucydidi; pro Thucydidis Demoſthenis: an a recto Pammenus, haud ſane valde curandum puto. Pammenes quidem certe inuenitur in Bruto.*

## *IN EPIST. XXI.*

Acceperã aũt ſatis celeriter. *Alias, ab his, quas tu nauſeans Buthroto dederas. ac ſi dicat. Etſi eius epiſtolæ mẽtionẽ facio vnius, ſcito me tñ eas quoq; accepiſſe, quas Romę a Lẽtuli triũpho dederas: in quibus itẽ vt in illa, pungũt me dubitationes tuæ.*

Fore venturum. *Faërni liber, Antonianus, Car: mei.* Eſſe *nõ paulo rectius: Nã valla negat, huic infinito* Fore, *participiũ ſubijci: qđ illud, Participiũ in ſe includat: et ſicubi ſubiectũ eſſe inueniatur, id contendit loco nominis poni. vt Cicero, Spero amicitiam noſtram, notam poſteritati fore.*

Hemoni centurioni Scamulæ. *Noſtri* Hermoni, *magis Grȩcorũ nominum analogiam ſecuti, Hermogenis, Hermodori, ab Hermete. Iidem,* Centurionis Camulæ. *vt Manutius conijcit.*

Lege Iulia tranſita. *Pleriq; meorum,* Tranſitam, *vt ſi ex* M. NS *fiat, Manutij coniectura firmetur, quæ eſt vt* tranſitans *legatur.*

*Tranſitat autem is, qui vno die multa obit loca. Quare Tullius, cum a ſingulis vicis ac locis, quæ dari magiſtratibus ſolebant lege Iulia, poſſet accipere: ea fuit abſtinentia, vt ab vno, atq; id ſemel tãtũ (ita.n.malim) in diẽ accipere cõtentus fuerit.*

Facit vt mihi excipiendus ſit. *Antonianus & Faërni,* Hic facit. *Quod pronomen repeti tam ſolet vel cũ a ſuo verbo lõgius abeſt, quàm vt legentis recordatione coniungi poſſit. ita enim memoria renouatur: Idem Philip.* 111. *Faciendũ eſt igitur P. C. vt ea quæ ſua ſponte clariſſimus adoleſcens, atque omnium præſtantiſſimus geſſit, & gerit, hęc auctoritate confirmentur. vel certe redditiuum eſt aliquando, nec ornamento caret atque energia, Plautus in Aulularia.*

*Et hic qui poſcet eam ſibi vxorem ſenex*
*Is adoleſcentis illius eſt auonculus.*

*Vereor pręterea, ne* Excipiendum *legi oporteat hoc eſt, exceptione vtendũ. Cuius ſuſpicionis, non veteres libros aliquos auctores habeo; ſed dicendi formam rariorem exiſtimo: & me hercule etiam ſententiam ſequor. Eodem modo, vſus eſt hoc verbo libro X, cum ita ſcribit. Tum ille edixit ita, vt me exciperet, & Lælium nominatim. quod ſane nollem. Poterat enim ſine nomine, re ipſa excipi.*

Certum hominem, ſed mirifice abſtinentem. *Antonianus, & Alter Car: mei.* Sed mi-

rifice etiam abſtinentem. *Quod rectum puto. Nam cum virtuti, virtus contraria non ſit, locum hic habere aduerſatiua non poteſt: poteſt tamen intenſiua: qualis eſt,* Sed etiam, *cum eſt ſine antecedente Non ſolum. Ea enim ſignificatur apud nos, Quinimo, Imouero; quemadmodum apud Græcos* ἀλλὰ δὴ, ἀλλὰ καὶ, *ſine præcedente* οὐ μόνον. *De qua re, quanquam multa Petrus Victorius diſſeruit; tamen quo teſtatior res ſit, aliquot & ipſi teſtimonia, ex probatiſſimis vtriuſque linguę auctoribus, adducemus. Ariſtoteles ergo in primo libro* φυσικῆς ἀκροάσεως, *hunc in modum ſcribit.* εἶτα καὶ τοῦτο ἄτοπον, τὸ, παντὸς οἴεσθαι εἶναι ἀρχὴν τοῦ πράγματος, καὶ μὴ τοῦ χρόνου καὶ γενέσεως μὴ τῆς ἁπλῆς, ἀλλὰ καὶ ἀλλοιώσεως, ὥσπερ οὐκ ἀθρόας γενομένης μεταβολῆς. *Nec me latet, Ioanni Grammatico uideri,* οὐ μόνον *eſſe ſupplendum. Sed hoc, ſiquis ita exponat, non erit neceſſe quidquam extrinſecus aſſumere. Eſt enim hæc ſententia: Deinde etiam abſurdum eſt, exiſtimare omnium rerum eſſe principium, temporis non eſſe, non generationis ſimplicis: immo vero etiam mutationis, quaſi non ſimul tota, fiat mutatio. quo intrudi Non ſolū, aut omnino, aut niſi uiolenter ægreq; nō poteſt: Dio quoq; lib.* XXXVIII. οἱ γὰρ δυναστείας ἐρῶντες, παρ' οὐδενὶ πάντα τ' ἄλλα, πρὸς τὸ τυχεῖν ὧν βούλονται τίθενται. ἀλλὰ

Ariſtotelis locus illuſtratus.

καὶ τοὺς φιλτάτους καὶ τοὺς συγγενεστάτους ἀντὶ τῶν ἐχθίστων ἀντικαταλλάσσονται. *Verũ ad latina vt redeã, Cicero libro epiſt. ad Mẽmium, ita Silio ſcribit. Hoc in genere, ſi eum adiueris eo ſtudio, quo oſtẽdiſti: apud ipſum præclariſſime poſueris: ſed mihi etiã gratiſſimũ feceris. Dixit itẽ* Verum etiam *eadẽ pæne ſententia Q. Cicero, ſcribens ad Marcũ fratrẽ, lib. epiſtolarũ ad Tironẽ. Amo te, omnibus quidẽ maximis de cauſſis, uerũ etiam propter hãc, vel quòd mihi ſic vt debuiſti, nuntiaſti. Certũ porro hominẽ dixit,* βέβαιον: *non dubiæ fidei, & qui facile mutetur, ſed fidũ & conſtantẽ: quo ſenſu itẽ infra* VIII. *lib. epiſt.* I. *Ei ſtatim reſcripſi, hominẽq; certũ miſi de comitibus meis. Et lib. epiſtolarũ ad Torquatũ, Balbo ſcribens. Pãſa quidẽ mihi, grauis homo & certus, non ſolum confirmauit, verum etiam recepit, perceleriter ſe ablaturum diploma. hoc eſt, qui fallere neſcit.*

Me obtinente erogabatur. *Antonianus liber* Erogabitur. *Et videtur rectũ, Nam qui, Me obtinẽte erogabatur, dicit. is ſe negat obtinere: qui Me obtinẽte erogabitur, nõ erogaſſe nõ negat. Sed neq; ille qui* Faciebat *ſuis ſolitus erat opibus appingere; cũ hoc ſcriberet, non ſignificabat manũ iã ſe e tabula deduxiſſe, Porro aũt erogabit dixit, vt cõſtãtiã in ea re ſuã, firmũq; ad exitũ vſq; fixũq; propoſitũ, indicaret. Neq; tñ credendũ eſt M. Tul*

*liũ, nihil lucri pꝛſus in Prouincia feciſſe; q in Aſia in Ciſtophoro reliquerit, ad H-S bis et vicies, vt infra lib. x1. epiſt. pꝛima ipſe met fatetur: ſed eã pecuniæ ſummã, & ea maiorem quoq; exiſtimare debemus, ad eũ, ex adminiſtratione prouinciæ, iure perueniſſe: ita vt, cũ negat, ne Terumtium quidẽ accepiſſe, intelligamus per latrocinium & eas artes, quæ multis erant in queſtu.*

Freti gratia Bruti, dare uolebant. *Priſca exemplaria, atque adeo recentia,* Solebant dare quatuor. *quæ verba hoc poſſint dicere: Scaptius & Mutinius Bruti familiares, quo tẽpore fœnus cum prouincialibus interdictũ erat lege Gabinia: freti gratia Bruti, qua plurimũ ille poterat; quaq; ijs Senatus conſulta, quotiẽs eſſet cõmodum impetraret: dare pecuniam ſolebãt, quatuor cẽteſimis; cum ſibi Senatus Conſulto cautum eſſet, vt dare poſſent: eoq; facilius dare ſolebant, quòd qui pecuniam acciperent, ijs de impetrando S. C. minime laborandum eſſet. Ergo Salaminij, in illo rerum ſuorum articulo conſtituti, cum omnem ſibi aditum præcluſum, lege illa viderent pecuniæ faciendæ: etſi grauis erat condicio quæ offerebatur, tamen quatuor acceperunt.*

Vt ea ſyngrapha eſſet &c. *Plura hic deeſſe puto, quam videntur. Nam vt ex hoc loco, ita contaminato, reliquaque epiſtola conijcitur*

Nam *Senatus Conſultũ, duo capita continebat: vnum vt ius ex ea ſyngrapha diceretur: alterum, vt eodem iure eſſet, quo ceteræ. Quæ duo partim conciſa ſunt, partim in mendo obſcurata. Neque tamen hoc poſterius Scaptius & Matinius in S. C. impetrando quærebant: ſed tantum vt ex ea ſyngrapha in prouincia ius diceretur: propterea quòd in lege Gabinia, non modo illud eſſet, Né ue pecuniã Romæ quis prouincialibus daret, né ue illi acciperent: ſed etiam hoc: ſin data fuiſſet, de ea ſyngrapha ius ne diceretur. Itaque cum prius S. C. quod erat vt dare poſſent, parum ſibi prodeſſe intelligerent, niſi in prouincia ius dici ex ſyngrapha liceret: hoc ipſum quod voluerunt impetrarunt a Senatu: vt ius diceretur ex ea, quæ alioqui quaternas habebat centeſimas: quod non voluerunt, vt eodem quo ceteræ eſſet iure, imprudentibus fortaſſe inuitis certe illis adſcriptum eſt. Quod additum fuiſſe videtur, Vel ad fœneratorũ cupiditatem retundendam, vel ad Edicta Pretorũ in ſuis prouincijs ſeruanda, quorum Senatui ratio habenda fuit; ne quid is aliter Romæ decreuiſſe videretur; quàm in ſuis prouincijs illi edixiſſent. Quare, alterum caput, fœneratorum commodis ſeruiebat, alterum Proconſulum exiſtimationi. Cicero ergo inſpecto S. C. ius dicere de ſyngrapha illa non recuſabat: ſed cum ita edixiſſet, ſe*

*in ſua prouincia atque imperio, de his pecunijs ius eſſe dicturum, quæ vſura centeſima, cum anatociſmi anniuerſario hoc eſt ſingulorum annorum renouatione ductæ eſſent: ius de illa dicere, quę quaternas centeſimas haberet, non poterat. præſertim cum non modo nullo S.C. impediretur, ſed etiam iuuaretur. Verum, vt ad prima redeam: veteres libri ſic habent.* Vt ex ea ſyngrapha eſſet, quam cæteræ eſſet vt eodem. *Quorum priore parte, caput illud contentum fuiſſe puto, quo cauebatur, vt ex ea ſyngrapha ius diceretur: poſteriori vero, quo ſyngrapha iubebatur, eodem eſſe iure quo cæteræ. quæ quibus verbis continerentur, ſine veterum librorum auxilio, aſſequi nemo poſſit.*

Illos putare talenta c c ſe debere. *Etiam vnis centeſimis, vt Salaminij volebant, ductis. Quod tamen non ita erat. Nam illi ſe* c v i *debere affirmabant: quæ ſumma ſubductis rationibus, conuenit. Hinc factum eſt, vt Scaptius primum clamauerit, non modo quaternis centeſimis, ſed etiam ea opinione, quam de centeſimo fœnore conceperat, fruſtratus: deinde rem ſit relinqui poſtulauerit.*

Vt in fano deponerent. *Faërni liber:* Et vt in fano. *In more autem poſitum fuit, vt pecuniæ fere omnium in Fanis deponerentur. id eo*

credo, quòd exiſtimarentur minus inſidiarum habituræ, quæ religionis præſidio munitæ eſſent. Itaque libro de legibus, Sacrum, ſacróue commendatum qui clepſerit rèpſeritque parricida eſto. Item, Sacrilego pœna eſt, neque ei ſoli qui ſacrum abſtulerit, ſed etiam ei qui ſacro commendatum; quod & nunc multis fit in fanis. Ad hanc conſuetudinem Plautum reſpexiſſe non dubito; cum Bacchidibus ſeruum Chyſalum fingit, hero, vt berili filio morem gereret, mentientem, ſe aurum quod ab Archimede, domini ſui iuſſu exegerat, predonum metu, in templo Dianæ depoſuiſſe. Verſus eius ij ſunt.

Plauti locus illuſtratus.

Nos ibi apud Theotimum omne aurũ depoſuimus
Qui illic ſacerdos eſt in Dianæ Epheſiæ.
H. Qui iſthic Theotimus eſt? C. Megabyzi filius.
Qui nunc in Epheſo eſt Epheſijs chariſſimus.
N. Næ ille Hercle mihi ſit multo tanto carior
Si me illhoc auro tanto circumduxerit.
C. Quin ipſa in æde Dianæ conditu'ſt: ibi
Demum publicitus ſeruant.

His tamen Cæſar ſcribit Pompeianos non peperciſſe. Ita enim libro primo Ciuilis belli. Arma imperantur, pecuniæ a municipijs exiguntur: & e fanis tolluntur. Herodianus etiam in Commodo, templum pacis commemorat de improuiſo incendio conſumptum, ingenti multorum iactura,

*qui eo ſuas diuitias congeſſerant.*

Cum dieculam dixerit. Duxerit *Manutius & Corradus. plane melius. Lucceius inquit, M. F. cum videat quotidie noua S.C. in fraudem creditorum fieri, ita vt cum antea liberæ & ſolutæ eſſent centeſimæ, eo nunc deuenerint, vt perpetuo fœnore ducantur: queritur apud me per litteras, rem deductum iri paulatim ad nouas tabulas: ita vt debitores ſoluere nihil velint. & veretur nequis ob id a creditoribus tumultus excitetur: cum C. Iulij tempore, in re multo leuiore, nimirum quòd dies ſoluendi, laxior paulo conſtituta fuerit tantum Reip. periculum creatum ſit, quantum antea nunquam.*

Poſthumiæ filiæ. *Placet quidem* Filio *vt emendat Manutius; ſed mallem* Pontidiæ *vt intelligatur filius.*

# LEONARDI MALAESPINAE,

## SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Atticum,

### EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

### Argumentum libri VI.

*QVI has M. Tullij epiſtolas in libros diſtribuit, is mihi videtur, libri alius initium hinc maxime feciſſe, quòd hæ alijs Conſulibus, quàm ſuperioris libri ſcriptæ fuerint: nempe L. Aemilio Paullo: C. Claudio Marcello: què Suetonius Marci Marcelli patruellè facit: Dio, ſobrinum: vel, ex aliorum opinione, fratrem. Hic igitur liber, certum argumentum nullum habet, quod ad Remp. pertineat. Nam bellũ Parthicum, cuius hic mentio fit, in metu potius, quàm re ipſa fuit: cum anno ſuperiore, qui ab illo cœpto quartus fuit, finem acceperit. De rebus vrbanis, quòd odioſa quædam ſe Cicero audiſſe ſcribit, tale fuit. Cæſar cum vereretur, ne ſe iniqui*

*ſui, prouincia atque exercitu ſpoliarent: ſicq́; cogeretur, ſi conſul fieri vellet, priuatus ac præſens petere: L. Paullum Conſulem, & C. Curionem Tribunum pl. antea ſuis actionibus aduerſantes, grandi mercede ſibi conciliauit: quorum opera factum eſt, vt retineret exercitum. Nam cum de illo remittendo referretur, Curio ita eſt aſſenſus, ſi reliqui quoque dimitterent: Pompeium notans, ſine dubio. Hoc anno Cicero de prouincia deceſſit* III *K. Sext. atque Idib. Oct. Athenis fuit, vnde poſtrema libri huius epiſtola data eſt. Reliqua ſunt priuata atque domeſtica: de Tullia Dolabellæ collocanda: & alijs rebus.*

## *IN EPIST. I.*

Fœnus & impendium recuſare. *Quidam vtilitatem & damnum interpretantur, nec qua id ratione dicant exponunt: certe enim vtrunque nomen, ad vſuras pertinet: idq́ue, quod vſus nomine, ad ſortem accedit, ſignificat: in eo inter ſe diſtant, quòd fœnus recipi poteſt, Impendium non niſi ſolui: vnde hoc damnum tantummodo, illud etiam emolumentum & lucrum valere, ſuſpicari poſſumus; ſicq́; vtilitatem atque damnum exponere. Nam & Fœnus, a fetu & quaſi a fetura quadam pecuniæ parientis atque creſcentis, dictũ fuiſſe, Varro auctor eſt, apud Gellium & Noniũ*

*Marcellum: vt vi atque natura nominis, emolumentum potius, quàm detrimentũ notetur: Vtrunque iacturam exponere, ſane frigidum nimis & ieiunum videtur, nec ſatis dignum, quod a Cicerone pro argute vrbaneq; dicto notaretur. Quid enim habeat vrbanitatis atque acuminis, ſi vt Fœnus & impendium, ita ſe dixiſſet fœnus & vſuram recuſare? Hoc enim valet Impendium. Itaque minus placet. quanquam nec illud certiſſimũ puto, cum ſola opinione nitatur. Sed in malis quid fiat? Impendium porro id eſſe quod diximus, Varro de ling. lat. duobus locis declarat, & ambobus, niſi fallor, mendoſis. quibus an aliquid opis attulerimus, docti iudicabunt. Primus eſt in fine* IIII *libri, ita ſcriptus. Diſpendium ideo, quòd in diſpendendo ſolet minus fieri. Compendium, quod cum compenditur, vna fit. a quo vſura, quòd in ſortem accedebat, Impendium appellatum: quæ cum accederet ad ſortem ex vſu, vſura dicta eſt. Hic ego,* appellatur *puto legendum, cum ex veſtigiis veterum librorum, in quibus ſcriptum inuenitur hoc modo* appellatuR. *tum ex ipſa ſententia, quæ certa erui non poteſt; niſi fortaſſe* Vſura *latino caſu pro vſu, quod non arbitror, libeat accipere. Nam ſtatim ſequitur, Quæ cum accederet ad ſortem &c. ad quam vſus accedere non poteſt: vſura, hoc eſt, fœnus, poteſt. Erit igitur ſenſus planus*

& perſpicuus: Vſuram videlicet Impendium eſſe dictam, quòd in ſortem accedat. Qua in ſignificatione item Cicero in Bruto, elegantiſſime vſurpauit ad illud Heſiodium reſpiciens, quo iubemur beneficium cumulate & cum vſura ſi poſſimus remunerari, ſic ſcribens. Seremus aliquid tanquam in inculto & derelicto ſolo, quod ita diligenter colemus, vt impendijs etiam augere poſſimus largitatem tui muneris. &c. hoc eſt, cumulo, & quaſi vſuris. Alter locus Varronis, vbi de Impendio ſcribi diximus, eſt in libro v. ſed ita male affectus, vt ad eius intelligentiam peruenire, niſi a ſuperiori adduceremur, prorſus ἀδύνατον eſſet. Videant eruditi. Ita eſt enim excuſus. Ad hoc pecunia, quæ in fœnore; ſors eſt, Impendium, quòd inter ſe iungat. Vbi fortaſſe. quòd in ſortem: vel, Quòd ſorti ſe iungat. Sed & Diſpendium & Compendium, vt his quoque lucem afferamus, a Pendo, vt Impendo, declinata ſunt. Et diſpendium quidem, eo damnum ſignificat, quòd diſpendendo, hoc eſt, multis pendendo & quaſi expenſum referendo, res minor fiat. Contra, Compendium damnum, quòd cum compenditur, quaſiq; diſſipatæ partes congregantur, vnum res fit, & augetur. Diſpendendi verbo, Voluſius Mutianus vtitur, in Libello de Aſſe, cum ait. Ponderis eadem diuiſio eſt, quæ æris.

Locus Varronis emẽtus.

*Nam in quas partis res diuiditur, in has & libra diſpenditur.*

Atque hoc tempore ipſo. *Inuenio* Atqui. *& puto verius. Neque enim addere ad ea quæ iam dixit, vult: ſed diuerſum atque crediderit ſignificare. Exiſtimaui inquit, eam pecuniam Scaptij ac Matij eſſe, non Bruti: atqui nunc ex eius litteris, didici, eſſe ipſius; remq; illam ſuo periculo eſſe. Eſt enim Atqui, coniunctio diſcretiua.*

Igitur meo decreto, ſoluta res Scaptio: quam decretum ſit, tu iudicabis. *Octauij Pantagathi liber,* Soluta re Scaptio. *quod ad ſententiam, nihil intereſt: niſi quòd eam coniunctiorem facit: Maffei autem* Quod decretum ſit. *vt ex his duobus libris, ſcriptura ita concinnari poſſit. Igitur meo decreto ſoluta re Scaptio ſtatim, quod decretum ſit, tu iudicabis: illa ſententia. Tu me Attice vis Bruto morem gerere: ſit ita vt vis: mos geratur: ſed tamen cum eo, quòd ſine peccato meo fiat, quod & te arbitror velle. Ergo te ipſum rogo; ne ad Catonem quidem prouocabo. Quid? ſi decreuero vti res Scaptio, quaternis ſtatim, vt Brutus contendit ſoluatur: hoc meum decretum quale tibi videbitur? expers'ne culpæ atque peccati? Dicendi forma etiam animaduertenda. Soluta re Scaptio: pro eo quod eſt: ſatisfactum ſolutione. Plautus in Aulularia. Vbi*

*nugiuendis*

*nugiuendis res ſoluta eſt omnibus. Itaque & in Aſin.*

*Verũ iſtuc argentũ tamen mihi ſi uis denumerare Repromittã, iſtoc nomine ſolutam rem futuram.*

οὔκ, ἔλαθες illud de geſtu &c. *Emendo* οὐκ ἔλαθέ σε. *Nam* λανθάνω *illud græcũ non arbitror.*

Alteras a Laodicea. *Antonianus,* Laodicea *ſine A. plane vſitatius. Nam A pindeniſſo capto, poſt captum Pindeniſſum exponere poſſumus, vt tempus ſimul & locus ſignificetur. Sane Roma, quàm a Roma, malim dicere, niſi forte intelligã ex agro Romano, & vrbi propinquis locis. qua de re ſupra, vt ſpero copioſe diſſeruimus.*

Semper amantem me. *Plerique meorum* Mei, *Vtrunque recte adhibetur. Nam ſupra. Homo peramãs noſtri ſemper fuit. Cum eſt enim participium, ſui verbi ſequitur conſtructionem; cum verbale nomen, caſum quoque verbalium ad ſe trahit: vnde & Amantior comparatiui gradus, & Amantiſſimus ſuperlatiui.* Mei *placet magis.*

Amorem erga me, cum reliqua hereditate creuiſſe. *Qui cernere hereditate, dici poſſe putarunt, ij, mihi videntur exiſtimaſſe, Creuiſſe, a Creſco, non a Cerno declinatum fuiſſe. Quo in errore, magni quoque nominis virũ fuiſſe video; qui in librum de verborum ſignificatione, aliquem dixerit hereditate creuiſſe. Et fortaſſe, Creſcere*

*hereditate, vt augeri, locutio eſt non improbanda: ſed ea per multum diſtat ab hac noſtra. Sane cerum eſt, Cerno, verbum actiuum eſſe, atque ideo in accuſatiuum ferri: vt qui Cernere hereditate dixerit, ſolœciſmum faciat. Quòd ſiquis opponat, Cernere armis; huic reſpondemus, mutatam eſſe notionem verbi valereq́; Dimicare atque Contendere; atque idcirco neutrum eſſe factum, non ſecus atque Creſco. Quanquam Varro in Gerunto didaſcalo, vt eſt apud Nonium, Vitam cernere dixit, his verbis. Ter ſub armis malim vitam cernere, quàm ſemel modo parere. vt ſuſpicari poſſimus plenam locutionem eſſe, Armis vitam cernere. Verum hac de re libro* XIII *copioſius.*

Næ tu me ſolicitudine magna liberaris. *Non ſum neſcius, quantum is offenſionis ſubeat apud nonnullos, qui hodie a Cõmuni, vt illi aiunt, vſu, paulum modo declinet. Exiſtimatur enim nouarum rerum potius, quàm veritatis, quam illi in vſu ponunt, ſtudioſior. Et iuſta propemodum illorum indignatio ac reprehenſio eſſet, ſi vſum modo illi, non abuſum ſæpe ſequerentur: vt in hac voce Næ: quam nullus fere hodie, non diphthongo ſcribit, auctore valla. In quo decipi eos, cum veterum exemplarium lectio docet, tum vetuſtorum primæq́; notæ grammaticorum*

*pręcepta planum faciunt, de hac ipſa voce, litterarum memoriæ mādata: quos ego ſi ſequor, nihil eſt cur vſum aliquis tanti faciat, vt me reprehendat. Ergo ne longius faciam; nego ante Vallæ tempora apud Latinos, Næ, diphthongo ſcriptum inueniri. Donatus quidem in illo Terentij,*

*Faciunt, ne intelligendo, vt nihil intelligant.*

*Hæc ad verbum. Ne quidam corripiunt, & cum interrogatione pronuntiant: quidam producunt: quorum alij Ne, pro Non accipiunt: alij Ne pro Valde. Vt Ne ego homo ſum infelix: & hoc melius. Nec plura Donatus: de diphthongo aliquid profectò, vt ſuo loco, dicturus, ſi Næ more Græcorum ſcriberetur. Nunc diſcriminis nihil conſtituit, ſiue illud Non, ſiue Valdę valeret, niſi alterum corripi, alterum produci. Afferrem, quæ a Priſciano, quę a Seruio, quæ a Diomede traduntur, niſi ea illi omnia a Soſipatro, totidem pæne verbis accepiſſent: vt huius vnius ſententia allata, omnium illorum quaſi conſenſionem propoſuiſſe videar. Ergo ea, libro Inſtitutionum grammaticalium ſecundo, huiuſmodi eſt. Ne, acuto accentu, imperatiua: vt, Ne fac. quotiens vero graui accentu, pro eo quod eſt apud Græcos ἵνα μὴ accipitur, optatiua recipit: vt apud Horatium. Ne facias quod Numidius. Nonnunquam autem, etiam ſi acuto accentu*

*efferatur, optatiua quoque recipit. Vt, Ne facias, Ne ſcribas. Sed intereſt inter hoc & illud, quod diximus Ne fac, quòd hic imperamus, ſuperius ſuadem⁹. Recipit quoque id ipſum, acuto accentu elatum; finitiua, quotiens εἰρωνικῶς accipimus, pro eo quod eſt apud Græcos ναὶ, facta admiratione: quod eſt apud Ciceronem. Ne illi vehementer errant. Quotiens vero rei dubiæ, & quaſi conditionali aptatur, recipit & ſubſtantiua, eodem accentu elatum; vt apud Ciceronem. Ne tu Eruci accuſator eſſes ridiculus: Quo in loco, tam etſi, Næ illi, & Næ tu, recentes impreſſi habent, vides tamen Soſipatrum de Ne latino ſic loqui, vt ei ναὶ græci notationem tribuat, ſcripturam non tribuat: neque eam omnem vſquequaque; ſed qua ironiam habet tantummodo cum admiratione. Nam præterea συγκατάθεσιν προηγουμένης ἐρωτήσεως καὶ βεβαίωσιν, hoc eſt; aſſenſionem antecedente interrogatione, & affirmationem ſignificat: cuiuſmodi frequens eſt apud Platonem: pro noſtro Ita, Ita eſt: Sane: Immo: Etiam: ac generis eiuſdem: quo in genere, Ne noſtrum recipi vix arbitror: admirationem tamen habet, modo cum ironia, vt Soſipater ait; modo, quod non ait, ſine ea: vt in illo Terentij in Andria.*

*Dij boni, Ne huiuſmodi iam nobis ciuium magna penuria eſt. Vbi ironia nulla eſt, admiratio eſt,*

*ſicut in illo Homeri Iliad. α.*

Ναὶ δὴ ταῦτά γε πάντα γέρον κατὰ μοῖραν ἔειπες.

*Quo loco Neſtorem Agamemnon, nullo cum ioco, aut ironia, ſed plane ſerio alloquitur. Quare, Ne, cum* ναὶ *ſignificat, admirationem quidem continere, affirmare poſſumus, modo cum ironia, modo, nec minus ſæpe, veram: & , vt quod mihi venit in mentem dicam, eandem vim habere poſſe, quam vt in illo Virgilij.*

*Vt perij vt me malus abſtulit horror.*

*Et item aduerbiorum, Sane, Profecto, Quàm pro Quantum. Neque negamus tamen, euenire non nunquam, vt Ne, Valde interpretari poſſimus: vt in illo eiuſdem Ciceronis ad hunc ipſum Atticum lib.* VIII *epiſtola* IX. *Sed quid hæc nunc? vtinam aliquid profectum eſſet: nego iſtas litteras in concione recitari velim: Sed non ita tamen, vt non etiam Quàm optantis aduerbium: & Hercule iurantis: & profecto affirmantis, locum habere poſſint. Certe in verſu Terentiano, niſi me iudicium fallit, animus acquieſcit magis, cum audit, Faciunt profecto intelligendo, &c. quàm cum, Faciunt valde intelligendo. Verum ego non tanti facio opinionem meam, quin huius arbitrium rei, libenter alijs concedam. Illud addam, Ne, ſæpe vim non tam*

*admirantis, quàm iurantis ſimul & mirantis.*
*Plautus in Perſa. – Dorpale*
*Homo lepidiſſime, ſalue plurimum: locus hic tuus eſt*
*Hic accumbe: ferte aquam pedibus: preben' tu puere?*
*Dorp. Ne ſi me vno digito attigeris, te ad terram affligam ſcelus.*
*Et in Caſina. Stal. – Etiam ne eſtas?*
*Enimuero πρᾶγματά μοι παρέχεις: Olymp.*
*Dabo ναὶ κακὸν, vt ego opinor niſi mihi reſiſtis ὄζειν. Hæc de ſcriptura, viq; vocis huius. Sed quoniam cœpimus, aliquid etiam quaſi cumulum, de vſu eius addamus: Nam ſunt qui putent neceſſario pronomen huic particulæ ſociari: veluti, Ne ego, Ne tu, Ne ille. Et eſt ſane frequentior & concinnior ratio dicendi, vt, Ne ego homo ſum infelix: Et, Ne iſte haud mecum ſentit. Et apud Plautum in Milite. Ne ille ſunt fortunatæ, quæ cum iſto cubant. quæ ratio Ciceroni placuit: ſed non vulgo tamen ſeruata eſt, præſertim apud Poetas. Catullus ad Aurelium.*
*Nunc ipſum id doleo, quòd eſurire*
*Ne meus puer eſt ſitire diſcet.*
*Plautus item in Moſtellaria*
*Scap. Pulchra mulier, nuda erit quàm purpurata pulchrior*

*Poſtea nequidquam ornata eſt bene, ſi morata eſt male.*

*Pulchrum ornatum, turpes mores peius cœno collinunt.*

*Nam, ne ſi pulchra eſt, nimis ornata eſt.*

*Quale eſt etiam illud Terentianum, Faciunt ne intelligendo. Vnde hanc noſtræ orationis ſummam habere poſſumus: vtroque modo recte quidem dici, ſed adiuncto pronomine vſitatius, lepidius, venuſtius, efficacius. Et quod ad Næ attinet, Cum ſcripturæ huius ante Vallam verbum nemo fecerit: in nullis ſcriptum ſic libris inueniatur: latiorq́; τοῦ ναὶ, quàm næ ab illo excogitati, ſignificatio ſit: Ad hæc, latinum Ne, idem plane ſit, quod Νὴ græcum, ſiue ſcriptum ſpectes, ſiue ſententiam: dubitandum eſſe non arbitror, quin recipiatur, verumq́ue exiſtimetur. Et tamen, ſi cui diſtinctionis cauſſa, Næ arridet, non valde laborabo: dum illud teneat, nouum id eſſe, & priſcos Romanos in loquendo, hac ipſa exquiſita diligentia non eguiſſe.*

In Pompeio te ſpem &c. *Duo noſtri*, In Pompeium. *Et mox,* illud diſsimulantem, *& rectū arbitror. Non enim video, quo modo appoſitum* diſsimulantem *cum* Pompeio *conueniat, quod caſu omnino conſentire debet. Nec eſt, quod*

*quenquam perturbet, quòd, In Pompeium ſcripſerit, accuſandi caſu : cum , Eſſe in poteſtatem alibi dixerit , vt notat Gellius : &, In poſteritatem , vt animaduertit Priſcianus . & in vulgatis libris Philippicarum . Qui etiam ſine ijs clariſſimis viris , hanc rem in Ciliciam ad hoſtium Cydni, confeciſſet : pro in Cilicia. Sed res eſt manifeſta .*

Quid de me autem ? *Manuſcripti* Quid me. *Eſt autem vel Eclipſis præpoſitionis , vel caſus Enallage . Idem in Verrem . Quid illo myopa rone factum eſt ? Vbi Priſcianus : Illo , pro Illi . ſic Terentius. Quid illo faciamus? pro Illi. In illo tamen quod eſt in Andria. Nec quid me faciam ſcio, Quid de me , exponit . Diomedes quoque : Quid me futurum eſt . Veteres (inquit) mihi . Plaut. in Bacch. Quid mihi fiet poſtea? Qui item à pronomine diſcedens in eadem fabula : Tantas (inquit) diuitias habet , Neſcit quid faciat auro. pro, de auro .*

Equitum ∞ ∞. *Manuſcripti* Eq. ∞ ∞. *quod quanquam idem valet, non placet tamen ab antiqua ſcribendi ratione , recedi. Et ne caſu factum exiſtimes , etiam editio Victoriana , in hoc conſentit .*

Si illa iam habent. *Verborum honorem ſcilicet, et inuitationem crebram. Vſitatum eſt enim,*

*vt relatiuum pronomen, ſequentia referat & dicenda. Et omnino eadem hic ſignificat, quæ ſuperius dixit. Habeo in delitijs, obſequor, verbis laudo, orno: vt his contenti, de grauiori fænore non laborent. Intelligimus tamen hæc ideo publicanis fuiſſe gratiſſima, quòd ad ſolutionem accolerent.*

Aain' tu? Scipio hic Metellus &c. *Locus valde obſcurus, & de quo conſtitui nihil poſſit, quod non incidat in aliquam difficultatem. Nos attingere illum auſi ſumus, quòd in vetuſtis libris veſtigia quædam deprehendimus, quæ ad ipſam nos, non auſim dicere veritatem; ſed certe viam, qua eo perueniatur, deducant. Ea vero ſunt in libro Faërni huiuſmodi: quòd vbi, paulo poſt legitur:* In illa autem quæ eſt. *in eo ſcriptum eſt,* In illa item quæ eſt. *quæ lectio, præter hiſtoriā, magno mihi argumento eſt, ibi, Atqui nihil habuit ſcriptum, niſi Cenſor: Conſul, eſſe legendum. Locus autem oportunus errori fuit, propter ſimilitudinem ſcripturæ; qua decepti librarij libro item.* XVI, *Epiſt.* XII, *Conſulibus contra pro Cenſoribus fecerunt; vt ibidem à Corrado probatur ex hiſtoria. Quam porro vim habeat* Item, *neminem puto latere. Cenſorem non fuiſſe, congruit cum hiſtoria. Cōſtat enim ex Dione, Scipionem hunc Metellum, qui à Q. Cæcilio Metello Pio adoptatus eſt, Scipionis Naſicæ fuiſſe naturalem filium: ita*

*vt auum habuerit, Scipionem Naſicam eum, qui Conſul fuit cum L. Calpurnio Beſtia, Anno* V.C. DCXLII. *Proauum, P. Scipionem Serapionem: qui Conſul quidem fuit, Cenſor non fuit: quod Scipionem Metellum ignoraſſe, & vehementer miratur, Cicero & irridet. Ignoraſſe autem ſe declarauit Scipio, tum ex ſermone quem habuit cum Attico, in quo forſan Ciceronem apud eum reprehendebat, quaſi in ſuis libris negaſſet Cenſorem fuiſſe: tum ex duabus ipſius Serapionis ſtatuis, altera ad Op's, altera ad Polucis poſita, hoc intelligere potuerit: in quarum neutra Cenſor, in vtraque Conſul tantum ſcriptum legatur; cum omitti decus illud nec debuerit nec ſoleret. tum denique quòd Africani ſtatuam Cenſoriam, in Serapionis inſcriptione poſuerit, ac ſi ipſe quoq; Serapio Cenſor fuiſſet: nihilq; referret, vtrum Africani imago, Serapionis inſcriptioni imponeretur, an huius in Africani. Quæ inſcitia Ciceroni eò turpior viſa eſt, quòd animaduertere potuerit, poſt Naſicæ conſulatum, non modo Naſicam ipſum, Cenſorem factum non fuiſſe, ſed ne Cornelium quidem aliquem, illo viuente. Atque hæc & ſcriptura & expoſitio, & hiſtoriæ conſentanea eſt; a qua recedunt illi, qui vel Africanum proauum Metelli fuiſſe credunt: vel Serapionem putantes, contra hiſtoriæ fidem, Cen-*

ſorem fuiſſe *emendant : & vim orationi non affert: quæ ſine dubio adhibetur, ſi verba illa, Atqui nihil aliud habuit inſcriptum &c.* alio detorqueantur, *quàm ad proauum Metelli Scipionis, quo de loqui cæptum eſt, quem Serapionem fuiſſe, planum eſt, ac perſpicuum.* Atqui *enim aduerſatiua particula, id affirmare ſolet, quod negatum ſit : id tollere, quod affirmatum. Affirmatur autem Serapionem Naſicam Cenſorem fuiſſe; negatur ergo fuiſſe, quod inſcriptum imagines ipſius, ſolum haberent Conſul. Rem puto eſſe manifeſtam, & doctis niſi fallor, probatam. Nam qui verba illa, Atqui nihil habuit aliud inſcriptum, niſi, Cenſor &c. ad Africanum referunt; ij primum mihi videntur, quæ vis eſſet huius coniunctionis, non curaſſe : deinde illud ſolum probare, Africanum, Cenſorem fuiſſe, quod non negaſſet Scipio Metellus : Serapionem, non fuiſſe, quod demonſtrandum fuit, ne attigiſſe quidem.*

Ain tu? *Ordo ille eſt. De ſtatua Africani, ain' tu? Scipio hic Metellus &c. quæ in medio ſunt, parentheſis nota concludi debent. Interruptus vero ordo ab eo eſt, quòd incipiens animaduertiſſet* ἀνοικονομίαν *ſuam. quam tamen excuſat eo nomine, quòd ipſam imitaretur Atticum, eius conſilio delectatus. Ain' tu? vero, valet, Quid ais? eſt q;*

*dicendi ratio, vel admirantis, vt hoc loco; vel familiariter caſtigantis, vt ſupra. Ain' tandem Attice, laudator integritatis & elegantiæ? vel etiam indignantis: atque iraſcantis. Plautus in Aſin. Ain' tu? apud amicam munus adoleſcentuli fungare? vxori excuſes te, & dicas ſenem? Quæ ſunt pronuntiatione adiuuanda. Græci* τίδαι, *vt ex Ciceronis ipſius interpretatione diſcimus; qui locum illum Platonis in Gor.* Π, ἀρχέλαον δὴ πυ τοῦτον, τὸν περδίκκου ὁρᾶς ἄρχοντα μακεδονίας; Σ. εἰ δὲ μή, ἀλλ' ἀκούω γε. Π. εὐδαίμων οὖν σοι δοκεῖ εἶναι, ἢ ἄθλιος; Σ. οὐκ οἶδα, ὦ πῶλε. οὐ γάρ πω συγγέγονα τῷ ἀνδρί. Π. τί δέ; συγγενόμενος ἂν γνοίης, ἄλλως δὲ αὐτόθεν οὐ γινώσκεις ὅτι εὐδαιμονεῖ; *Quę ſic Cicero. Cum eſſet ex Socrate quæſitum, Archelaum Perdiccæ filium qui tum fortunatiſſimus haberetur, non'ne beatum putaret, haud ſcio inquit. Nunquam enim cum eo locutus ſum. Ain' tu? An aliter id ſcire non potes?*

Quæ ad opis aperte poſita eſt. *Libri veteres, ad vnum omnes,* Per te. *nec puto ſpernendum. Nam & Aperte friget, & Attici opera, antiquitatis totius peritiſſimi, hiſce in rebus multi vſi ſunt. Nam ſupra libro* IIII *de Pompeio loquẽs, Tibi (inquit) etiam gratias agebat, quòd ſigna cõponenda ſuſcepiſſes. Et ipſemet Cicero, pueris ipſius eſt vſus, in bibliothecæ conſtructione.*

In turma inauratarum Equeſtrium. *Hic, Turma, non certum equitum numerum deſignat, decuriarum trium, totidemq; decurionum, ſed turbam ac multitudinem quamcunque, varijs temporibus, ſigillatimq; a multis poſitum. ita vt & pauciores, & plures poſſent eſſe. Id planum facit, quod eſt in* II. *de Oratore ab eodem ſic ſcriptum. Cum Scipio ille maior, Corinthijs ſtatuam pollicentibus, in loco, vbi aliorum eſſent Imperatorum; turmales dixit diſplicere.*

In Serapionis ſubſcriptione, Africani imaginem &c. *Intelligo in ſtatua quæ Serapionis fuiſſet, caput Africani impoſitum. Solebant enim hoc veteres facere. idq; Varro innuit, de Ling. lat. lib.* VIII, *hiſce verbis: Nam vt in Alexandri ſtatua, ſi impoſueris caput Philippi, membra conuenient ad rationem &c. Neque id ſolum, ſed ſtatuas etiam emere, quas ſui nominis inſcriptione ſignarent: quod ſe Cicero odiſſe, infra ita ſcribens ſignificat. Equidem valde Athenas ipſas amo. Volo eſſe aliquod monumentum. Odi falſas inſcriptiones ſtatuarum alienarum.*

Et de ſolutione XXDC. *Noſtri* H-S XXDC.

Iterum tibi reſcribo. *Poggij liber, item Maffei duo*, Iterum iam tibi *non otioſe. habet enim emphaſim illud Iam.*

Quem iampridem nunquam videt. *Supra*

*lib.v. negat ſe Cicero puellam vnquam vidiſſe. Ergo vt repugnantia tollatur, quæ eſt in verbo Iampridem, ita legendum puto,* Quem quidem nunquam vidit. *Et ſane* Vidit *&* *Poggij liber habet, & aliquot alij. Omitto, quàm parum inter ſe conueniant, Iampridem & Nunquã. Hanc eſſe Atticã ſeu Cæciliã puto, quæ deinde M. Agrippe tradita, Agrippinã illam genuit, quæ nupſit Tiberio Cæſari. Ita enim tranquillus in eodem Tiberio. Agrippinam M. Agrippa genitã, neptem Pomponij Attici, Equitis Romani, ad quem ſunt Ciceronis epiſtolæ, duxit vxorem.*

Litteras daturum. *Victoriana editio.* Daturus. *Vbi tametſi dem, locum eſſe ex epiſtola Attici, & neutram improbari lectionem poſſe: rectus tamen aptior mihi ad communem ſenſum, quàm accuſatiuus videtur; præſertim cum manuſcriptorum adiungatur auctoritas. Neque tamen ignoro, &, Litteram daturum dies Prid. etc. &, Litterarum datarum Prid. inueniri: ſed cum nihilo melius, erimus contenti Victoriana. Mos vero fuit, vt quo die abirent magiſtratu, eo die de ſuis actis in concione vt loquerentur. Hoc Ciceroni interdictum a Metello Tribuno pl. fuit: iurandi modo poteſtas facta eſt. Quod item Bibulo contigit, in gratiam Cæſaris prohibente Clodio, tum Tribuno pl. de qua re, lib.* XXXVIII.

ſic Dio. οὗτος οὖν ὁ κλώδιος ἐπεσόμισε μὲν καὶ τὸν Βίβουλον, ἐσελθόντα τε ἐς τὴν ἀγορὰν ἐπ' ἐξόδῳ τῆς ἀρχῆς, καὶ διανοούμενον μετὰ τῆς τοῦ ὅρκου πιστώσεως, καὶ περὶ τῶν παρόντων δημηγορῆσαι. *Clariſſimum vero ſuum iuſiurandum appellat Cicero, quod non patrium & conſuetum, ſed priuatum quoddam & nouum fuiſſet, nempe, ſe patriam & Imperium conſeruaſſe. quod & populus uniuerſus etiã iurauit. Plutarchus auctor eſt & ipſemet Cicero alibi. Itaq; nõ ſine cauſa, magnum ſe prateſtatum eo die fuiſſe gloriatur.*

Paria paribus reſpondemus. *Noſtri ferme,* Reſpondimus. *& videtur ſententiæ appoſitus.*

Quibus omnibus eſt. *Faërni liber, Antonianus.* In quibus. *vnus,* quibus omnibus ineſt.

In merito reædificando. *Antonianus, & Car. mei.* in ventorem ædificando, *Faërni* in metore *alij* in merito: *cũcti ſine ſenſu. Manutij coniectura, incerta quidẽ illa, ſed nõ abhorrẽs a vero, q̃* in Marathone *reſtituit, et* Poſsidonij, *pro* Pompeij. *Merito. n. ſibi videri potuit de liberalitate Cæſaris polliceri poſſe, cui præceptor fuerit.*

Si Curio legem pertulerit. *Suſpicor legem aliquam ſumptuariam, intelligi, a Curione latam, tum Tribuno pl. Is enim, vt Dio ſcribit in extremo lib.* XL. *multas rogationes tulerat iniquas contra Senatũ atq; viros principes, amicos Põpeij: nõ*

*quòd eas aut putaret aut vellet perlatum iri, ſed vt repudiatis, occaſionem ipſe arriperet, tranſcundi ad Cæſarē, cui occulte ad illud tēpus ſtuduerat.*

H-S centena pendat. *Antonianus.* centenos. *Illa mihi grauior multa, quàm pro delicto vt detur: hæc leuior: & tamen huic magis faueo. Hinc etiam illud falſum deprehenditur, quod quidam affirmant, Seſtertium non inueniri apud M. Tullium.*

Quæ res ad uindullam. *Malim*, Quod res *aut* quia res.

Die ſeptingenteſimo &c. *Cognoſci ex his poteſt, quantum voluptatis Ciceroni, mors Clodij attulerit; cum vel poſt duos atque his amplius annos, memoria tamen eius facti, ita in viſceribus hæreret, vt dies prope ſingulos numerare, recordationeq́; & cōmemoratione lætari videretur.*

## IN EPIST. II.

Accessit altera *Placet* Alterum. *vt ad genus referatur: niſi intelligamus*, Cauſſa, *ad ſenſum potius reſpicientes, quàm ad verba. Sed et Victoriana editio, habet* Alterum.

Quæ magiſtratus ſui fecerant. *Veteres libri pæne omnes.* Vi fecerant, *cum quibus etiam faciunt Victoriani. Et me hercule habent ſenſum non incommodum: ſed ego vulgatam ſequor; &*

*quod*

*quòd furta per vim non ſoleant fieri: & Sui dictum videtur, ne de Romanis magiſtratibus dici putetur. Eſt quidem ſolæcophanes in verbis, ſed vſurpatum non raro probatis ſcriptoribus. Teren. in Hecyra. Mater quòd ſuaſit ſua, adoleſcens mulier fecit: mirandum ne id eſt? Donatus, ſua notauit dictum pro eius.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Et poſtea creberrime non deſtiti rogare. *Faërni liber*, creberrimis litteris. *quod probo, vt litteræ opponantur præſentiæ. Tres alij, Lorgij, videlicet, Poggij, Maffei,* creberrimis, *ſine* litteris, *vnde forſan* creberrime *factum ſit, ab ijs, qui non cogitarent* litteris *poſſe a lectore ſuppleri, abeſſeq; etiã cũ gratia. Quod ſi ita eſt,* Litteris *in libro Faërni, gloſſema fuerit, quod ſuſpicor.*

Nunc iſta habet iuris idem, quod ceteræ. *Quid? non'ne quaternas habebat? habebat vtique: ſed in illo S. C. quo Scaptio cauebatur, præter illud caput, vt ius diceretur ex illa ſyngrapha, alterum inerat in gratiam Prætoris, Ne quid illa præter ceteras haberet præcipui, ſed itidem vt reliquæ, edicto ipſius eſſet obnoxia: ne quis fortaſſe calumniaretur ex primo capite; Prætori, quo modo ius diceret præſcribi. Id etiam ex eo loco elici poteſt, qui eſt in extrema epiſtola libri quinti: de quo & nos ibidem, vt videmur, abunde.*

Laudator integritatis & elegãtiæ noſtræ.

*In libro Poggij & duobus Maffei Noſtræ nõ eſt: verius meo iudicio, vt Atticum dicat Cicero lau datorem* γενικῶς *integritatis & elegantiæ, non ſuæ tantum.*

At hoc ſtatueramus. *Extra vnũ Maffei, reliqui mei omnes,* Alias *pro* At. *Sed ego cum illo vno ſum: & tamen non contemno ceteros.*

Nimis inquam in iſto &c. Nimis, *iterandum puto. Nam illud pro Sextio, Vos inquam Equites R. & omnes boni, veſte mutata, vos inquã pro meo capite, ad pedes Lenonis impuriſſimi proieciſtis: ſimile non arbitror: quod* inquam *prius, ex vetuſtis libris abundet: Nec item illud in vltima epiſt. lib.* v. *Corruerat alter, & plane inquam iacebat. Nam iſodinamon fere verbo* iacebat, Corruerat *prius eſt dictum.*

Neſcio quid ſit, ſed Pammenia &c. *Coniunctio* Sed, *vim habet illam, vt aduentum Cœlij probaturus fuerit Cicero, niſi fuiſſent Pammenia. Verũ cum Pammenis negotiũ, quod forſitan ad tutelã pertinebat, ad Cœlij cogitationes nil pertineret: vt locus integer ſit, ſane vereor. Sed & illa, Neſcio quid ſit, languidiora ſunt, & metũ ſignificantia, vbi deberẽt deſideriũ. Nam de relinquendo qui prouinciæ præeſſet, ualde angebatur Cicero; cumq; Meſciniũ non probaret, & fratrem nollet relinquere, cupiebat Cœliũ venire: quod etiã infra*

*tertia ab hac epiſtola, præſefert, cum ſic ſcribit. Relinquendus erat ex S. C. qui præeſſet. Nihil minus probari poterat, quàm Quæſtor Meſcinius. nam de Cœlio, nihil audiebamus. Et item epiſtola, Nunc quidem. Niſi Cœlius Quæſtor venerit: de quo adhuc nihil certi habebamus. Quæ etiam videntur cum his pugnare, Cœlium Quæſtorem venire audiſti: quæ ſenſum illum habent, Puto te audiſſe. Quare, ne longius faciam, ita totus hic locus forſitan emendari poteſt. C. Cœlium Quæſtorem, huc venire audiſti neſcio quid ſcilicet? verba ex epiſtola Attici, huc transferens ſcilicet, qui ſe neſcio quid inaudiſſe de Cœlii profectione ſcripſerat. Deinde vt ſolet fieri in anguſtijs temporis, ſtatim ad alia tranſit* λακωνικῶς. *Pammenia illa mihi non placent. Notum eſt autem vtriuſque vocis*, ſed *inquam* & Scilicet, *ſcripturam, quo modo librarij non vetuſtiſſimi effingebant, non magnopere differentem fuiſſe, cum vtraque vnico S, formaretur: ſed altera geminato puncto ad fixo, altera vtrinque vnico. hoc pacto ſ: aut ſʒ & .ſ.*

Ex epiſtola Corcyrea. *veteres libri*, Ex epiſtola tua Corcyrea.

*IN EPIST. III.*

Πολλὰ δ᾽ ἐγὼ μεταυγμίων νότος κυλίνδει κύμα-

*τ' ὄυρειος ἅλος. Κύματ' ὄυρειὸς ἅλὸς, plerique veterum non habent : non quia non ſint apud Homerum, ſed ſolet Cicero Attico ſcribens, homini ſcilicet, totius antiquitatis perito, & in Græcorum litteris diu multumq; verſato : ſiquid viſum fuerit ex his in ſuum vſum depromere, inchoatum fere adducere : vt Hercule ſuſpectum mihi ſit, ſicubi integrum inueniatur.*

Fratrem ; aut diligentiæ &c. *In meis omnibus ſine diſcrepantia, poſt* fratrem, *verbum* relinquere *inuenitur : ita vt bis poſitum, vtrunque membrum claudat, hoc modo. Fratrem relinquere : aut diligentiæ, nugarum aliquid relinquere?* ἐμφατικώτερον. *Illud adhuc explicare non potui, quid Soſipater, quid reliqui grãmatici ſibi voluerint, cum Nugas aptoton eſſe tradiderunt, cum hic Cicero Nugarum, in* II *de Diuin. delectari magis dixerit, & alibi aliter.*

Toto negotio nobis opus non fuit. *Id eſt. Toto hoc negotio carere nos oportuit, nullamq; prouinciæ huius partẽ attingere. Locutio animaduertenda. ſic infra lib.* XIII, *epiſtola, quæ incipit, Epiſtolam ad Cæſarem : eodem modo locutus eſt. Totis igitur litteris, nihil opus fuit. quod eſt: prorſus ſcribendum non fuit.*

M. Scaptium. *Conſentiunt noſtri aliquot, cũ Manutianis libris,* Mæniumq; *ſcriptum habent.*

Quod non modo rectũ puto, ſed miror etiam ſincerũ ad nos perueniſſe, nec vbiq; Marcum eſſe factũ, ſeculi imperitia. De hoc prænomine Diomedes. M. inquit, nota prænominis, cum ſola ſcripta, Marcũ ſignificat: & adiecta ad extremã lineã virgula, Maniũ. Sed & Feſtus Pomp. Multi Manij Ariciæ: Prouerbiũ. Nã Manius agrũ nemoréſem Dianæ cõſecrauit, à quo multi clari viri orti ſunt, & per multos annos fuerunt. Vide prouerbium.

Non tuo M. Lenio. *Manuſcripti non nulli, in his Antonianus,* Lænio, *diphthongo ſcilicet. Videndum an recte.*

Fuit Laodiceæ cum gladiatoribus. *In nullo meorum inuenitur* Cum: *non vt id velim e vulgatis extrudi, ſed vt intelligamus, poſſe etiam abeſſe: & Hortenſiumq;, gladiatorum ludis, turpiter ac flagitioſe interfuiſſe, non cum gladiatoribus eſſe verſatum.*

Ne quid offendam quem minime uolo. *Patrem Hortenſium. Is tamen mortuus eſt, cum Cicero e Cilicia Romã rediret, L. Aemilio Paullo, C. Claudio Marcello Coſ. vt ipſemet ſcribit, in Bruto, & Procemio libri de claris Oratoribus.*

Si nihil fuerit, vel per tuum tabellarium. *Fortaſſe,* ſi nullus *pro,* ſi nihil, *legi poſſit: aut,* Vel *ante* Si *reuocandum eſt, hoc modo. Litteras mitte quamprimum vel ſi nihil fuerit, per*

*tuum tabellarium : illo ordine, Litteras mitte per tuum tabellarium ; etiam ſi nihil fuerit, quã quam in iјs quos adhuc vidimus, vel impreſſos vel ſcriptos,* Fieri *legitur, non* Fuerit.

## IN EPIST. V.

Et puellæ ſalutem articulate dices. *Articulatim, ſolet Cicero dicere. Quidam* Accurate. *Ego* Atticulæ ὑποκοριστικῶς, *vt Tulliola, Tertulla. Articulate mihi non ſatis placet. Scilicet, curandum Ciceroni fuit, vt articulate ſalus diceretur.*

## IN EPIST. VI.

Qui de Ti. Nerone. *Quædam exemplaria habent T. quod valet Tito. Sed Ti. hoc eſt, Tiberio, ſine controuerſia, probandum eſt. Hic Nero ille fuit, cui Liuia nupſit, Auguſto deinde conceſſa, cum etiam prægnans eſſet: ſed tamen antea, Tiberium enixa, illum qui Auguſto, malo fato Populi R. ſucceſſit.*

Comitate adoleſcentis. *Si id verum eſt, quod a Dione traditur, hunc Cornelium Dolabellam, cum Conſul eſt factus, annorum* xxv *fuiſſe neceſſe eſt, cum Tulliam duxit, admodum iuuenem fuiſſe. Nam a Conſulatu L. Paulli & C. Marcelli, quo tempore ſcripta eſt hæc epiſtola, ad ne-*

*cem Cæſaris, cum Conſulatum init, ſeptem fere anni numerantur.*

Aut etiam inquirerem in eum &c. *Vulgata, vt interpungitur & exponitur a Manutio, abunde mihi ſatisfacit: indicanda tamen eſt, quæ in vetuſtis libris, & quidem pleriſque inuenitur. Ea eſt autem,* Vt etiam inquireret: *ſenſu non alieno. Ego inquit, ſorte datum non relinquerem? anſamq; ei darem, vlciſcendi mei cauſſa, in illum etiam vt inquireret, quem reliquiſſem? Atque illud ſimul animaduerte, liberum Prætori fuiſſe, etiam ſorte, datum, reſpuendi.*

## IN EPIST. VII.

Sed currentem. *Hæc mihi videntur commodius ad Q. filium, quàm ad patrem poſſe referri, ſiue ſententiam expectemus, ſiue dicendi rationem. Nam de voluntate pueri, ex tertia libri huius epiſtola, ſatis conſtat: de patris animo, non item. Ad hæc, Reconciliauit animum patris ſui, currentem, quis dixerit? At hortari currentem vſitatũ, & trãſlatio ſequens eſt. Græci* σπεύδοντα ὀτρύνειν. *quod Cicero modo Hortari, modo Incitare, vertit. Quare,* Currentem, *&* Animum, *interpunctio ſeparanda ſunt.*

Eum valdæ tuæ litteræ. *Melius in vetuſtis.* Eum valde etiam tuæ litteræ. *vt ſit, Ad meã hortationẽ, ad eam quam ille ſponte ſua uoluntatẽ*

*tuum tabellarium* : *illo ordine*, *Litteras mitte per tuum tabellarium* ; *etiam ſi nihil fuerit*, *quãquam in ijs quos adhuc vidimus*, *vel impreſſos vel ſcriptos*, Fieri *legitur*, *non* Fuerit.

## IN EPIST. V.

ET puellæ ſalutem articulate dices. *Articulatim*, *ſolet Cicero dicere*. *Quidam* Accurate. *Ego* Atticulæ ὑποκοριστικῶς, *vt Tulliola*, *Tertulla*. *Articulate mihi non ſatis placet*. *Scilicet*, *curandum Ciceroni fuit*, *vt articulate ſalus diceretur*.

## IN EPIST. VI.

QVI de Ti. Nerone. *Quædam exemplaria habent T. quod valet Tito. Sed Ti. hoc eſt*, *Tiberio* ; *ſine controuerſia*, *probandum eſt*. *Hic Nero ille fuit*, *cui Liuia nupſit*, *Auguſto deinde conceſſa*, *cum etiam prægnans eſſet* : *ſed tamen antea*, *Tiberium enixa*, *illum qui Auguſto*, *malo fato Populi R. ſucceſſit*.

Comitate adoleſcentis. *Si id verum eſt*, *quod a Dione traditur*, *hunc Cornelium Dolabellam*, *cum Conſul eſt factus*, *annorum* X X V *fuiſſe neceſſe eſt*, *cum Tulliam duxit*, *admodum iuuenem fuiſſe*. *Nam a Conſulatu L. Paulli & C. Marcelli*, *quo tempore ſcripta eſt hæc epiſtola*, *ad ne-*

*cem Cæſaris, cum Conſulatum inijt, ſeptem fere anni numerantur.*

Aut etiam inquirerem in eum &c. *Vulgata, vt interpungitur & exponitur a Manutio, abunde mihi ſatisfacit: indicanda tamen eſt, quæ in vetuſtis libris, & quidem pleriſque inuenitur. Ea eſt autem,* Vt etiam inquireret: *ſenſu non alieno. Ego inquit, ſorte datum non relinquerem? anſamq́; ei darem, vlciſcendi mei cauſſa, in illum etiam vt inquireret, quem reliquiſſem? Atque illud ſimul animaduerte, liberum Prætori fuiſſe, etiam ſorte, datum, reſpuendi.*

IN EPIST. VII.

SED currentem. *Hæc mihi videntur commodius ad Q. filium, quàm ad patrem poſſe referri, ſiue ſententiam expectemus, ſiue dicendi rationem. Nam de voluntate pueri, ex tertia libri huius epiſtola, ſatis conſtat: de patris animo, non item. Ad hæc, Reconciliauit animum patris ſui, currentem, quis dixerit? At hortari currentem vſitatū, & trāſlatio ſequens eſt. Græci σπεύδοντα ὀτρύνειν. quod Cicero modo Hortari, modo Incitare, vertit. Quare,* Currentem, & Animum, *interpunctio ſeparanda ſunt.*

Eum valdæ tuæ litteræ. *Melius in vetuſtis.* Eum valde etiam tuæ litteræ. *vt ſit, Ad meā hortationē, ad eam quam ille ſponte ſua uoluntatē*

*habebat, tuæ etiam litteræ accedentes, ſiue ad ipſum, ſiue ad patrem miſſæ, verum ab illo apertę, valde puerum excitarunt.*

Bis ad te ante ſcripſi. *Veterę s libri,* Bis ad te antea. *melius.*

Sed uolo ijs magiſtratibus. *Quid porro vult Cicero? Num Rhodum puerorum cauſa? Id enim verbi illius repetitio ſignificare videtur: An, quamprimum Athenas? At, quid ei proſit vel Rhodum, vel Athenas, illis magiſtratibus veniſſe? Antonianus, Faërni, Car. mei.* Sed plane uolo, *ſignificantius quidem, ſed nodum non ſoluunt. Itaq; mihi veniebat in mentem ſuſpicari, non abeſſe mendum: poſſeq; forſitan* Feſtinare, *ex,* Plane fieri, *a ſcriptura quidem licentius, ſed non prorſus aliene: a ſententia porro ita appoſite, vt ferenda videatur, durior commutatio.*

Aegrum Eſeæ reliquiſſem. *Quatuor mei nec* Eſeæ, *nec quicquã habent eius loco. Nos tamen quia exiſtimamus, in eis, loci nomen deeſſe, nec fortuito in tot alijs libris remanſiſſe; tantiſper dũ melius inueniamus, Manutij coniecturam ſequemur.*

## IN EPIST. VIII.

CASSIVM Tribunum, Lentulum Coſs. *In noſtris,* Caſsium Tribunum pl.

L. Tarquinio. *Poggij & Ant. liber.* L. Tar-

quitio. *quod ideo placet, quia raros inuenio poſt exactos reges, Tarquinios Romæ, ſed nec in Latio fuiſſe. Ita enim inuiſum hoc, populo Romano, non modo genus, ſed nomen etiam fuit, vt L. Tarquinius Collatinus, qui primus poſt eiectum ſuperbũ, Conſul cum L. Bruto, a populo creatus eſt: poſtea, vel ob hoc ipſum in primis, quod Tarquinius diceretur, non modo Conſulatu ſe abdicare, ſed vrbe etiam cedere coactus fuerit. Liuius auctor eſt, itẽ Plutarchus in Poplicola: L. Piſo apud Gellium lib.* XV. *Et quanuis hiſtoria ab alijs, paullo diuerſius tradatur, ea tamen ſumma eſt, vertendum vt Tarquinio ſolum fuerit, rebus ſuis omnibus Lauinum tranſlatis.*

## IN EPIST. IX.

A Turanio. *Manuſcripti,* A Turannio.

Referatur ne. *Noſtri, tum manuſcripti, tum impreſſi,* Referantur. *vt puto melius. Solebant enim Aediles, tabulas ſignaq; & alia ornamenta a ciuitatibus atque hoſpitibus, mutuo accipere, ad magnificentiam ornatumq; ludorum, quæ poſtea dominis referenda curarent. Quidam tamen, vt fit, per ſimulationem Aedilitatis accepta, domum deinde atque in hortos ſuos auertentes, reſtituere negligebant: id quod etiam Cicero in Verre reprehendit, in actione de ſignis: Huic quaſi*

*latrocinio, Cenſores prouidere volentes, ſuis reſtitui iuſſerunt. Itaque Cicero, num referantur, quęrit. De hac ipſa re M. Cælius ad Ciceronem, ita ſcribit. Scis Appium Cenſorem hic oſtenta facere de ſignis & tabulis: de agri modo, de ære alieno acerrime agere. Cenſores ad Senatum referrent, nec ne, non habeo compertum.*

In arce Athenis ſtatio mea nunc placet. *Achilles Statius amicus meus, atque in omni iudicio elegantiſſimus, quia in proximis editionibus,* macte *erat impreſſum, exiſtimauit* in Acte *legi poſſe; quòd ora illa in qua Athenæ erant, quia magna ex parte littoralis eſſet, non modo Attica, ſed etiam Acte dicta fuerit: In acte Athenis autem, eo iure a Cicerone dictum, quo a Plauto non ſemel Athenis atticis, cum vnæ eſſent Athenæ: delectatum vero illum hac ipſa voce, inde manifeſtum eſſe, quòd in Verrem, cum antea In littore dixiſſet, poſtea In acta placuit dicere. Locus eſt notiſſimus. Animaduerſio ingenioſa eſt: veruntamen libri veteres,* In arce *retinent. Nam quòd in quibuſdam* marce *reperitur, intelligi poteſt, ſcriptorum vitio accidiſſe. In arce igitur, rectum ſi eſt, arcem exiſtimare poſſumus, vrbis eius partem fuiſſe, in qua eſſet Ariſti domus, ad quem M. Tullius* v. *Tuſculana, ſcribit ſe diuertiſſe: quanquam in ea nō Ariſtum, quod rectum erat,*

*ſed Ariſtonem legitur. Sic enim ibi. Nam iſta mihi, & cum Antiocho ſæpe, & cum Ariſtone nuper, cum Athenis Imperator apud eum diuerſarer, diſſenſio fuit. Fuit item in arce Mineruæ templum, de quo in Bacch. Plautus. Illa autem in arcem abijt, ædem viſere Mineruæ. Nec eſt, cum in arce audimus, cur aliquis eo, animo currat, vt locum à Cicerone credat, illum, vt munitiorem, tutioremq; delectum, quaſi non ſatis eſſent Athenæ, atque adeo abeſſe: ſed ſenſum eſſe illum, In tanto impendentium malorum, timore, placeret mihi ſi tamdium liceret abeſſe. Athenis vbi nunc ſum morari, loco a periculo, remoto atque diſiunƈto, quemadmodum alibi eadē re perturbatus. Quam vellem inquit (videbis fortaſſe) etiam num eſſe in pouincia. In arce porro addidit, vt ſe, Atticus intelligeret apud Ariſtum eſſe, cuius domicilium credere poſſumus, Pomponio notum fuiſſe, quaq; in parte vrbis eſſet exploratum.*

# LEONARDI MALAESPINAE,

## SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Atticum,

## EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

### Argumentum libri VII.

CONTINENTES *ſunt libri huius epiſtolæ, cum ſuperioribus, vt hæc ipſa prima illa eſſe videatur, quam proxima ſuperiore, po ſtero die ſe daturum promiſerat. Scriptæ porro ſunt partim ex itinere, dum ex prouincia redit: partim ex fuga, quam, audito Cæſare aduentare, cum Conſulibus totoq; Senatu, exe-cutus eſt. Nam cum ad vrbẽ Prid. Non. Ianuarij acceſſiſſet, ibidemq; ſpe triumphi, quem ſibi frequens Senatus, vt ipſemet ſcribit ad Tironem efflagitabat, moratur:* XIII *K. Febr. nuntio illo, vt diximus, accepto, coactus eſt exire, atque eam cogitationem omittere. Et enim, cum in ſententiam Scipionis S. C. factum eſſet, vt ante certam*

*diem Cæſar exercitum dimitteret: ſi non faceret, eum aduerſus Remp. facturum videri: eiq́; S.C. M. Antonius, Q. Caſſius Tribunus pl. interceſſiſſent: de interceſſione relatum, acerbiſſimeq́; decretum fuiſſet; illi, vrbe cedentes, ad Cæſarem ſe, qui tum erat Rauennę, contuliſſent: Cæſar, iis maxime auctoribus traiecto Rubicone, Ariminum, quod erat extra prouinciam illius, cum veniſſet: tantus pauor repente vrbem inuaſit, vt paſſim fuga turpiſſima facta ſit. Continent autem Epiſtolæ priores, a prima vſque ad decimam, quæ incipit, Subito conſilium cepi. hæſitationem, ſolicitudinemq́; Ciceronis animi, quo nam modo, cum Cæſare Pompeioq́; ſe gereret, cum vtrique eſſet amicus, & illum vterque, ſuum annumeraret: poſteriores vſque ad finem libri, cum multa alia, tum querelam de Pompeio: tum ſine ratione geſta eſſe omnia ab illo atque geri: accuſationem Cæſaris impudentiæ: legationem L. Cæſaris ad Pompeiũ & Conſules, C. Cæſaris nomine: & quæ illi ad hæc reſponderint. Reliqua priuata ſunt. Scriptæ porro ſunt illæ, L. Paullo, C. Marcello Coſ. Illud etiam ſciendum, abfuiſſe Ciceronem annum & menſes circiter octo. Profectus eſt enim in prouinciam, ineunte Maio, Ser. Sulpicio, M. Marcello Coſ. in eaq́; & in itinere L. Paulli, & C. Marcelli Conſulatu conſumpto, ad vrbem fuit Prid.*

*Non. Ian. Conſulatum L. Lentulo, & C. Marcello ineuntibus.*

IN EPIST. I.

Cohorruiſſe autem, quod &c. *Noſtri his amplius.* Me, *nempe*, Cohorruiſſe autem me, quod &c. *Sed hæc cum ἀνακεφαλαίωσις quædam ſit ſuperioris epiſtolæ, quando in illa ſcriptum eſt, Cohorrui? Tum nimirum, cum eſt additum, Quæſo, quid nobis futurum eſt? Ea enim ex horrore dicta ſunt.*

Nec cum Pompeio ſentienti. *Non abeſt mendi ſuſpicio. Nam cum tota diſputatio eo ſpectet, vt cauſſam oſtendat initæ cum vtroque amicitiæ, quidq; vtilitatis ex ea re caperet; hic tamen de vno Pompeio loquitur. Arbitror cogitandum, num ita melius; & plane duco melius.* Nec cum Cæſare ſentienti, pugnandum eſſe cum Pompeio, *illo ſenſu. Si me Pompeio adiungerem, cogitabam fore, vt nunquam in Remp. peccarem, propterea quòd ille in eam bene animatus videretur: ſi ſentirem cum Cæſare, vt mihi cum Pompeio nunquam eſſet pugnandum, tanta erat illorum inter ipſos voluntatum atque animorum coniunctio. Hic propriorum nominum tantum, traiectio quædam fit: quo in genere, a librarijs non raro peccatur. Sentire autem hic cum aliquo, non, Eundem ſenſum habere in Rep. valet, ſed amicũ*

*eſſe:cui contrarium eſt, Ab aliquo diſſentire, atq; animo diſiungi. Si fructus indicare, quos ex vnius amicitia Pompeij perciperet, voluiſſet: non* ταυτολογία *illa vſus fuiſſet; cum idem plane ſit, Iunctum eſſe cum Pompeio, &, Cum Pompeio ſentire. Satis enim erat dicere, Nec mihi iuncto cum Pompeio, fore neceſſe peccare aliquando in Rep. nec pugnandũ eſſe cum Cæſare. At vtilitatẽ voluit ſignificare, quam priuatim ex vtroq; caperet.*

Dic Marce Tulli. *Totum hunc locum, ita ſcribendum, atque ita interpungendum puto. Dic Marce Tulli. Quid dicam? Expecta amabo te, dum Atticum conueniam? Non eſt locus ad tergiuerſandum. Contra Cæſarem, vbi ſunt illæ denſæ dexteræ? Quorũ ſenſus ille ſit. Cum rogabor ſententiam, dicam ne vt me expectent, dum te conſulam? Nugæ. Non enim erit locus ad tergiuerſandum. ſtatim enim cogar dicere, quid ſentiam. Dicam igitur contra Cæſarem, ne abſentis ratio habeatur, cui dexteram dederim, fidemq; meam obſtrinxerim? Non poſſum. Nam vt ei liceret, adiuui rogatus ab ipſo Rauennæ: ab ipſo autem? etiã a Cneo noſtro in illo diuino conſulatu. Aliter ſenſero; et cũ non poſſim tacitus prĉterire, nec dicere contra Cæſarẽ, pro Cæſare locutus fuero:* αἰδέωμαι *nõ ſolũ Põpeiũ, ſed reliquos etiã ciues, teq; ipſũ in primis laudatorẽ factorũ et ſcriptorũ meorũ.*

Si omnes decreuiſſet triumphos. *Veteres libri, ſine diſcrepantia,* Decreſſet. *κατὰ συγκοπήν. neque in hoc loco tantummodo, ſed vbique fere, vbi huiuſmodi præterita inueniuntur. Sic etiam Terentius, Ecyra. Qui illum decrerunt dignum, ſuos cui liberos committerent. Sed hæc ratio perpetuum non eſt: nam paulo poſt, Decreuiſſe legitur. Cicero quidem, quanuis vtranque viam probet, & plene & conciſe loquendi, libentius tamen dixerit, Audiſſe, Sciſſe, Salutaſſe, Cōprobaſſe, quàm Audiuiſſe, Sciuiſſe, Salutauiſſe, Comprobauiſſe. quod ex eius ipſius verbis cognoſci poteſt, quæ ſunt in Oratore huiuſmodi. Quid? quòd ſic loqui, Noſſe Iudicaſſe, vetant? Nouiſſe iubent, & Iudicauiſſe? Quaſi vero neſciamus in hoc genere, & plenum verbum recte dici, & imminutum vſitate. Itaque vtrunque Terentius. Eho tu: cognatum tuum non noras? Poſt idem. Stilphonem inquam noueras? ſiue plenum, ſiue imminutum, licet vtare vtroque. Hæc Cicero. Mollius tamen & magis tritum, contractum Quinctilianus iudicat, quàm ſolutum. Sed ego arbitror omnia ad aurium iudicium eſſe referenda.*

Sed tamen ſupplicationem. *In vetuſtis fere,* Sed tantum, *& placet.*

Quod acceſsit cura. *Fortaſſe* Quo. *pro Cuius cauſſa.*

Quemadmodum

Quemadmodum experiamur. *Placet vt ad Philotimum referantur, vt Corrado videtur: propterea quòd dixerit ſeſe expeditis rebus forenſibus, quas inter, de triumpho ſermonem poſuit, ad domeſtica velle deſcendere.*

Litteris ex Epiro & Athenis datis. *Victoriana editio,* Ex Epiro Athenas. *In meis* Athenis *legitur: ſed cum in nullo copula ſit, in eam ſententiam venio, vt* Athenas *rectum putem, vt ibidem Ciceronis aduentum operirentur. Quanquã & vulgata non improbanda. Nam Athenis fuiſſe tũ Atticus videri poteſt, cum πυρὲς εἰς δῆμον.*

## IN EPIST. II.

Hunc σπονδειάζοντα. *Genus carminis ſic vocatum, quòd in quinta regione ſpondeum haberet pro Dactylo. De eo, ſic Marius Victorinus in libro de verſu Heroico. Si vero verſus hexameter, ſex ſpondeis conſtiterit, erit ſpondiazon, metrum tamen dactylicum. Et paulo poſt. Minusq́; lenis eſt verſus, qui quinto loco, ſpondeum magis, quàm dactylum habuerit; & vocabitur ſpondiazon, veluti eſt illud,*

*Aut leuis ocreas lento ducunt argento.*

*Hunc igitur imprudens, vt fit, cum edidiſſet Cicero, idq́; poſtea animaduertiſſet, ioci occaſionem arripiens, tuum inquit, eſſe dicito, & τῶν νεοτέρων*

*alicui , qui iudicio eruditus non admodum ſit, vendito . De verſus vero ſinceritate nihil eſt quod dicam, cum æque in cunctis manuſcriptis, pro* Auſter Anches *legatur, voce mihi ignota. Adde quòd Auſter ab Epiro flare non ſolet, cum meridianus ſit.*

Alexidis manum amabam. *Noſtri ad vnũ omnes* Animum, *hoc ſenſu Animum eius amabam, quòd manum tuam, qua maxime delector, effingere ac reddere tantopere conabatur, licet nõ prorſus aſſequeretur: laudabam conatum ipſius, ſed manum non amabam: cauſſam continuo adiungit, Non amabam inquiens, propterea quòd indicabat te non valere. Nam ſi valuiſſes, tua manu ſcripſiſſes, nec alterius opera eſſes vſus. Ita quidem exponi poteſt, ſi* animum *legatur, vt eſt, in manuſcriptis. Sed mihi Manutij emendatio, abunde ſatisfacit.*

Cuius, quoniam iam mentio facta eſt. Iam *vt otioſum inducimus, auctore tamen vetuſto libro Poggij & Antoniano.*

Quam tu velles a me diligi. *In Antoniano, vera lectio eſt,* Velles ſe a me diligi: *quod pronomen ſi deſit, ambigua ſit oratio, de Attico ne amando, an Curio accipiẽda ſit. Hortatus enim Curium Atticus per litteras, vt ſuſpicor fuerat, vt amicitiam Ciceronis ſibi conciliaret. Qua re ſe*

*Cicero ait admodũ delectatum, quòd eam ob cauſſam intelligeret futurum, vt ille in curando Tirone eſſet diligentior.*

Et me Hercule eſt quem facile diligas &c. *Veteres libri* Quam, *ad vrbanitatem Curij ſcilicet, non ad ipſum Curium reſpicientes.*

Te ex libella, me ex teruncia &c. *Cum locus ex ingenio ita ſit ſcriptus (nam libri veteres, alius alio peior eſt) malim Teruncio legi, quæ vox eſt bonis auctoribus vſurpata, cum Teruncia, inueniatur nec ne, haud mihi ſane liqueat. Fuit autem Teruncius libellæ quarta pars, vt libræ ſiue Aßis, Quadrans, a tribus vncijs dictus: de quo, itemq; libella, ſic de lingua latina Marcus Varro: Nummi denarij decuma, libella: quòd libræ pondo As valebat. Et erat ex argento parua. Sembella, quòd ſit libræ dimidium, quòd ſemis aſſis. Teruncius, a tribus vncijs, quòd Sembellæ valet dimidium, & eſt quarta pars, ſicut Quadrans, Aſſis. Ergo, denario, ſi par eſt, vt quidam ſubducunt, plus minus, noſter Iulius (liceat mihi vti his nominibus, illuſtrandæ & quaſi euoluendæ, rei inuolutæ gratia) libellæ Baiocchus; Teruncio quadrãs æreus noſter, reſpondebit. Nec, vt quidam litterarum monimentis tradiderunt, argenteus fuit nummus Teruncius, ſed libella vt hodiæ Romæ*

*Baiocchus: de qua in Captiuis ſic Plautus.*

*At ob eã rẽ mihi libellã, pro eo, argẽti ne duis:*
*Gratis a me vt ſit liber abducito.*

*Quid ſibi Donatus voluerit, cum libellam fuiſſe ſcribit, vnciæ partem duodecimã, neſcio. Ita enim ſexcuplo fere maior erit, quàm illa Varronis, ſi modo Denarius vt Celſus, Largus, Pliniusq́; tradunt, vnciæ pars ſeptima fuit. Sic enim in Phormione. Aſsis libra erat, eiusq́; partes, vnciæ: rurſus vnciæ vnius duodecima pars, libella dicebatur. Ego tamen Varronem ſequor, auctorem haud ſane paulo meliorem. Quod ad ſententiam attinet, mihi nec Paulli expoſitio diſplicet, & Corradi opinionem, quòd improbem non habeo, ita habet vterque quod ſequatur. Et quanuis heres eſſe ex quarta parte, altero totum obtinente, nemo poſſit, locutioq́; ex Teruntio, ſingularis ſit, cum is, ad libræ partes nihil pertineat: fieri tamen poteſt; vt ſic Atticum Curius ex Aſſe heredem reliquerit, vt deinde quartam partem Ciceroni, vt Paullus ait, attribueret: & ex Teruncio ideo addiderit Cicero, quia ex libella dixerit, ne a tranſlatione recederet. Illud non probo, libræ quartam partem eſſe Terunciam, planeq́; idem quod quadrans. Et tamen quæ ex hac opinione ſequuntur incommoda, faciunt, ne Corradi expoſitionem reijciam: quę, ne ſim longior omitto.*

Bene conueniat inquit Carneades, ſpurce &c. *Nos hic, contra omnium exemplarium ſcripturam, (vnum excipio Maffei, minus licet quàm alia eius probatum) tamen vulgatam ſequimur,* Conueniatq́ *retinemus: exiſtimamusq́; Carneadem, verbo* συγγενέσθαι, *vſum eſſe, quod Ciceroni ſpurcum videretur. Etſi enim, Bene eueniat, bona proſperaq́; ominantis, ratio quædam eſt, qualis illa Ciceronis eiuſdem Philip. x i i. Proficiſcantur legati, optimis omnibus: locutioq́; ipſa cum primis latina ſit & probata: ægre tamen huic loco quadrat: vbi naturalis quædam hominum ad homines, ſed maxime parentū liberorumq́; coniunctio inter ipſos, Carneadis ſententia confirmatur. Ad hæc,* εὐτυχεῖν, εὐδαιμονεῖν, εὐπράττειν, *quæ bene euenire ſignificant, quid habent obſecro, ſpurci? (nam in re turpitudinem quidem ſuſpicari non poſſumus.) Habet tamen,* συγγενέσθαι, *quod verbum Carneadem vſurpaſſe, bona quidem mente putamus, ſed ad ſignificandum, parum caſtum: nec minus obſcœnum, quàm Coire noſtrum. Valet enim, non ſolum Conuenire, vt Cicero mihi tranſtuliſſe videtur: ſed etiam, corpus miſcere. Itaque concubitum huiuſcemodi, & complexum venereum ſignificaturus Ariſtoteles quod notauit Muretus: Academicam verecundiam ſecutus, quod erat alienius,* συνοικεῖν

*voluit dicere, quod erat proprium, συγγενέσθαι plane vitauit. Eius enim hæc ſunt in Categoria Habendi.* οὐδὲν γὰρ ἄλλο τῷ ἔχειν γυναῖκα σημαίνομεν, ἢ ὅτι συνοικεῖν. *Qua veteres latini vſi modeſtia, potius cum muliere fuiſſe, quod idem pæne valet, quod* συνοικεῖν, *quàm concubuiſſe, dicebant. Auctor Varro eſt, de lingua lat. lib.* v.

Sed tamen prudentius. *Lego* Pudentius, *non modo quia præcedit, ſpurce, ſed etiam quia turpius eſt in ſententia iudicioque, quàm in verbo peccare. Spurcus Carneades fuit, verbo vſus obſcæno: iis quid eſſe poteſt impudentius, qui cum omnia ad ſe referant, quidquam alterius cauſſa fieri putent? Quo id enim ore defendant? Pugnant enim inter ſe, cuncta ſua cauſſa facere, & aliorum commodorum habere rationem.*

Et Patron. *Faërni liber*, & Patro. *Recte. Nam Grammatici tradunt, Græca nomina in* ων, *vt* σίνων, δράκων, *& generis eiuſdem, latinos conſueiſſe, ablata* ν. *proferre; & more latinorum nominum o, finitorum, declinare: idq; Terentiũ vbique ſeruaſſe affirmant, vt in Antipho Antiphonis: Demipho, Demiphonis: leo leonis. Nam ſi Leon in recto dicatur, neceſſario aiunt in patrico, Leontis fieri, vt a Xenophon Xenophontis. Itaque Soſipater, cum Dracontem in Accij Philocteta inueniſſet, uenit inqt, a nominatiuo Dracō.*

Non intelligunt ſe. *Nos ex vetuſtis libris* Intelligant *emendamus, a Cõmuni illo Qui, quod cũ cauſſam ſignificat, ſubiungendi modũ, vt ſupra docuimus, ſibi ſolet aſciſcere. Nepos in Attici vita. Atticus, qui ciuitatẽ conſeruatam cuperet, pecuniã numerauit de ſuo. Quòd ſi cũ* Indicãdi *modo inueniatur aliquando, rarũ id eſt, vt illud ſupra lib.* v. *epiſt.* xx. *Epheſum vt venerim noſti: qui etiã mihi gratulatus es, illius diei celebritatem.*

Non extulerit. *Antonianus,* Extulit. *recte. nam ſequitur,* Habuit. *ita a modo in modũ, quod vitioſum eſt, tranſitus non fit. Quod ſcriptũ eſt ſupra, lib.* III. *Nuſquã facilius miſerrimã vitã vel ſuſtẽtabo, vel quod multo eſt melius abiecero: ſane poßũ teſtari* ſuſtẽtaro *ĩueniſſe me ĩ aliquot meis.*

Fuit maleuolus. *In noſtris* Maliuolus, *ſicut & in Petri Victorij, & omnino in omnibus libris antiquis, manuſcriptis. Qua ratione & beniuolus eſt ſcriptum.*

Dierum xx. *Hic mendi nihil eſt, tantũ ſcriptura commutata. Nam in manuſcriptis.* D. xx. *quæ ne cui minus nota ſcrupulum inij ceret, ab aliquo, vt ſuſpicor, dedita opera, explicata dilatataq́; eſt.*

Itaꝗ vſurpaui vetus illud Druſi &c. *Exiſtimamus Druſum, quos addixiſſet, hoc eſt, per ceſſionem domini, in iure vindicanti mancipaſſet,*

*eos ſolitum dicere, niſi eadem liberi iurarent: id eſt, niſi itidem vt antea patronis præſto eſſe, ſuiq; copiam facturos eſſe iurarent, liberos non putare: præſertim cum adeſſet nemo, a quo recte vindicarentur, ſed imaginaria quædam fiduciariaq; venditio eſſet, ad ſpeciem facta. Nam manumiſſio huiuſmodi, & in iure ceſſio, trium perſonarum preſentia fieri ſolebat: cedentis, hoc eſt, domini: Vindicantis id eſt, cui ceditur; & addicentis Prætoris. Porro autem, cum dixit,* Non eadem iuraret: *ad morem illum, dicendiq; rationem ſpectaſſe mihi videtur, iurandi bonam copiam. De qua ita M. Varro de ling. lat. lib.* VI. *Liber, qui ſuas operas in ſeruitute pro pecunia quam debeat dat, dum ſolueret, nexus vocatur: vt ab ære, obæratus. Hoc C. Popilio, rogante Sylla dictatore, ſublatum ne fieret: & omnes qui bonam copiam iurarent, ne eſſent nexi, diſſoluti. Erat autem iurare bonam copiam; ſui facultatem creditori, aut cuiuis alteri, ſed in primis patrono libertate donanti, quotiens eſſet illi commodum, iuramento promittere. Quod qui non præſtaret, hunc licet in libertatem vindicatum, Druſus liberum non putabat. Nam libertis, maiores, vt ait Cicero ad fratrem epiſtola prima, non multo ſecus ac ſeruis imperabant. Amplum enim ius in libertos patronis fuit;*

*de quo ſic Modeſtinus. Cum probatum ſit, contumelijs patronos a libertis eſſe violatos: vel, illata manu, atrocius eſſe pulſatos: aut etiam paupertate aut corporis valetudine laborantes, relictos: primum eos, in patronorum poteſtatem redigi, & miniſterium præbere dominis cogi: Sin autem, ne hoc modo admonerentur, a Præſide emptori addicantur, & pretium patronis tribuatur. Merito ergo Cicero, turpi illa Chryſippi fuga, affectus contumelia, vetus illud Druſi vſurpauit, ſane in libertum male animatus.*

## IN EPIST. III.

AD VIII Id. Decemb in Trebulanum veni. *Manuſcripti veteres, partim* Aeſculanum *aut* Aeculanum, *partim* Herculanum *habent, ſine præpoſitione, vt intelligamus oppidum ſignificari, non prædium aliquod, quale Trebulanum fuit, quod ſcriptum tamen, in nullis inuenitur, nec vetuſtis nec recentibus. Fuit autem Herculanum (nam Aeſculanum his in locis nullum inuenio) oppidum, haud procul Pompeijs, vbi Pompeianum Cicero habuit a Strabone* ἡρακλειον *vocatum græco nomine, ſed idem ſignificante: eodem incendio Veſuuij, quo & Pompeij, & Plinius ſecundus, abſumptum, Titi Veſpaſiani tempore. Auctor eſt Ioannes Xiphilinus, in Dionis Epito-*

me. Nec ſcripturam hanc conuellit, quòd his litteris, quas dicimus Herculani accepiſſe, in Trebulano reſpondit: cum Pompeiano inſpecto, in Trebulanum ſe Cicero transferre potuerit, vnde daret. Cum noſtris manuſcriptis, faciunt & Petri victorij.

Sic enim ſcito. *Faërni liber, ſcio. quod probo. Cur enim admonendus ſit Atticus, qui quo tempore Cicero peregrinatus eſt, atque in militia fuit, ipſe aut Romæ fuerit, aut propius abfuerit? qui etiam omnibus litteris a Cicerone rogaretur, vt pugnaret, ne ſibi prouincia prorogaretur, ac de rebus Vrbanis certior fieret?*

Vt in hoc ipſo. *Idem Faërni liber,* & in hoc ipſo? *Quod rectum videtur. Nam ex ſingulis vniuerſa concludere: vt quod in vno verum ſit, ſit etiam in omnibus, ſtultum eſt. Hoc igitur dicit. Etſi enim in belli diſcrimen incido, vt optandum mihi ſit, etiã nunc in prouincia manere, tamen videor in hoc ipſo meo facto, illud vſurpare poſſe, quod ad ſe conſolandũ adhibet vulgus: Quid ſi hoc melius? Eſt aũt quaſi prouerbiũ, quo vſus eſt ad Siliũ, lib. Epiſt. ad Memmium, hiſce verbis. Illa noſtra ſcilicet ceciderunt. Vtamur igitur vulgari conſolatione. Quid ſi hoc melius?*

Tibi aſſentior. *Veteres libri oẽs,* Aſſentio.

Vt nunc in vno ciue. *Hic quoque, libri ve-*

*teres* vniuerſi, in vno ciui. *Priſcianus quidem lib.*VII, *Nomina in vis ait, & fere oĩa in* is, *ablatiuũ facere tam in I, quã in E. vt Nauis, Naui et Naue: Auis Aui & Aue. Quin act. in Verr.* II. *vbi in vulgatis eſt, Quod Ciuis cũ ciue ageret, ipſe legit, Ciui. Id qđ etiã ante illũ Q. Palæmon tradit his verbis. Ablatiuos dicimus, ab eo qđ eſt Auis, ab Aue vel Aui. In cõmuni quoq; genere, Is in noĩatiuo, ablatiuũ in E mittit. niſi neutrũ genus ſit in E. vtputa, hic et hæc hoſtis, ab hoc hoſte, licet Ciuis, a Ciue vel Ciui faciat. Qđ vero dixit, niſi neutrũ genus ſit in E: id voluit intelligere, quod paulo ante tradidit, ea in I, ablatiuũ habere: qualia ſunt, hic et hæc Agilis: hic et hæc Facilis: quæ cũ neutrũ habeãt in E, in ablatiuo Agili et Facili declinant.*

Reſp. ad reſiſtendum imbecilla ſit: quæ mallem &c. *Manuſcripti mei, et quidem omnes,* Res ad reſiſtendum ſit. Imbecilla *prorſus non agnoſcunt, intruſum forſan ab ijs, qui vim locutionis, quæ ne nobis quidem ſatis explorata eſt, non aſſequerentur: qui etiã* Quæ mallem *pro* Qui mallem *facere coacti ſunt, contra vetuſtorum omnium fidem, argumento ſatis firmo locum ex ingenio atque induſtria perturbatum fuiſſe. Nos quidem, dum melius afferatur,* Res ſit, *laboretur, negotium ſit ac difficultas ad reſiſtendum, interpretamur: aut certe* Res *ſit,*

*momentum ſit; ſumma ſit: totum in eo poſita ſit: quo ſenſu Plautus Mercatore.*

*Paſic. - a muliere docta didici*
*Operam accuſari meam non ſinam. Lyſim. hem, iſthæc Hercle res eſt.* *Hoc eſt, in iſto omnia ſunt.* Qui *vero ad Pompeium refero: Nam & de ipſo & de Cæſare hic loquitur, conſulto ſuppreſſis nominibus. Vulgata & latina eſt, & ſententiæ congruens. vt niſi a manuſcriptis diſſentiat, plane quid in ea reprehendam nihil habeam. Verum hoc, plurimum debet valere.*

Τὸ σκάφος τῶν ἀτρειδῶν. *Paullo in meis aliter.* πῶ σκάφος τὸ τῶν ἀτρειδῶν.

Pompeio aſſentiar. *Noſtri omnes,* Aſſentior. *vt ſit recta reſponſio, roganti Conſuli. Eodem modo infra locutus eſt. Ad ſummam, dic M. Tulli. Aſſentior Cn. Pompeio. Et eſt efficacior.*

Omnes damnatos. *His maxime iudicijs, quæ a Cnæo conſtituta factaq; ſunt, in* III *Conſulatu.* Omnes ignominia affectos. *Appius Claudius hoc anno, Cenſor cum L. Piſone Cæſaris ſocero, Cæſari ipſi infenſus, Pompeio ſtudens, præter animi ſui ſententiam, Cæſari multum profuit. Multos enim Equites Senatoresq; cum notarit inuito collega, effecit vt ij omnes deinceps, Cæſarianas partes ſecuti ſint. Dio auctor eſt.*

Hic omnia facere omnis debet. Omnis,

*incuſandi caſum eſſe arbitror, pluralis numeri, vt* Decet, *vel quid eius generis ſuppleatur. Nam* Debet *quod quidam ad abſoluendam ſententiam addiderunt (in nullis enim antiquis inuenitur) iunctam cum* Omnis, *ſingularis numeri, prorſus nō accipio. Eſt autem Omnia facere, Conari, omni vi contendere, omnia experiri. Idem ad Lentulū. Quod de Q. fratris negotio ſcribis, te priore æſtate, quòd morbo impeditus in Ciliciam non tranſieris: conficere non potuiſſe: nunc autem omnia facturum, vt conficias.*

Iis ſe ſolis non inuidere. *Sic veteres libri: ſententia tamen a communi hominum ſenſu aliena eſt: nempe, ijs tantum viris Catonem non inuidere, quorum decus eo iam loci ſitum ſit, vt nihil ad ſummam gloriæ, aut certe parum addi poſſit. Quo quid eſſe poteſt abhorrentius? Hos enim vel maxime ſequitur inuidia. Quare, non parum mihi negatio ſuſpecta eſt: quæ ſi abſit, ſenſus ille ſit: Catonem ideo ſupplicationes Bibulo decreuiſſe, quia ille plurimum abeſſet a ſummo, nec vllum ſibi cum eo certamen gloriæ eſſet; Ciceroni non decreuiſſe, quòd illius magnitudini inuideret. Nec ignoro, manente etiam negatione, ſenſum tamen aliquem exculpi poſſe, nimirum, ijs ſolis Catonem non inuidere, quos ſciret, etiam ſi aliquo augerentur honore, non ea tamen indu-*

*ſtria eſſe præditos, vt dubitandum eſſet, ne nimiũ creſcerent, ſeq; maiores viderentur. Qui ſenſus eò dem pertineret, quo ſuperior, ſi dicendi ratio ſineret. Dicimus enim, nihil ijs ad dignitatem addi poſſe, qui rerum geſtarum gloria, altiſſimum iam fere gradum dignitatis teneant. Sed neque video, cur ampliſſima dierum* x x *ſupplicatio, cui etiam Cicero inuideret, non longe honeſtiorem hominem redderet. Sed, ſicui tamen ſenſus hic placeat, nec dicendi forma aliena videatur; ſane facile patiar, dum mens ſuſpiciones cognoſcant.*

Quod cuncti lucceis ſint addicti: *Veteres libri, partim* Eruci Lucceis, *partim*, Ei vici Luccei. *quæ vereor, ne certior ſit ſcriptura, vt Ei, Cœlio intelligendum ſit, cui vici Lucceij; Prætoris imperio addicti, æris alieni, aut alterius rei cauſſa, hoc eſt, adiudicati fuerint. Tam priuatæ rei hiſtoriam quærere, ſtultum eſt: ſed venale quippiam e ſuis bonis habuiſſe Lucceium, ex prima libri ſexti epiſtola intelligimus: in qua ita eſt. Bene me Hercule potuit Lucceius Tuſculanum. Vbi Manutius, Vendere. Erant autem Vici in Oppido ædificia, a uia dicti, quòd ex vtraque parte viæ eſſent, vt Varro ait: vnde penſionum fructus capiebantur. Itaque libro primo Cicero ad hunc ipſum. Quod ſi aſſequor; ſu-*

*pero Craſſum diuitijs, atque omnium vicos & prata contemno. Alij emendant* Lucellis. *quod probarem, niſi ſequeretur. Hoc te prætermiſiſſe miror: quod cum antecedentibus, niſi allata vi, iungi non poteſt. Quid enim miretur Cicero, cauſſam eſſe prætermiſſam, cur omnes Lucris addicti ſint? Mirari tamen non iniuria potuit, quòd cũ Vicos Lucceius amiſerit, nihil ad ſe Atticus ea de re ſcripſerit, potiusq́; ab alijs acceperit.*

Et id, quod animum induxerat &c. *Nõ ſatis video, quo modo per latinam dicendi rationem,* Quod *legi poſſit. Equidem malim* Quo.

Coimus in Piræum. *Terentiani libri typis excuſi, ad vnum omnes, in Piraeo, ſexto caſu: quam lectionem etiam Donatus agnoſcit, cum ita ſcribit. Coimus, Conſenſimus ac pepigimus, ne ſit ſolœciſmus, in Piraeo, pro In Piraeum. Quæ non eo pertinent, vt Ciceronis ſcripturam hic emendemus: ſed vt, erratum ſi ſit, memoriæ peccatum fuiſſe intelligamus. Nam illi ſatis fuit oſtendere, ſeſe ideo præpoſitionem oppido addidiſſe, quòd loci nomen crediderit, Terentij auctoritate deceptus. Verum, quod ad ſcripturam attinet huius vocis,* In Piræum *legitur in manuſcriptis omnibus, ſine E, nec ſecus in probatiſſimo illo Petri Bembi, Terentiano exemplari, vt mihi Faërnum narrare*

*memini: nempe in Piræo. Qui ex hoc Ciceronis loco, Piræeum in Terentio τετρασυλλάβως emendant, ij mihi videntur manuſcriptos libros, non ſatis conſuluiſſe: Nec tamen ignoro, in Piræeum, in Bacchidibus Plautum dixiſſe.*

*Ibo in Piræeum: viſam ecquæ aduenerit*
*In portum ex Epheſo nauis mercatoria.*

*Verum hoc non facit, ita vel in Cicerone, vel in Terentio ſcribendum ut ſit: ſed admonet vtroque modo, & in Piræeum vel in Piræeo: & in Piræum ac Piræo συνηρημένως ſcribi poſſe. Inflectitur enim πειραιεὺς, πειραιέως πειραιῶς. Sane Catullus, in nuptijs Pelei & Thetidos*

*Illa tempeſtate, ferox quo tempore Theſeus*
*Egreſſus curuis e littoribus Piræi.*

Quos aperuerimus. *Antonianus & reliqui pæne omnes, cum libris Petri victorij*, Aperietimus. *vt in præteritis intelligamus, ab Aperio, & Aperui & Aperij declinari.*

Ipſis enim expenſum nemo offeret. *Victoriana Editio* Feret, *Antonianus, Faërni, & Carmei*, Ferret: *niſi fallor, & ad dicendi rationem, & ad ſententiam melius. Fuit autem Lapſus procliuis, antecedente O vocali. Porro ſenſus hic videtur. Qui omnes cogitant aut certe ſperant, reũ me facere; irati quidem quòd reiecti a me fuerint: ſed multo magis ægeſtate. Ita enim ære alieno oppreſſi*

*preſſi ſunt, vt ipſis expẽſum nemo ferat, aut quidquam credat: vt mei accuſandi cauſſa, non tam indignatio futura ſit, quàm fames: quam nos detegentes, generos habere noluimus. Offeret, ne probem, multa faciunt, quæ nunc omittimus.*

## *IN EPIST. IIII.*

IN hoc iudicio & officio ſermonis. *Præter Antonianum exemplar,* Iudicio *reliquorum meorum nullum habet. Nec videtur otioſum. Referri enim poteſt ad illa, Ne in Senatum accederem, vt officium, ad ſuſcipere partis meas.*

Ante lucem veniſſe. *Emendamus* Venire, *ad priſcorum fere omnium fidem et veriorem ſententiam. Vtitur enim coniectura Pompeius, alienati ab ſe Cæſaris, quòd Hirtius, qui eſſet Cæſari familiariſſimus, Romam ab illo veniens, ad ſe non adiſſet; neque Balbi reſponſa, qui poſtridie ante lucem, ne hominem moraretur properantem, rem omnem ad Scipionem referre conſtituerat, nõ expectaſſet: ſed de multa nocte diſceſſiſſet. Venire autem de re aliqua, locutio eſt peruulgata, ſed pulcherrima: qua idem Cicero alibi ſic vſus eſt. Primo Punico bello Regulus captus, cum de captiuis cõmutandis Romam miſſus eſſet &c.*

## *IN EPIST. V.*

NON enim boni vt putaui. *Veteres libri,*

*& Editio Victorij* vt putant.

Quid ad te ſcribam. *Faërni liber, Poggij, Romanus, atque Maffei vnus* Quod. *recte. qua ratione item, initio ſequentis epiſtolæ duco legendum, & ex antiquis libris, nempe Antoniano, Maffei, & ex ipſa latini vi ſermonis, de qua primo libro copioſe diſputauimus.*

Et quodammodo mihi præter ceteros. *Sententia poſtulat* At. *Per magnum inquit malum eſt Reip. ſi dicam idem quod Pompeius, ſed ille de me ita eſt meritas, vt mihi præter ceteros non liceat diſſentire tantis de rebus.*

## IN EPIST. VII.

ILLVD priuatius non adſcribis. *Non eodem modo manuſcripti Lolgij & Poggij libri;* Putato: *Maffei tres & Antonianus,* Puto: *vnus Faërni,* Priuato: *qui neſcio an melius, pro eo quod eſt Priuatim: cuiuſmodi aduerbia occurrunt non ſane pauca. Nec arbitror eſſe, quod quenquam offendat. Tu inquit Dionyſium ſcribis litteras tibi reddidiſſe: eo non deſcendis vt dicas, Et tibi gratias agit.* Puto *mihi ſecundo loco eſt; non vt dubitet Cicero an adſcripſerit, ſed dicat non aſcripſiſſe, quodam cum lepore, ſed tamen in ſtomacho, cuiuſmodi vim habent, ſi Dis placet: ſcilicet, & id genus: quæ ad ornatum ani-*

*miq; affectum declarandum faciant, ad ſententiam non item.* Putato, *prorſus non placet. Eſt enim conciſius ac frigidius, quam ferat conſuetudo ratioq; dicendi.*

Et labieni diuitiæ, & Mamurræ placeat. *Vterque valde ditatus. Nam & ille in Piceno Cingulum condidit: & de hoc ſic Catullus.*

*Quis hoc poteſt videre, quis poteſt pati?*
*Niſi impudicus & vorax & aleo*
*Mamurram habere, quod comata Gallia*
*Habebat omnis, vltima & Britannia?*

Nunc legiones XI. *Vndecim quidem habuit legiones Cæſar. Nam finito Gallico bello, quatuor in Belgio collocauit: duas in Heduos miſit: duas in Turones: duas in Lemonicum fines: & vnã habuit in Italia, quæ præſidia tueretur: Verũ, cum ex hoc numero, vnam e ſuis, alteram, quam a Pompeio acceperat, per ſpeciem Parthici belli Romam remiſerit, eiq; nouem reſtarent: vndecim videtur inuidioſe a Cicerone dictum: niſi quis forte malit librarijs hoc adſcribere, qui traiecta vnitate,* XI *pro* IX *ſcripſerint. Neque neſcius ſum, eundem eſſe numerum apud Florum, ſed eodem forſitan errore. Sextus quidem Rufus in Epitome: C. Cæſar (inquit) cum decem legionibus, quæ quaterna milia militũ Italorum habebant, Galliam ſubegit. ijs, Pompeianam ſi addas, erunt vndecim.*

IN EPIST. VIII.

SED iuberi mutare nomen. *Non videtur hereditatem creuiſſe, qui poſtea vel in faſtis Conſulum, P. Cornelius Dolabella, nullo nec prænomine nec nõie, nec cognomine mutato, cum tamen ea cõditione heres eſſet inſtitutus, ſi nomen mutaret.*

Ex illa autem ſententia &c. *Qua ſententia obſecro? Deinde, quid moueri debuit ea re, quam ipſe longe ante facere conſtituerat? Nam ſupra lib.* VI. *Epiſt.* VIII. *ita Cicero. Cum Lepta, etiã plura locutus eſt: ſpero falſa, ſed certe horribilia: exercitum nullo modo dimiſurum: Pompeio in animo eſſe vrbem relinquere. Equidem mihi perſuadere non poſſum, nõ potuiſſe illum in vrbe, aut alicubi in Italia conſiſtere, vt idẽ Cicero ait* VIII *libri, epiſt.* XI. *Nimirum noluit; & cum bellum ea maxime de cauſſa optaret, quòd vereretur, ſi priuato viuendum eſſet vtrique, ne minus ipſe gratiæ apud populum, quàm Cæſar, eſſet habiturus: facultatem magiſtratibus ceteriſq; ciuibus præripere voluit, cum Cæſare congrediendi, deq; pacis conditionibus agendi. Itaque eodem timore, Roma diſcedens, edixerat; eodem ſe loco habiturum, & qui Romæ remanſiſſent, & qui eſſent cum Cæſare. Quare indignari ea re non debuit, quam multo ante proſpexerat, & ſponte optauerat. His igi-*

*tur argumentis permotus, in ſententiam doctiſſimi viri Octauij Pantagathi venio, ita legentis.* Mea autem ſententia non relinquendæ vrbis mouet hominem. *Semper enim cenſuit Cicero in vrbe atque in Italia manendum: quod Gnæus non libenter audiebat. Nam libri* VIII *prima epiſt. de litteris ad Pompeium miſſis ſcribēs ad Atticum. Sed vti (inquit) in vrbe retinenda tunc, ſic nunc in Italia non relinquēda teſtificabar ſententiam meam. Et ad ipſum Pompeium epiſt.* XV. *Mea quæ ſemper fuerit ſententia, primum de pace vel iniqua conditione retinenda, deinde de vrbe (nam de Italia quidem nihil mihi vnquam oſtenderas) meminiſſe te arbitror. Quibus ſane locis coniectura hæc Pantagathi maxime niti videtur, vt minus etiam emendatio inuerecunda poſſit videri. Omitto quàm facile ſcriptorum negligentia, ex Eſt, quod proximam ſuperiorem ſententiam claudit, Ex, facere potuerit; & ex Mea, Illa. Denique in nullis manuſcriptis* Ira *inuenitur, ſed uel* Ita *vel* Intra, *vel* In *vel* M *vel quiddam, quod legi non poſſit, nempe* Ī- *Quæ ſi conſiderentur, minus inuidiæ ſubitura eſt, ſuſpicio noſtra.*

## *IN EPIST. IX.*

AD buſtum Baſilij. *Antonianus liber, &*

*fere alij*, Baſili: *& fortaſſe non male. Baſilos Romæ fuiſſe, vel Iuuenalis indicat verſus ille.*

*Quot Baſilus ſocios, quot circūſcripſerit Hirrus Pupillos &c.* *Quin Philippica* I I, *in antiquiſſimo illo exemplari quod erat apud Faërnum, Baſilum legitur, vbi in vulgatis vel Baſilium, vel Baſillum eſt. Locus in ea hic eſt. Vexauit Puteolanos, quod C. Caſſium, quod Brutos patronos adoptaſſent: magno quidem iudicio, beneuolentia, charitate: non vt te, vt Baſilum, vi & armis, & alios veſtri ſimiles. Itaque etiam apud Aſconium in Miloniana, monimentum Baſili, ex his quæ diximus, & ex vetuſtis libris, legi poſſit.*

Putat aliquis. *Malim* Dicat. O', *enim exclamantis eſt, non putantis. Quin de eodem ita lugente ſcribens paulo poſt, inquit. Vt idem dicit. & mox, vt ait idem: vel certe O, tollendum eſt.*

Præteriit tempus legitimum &c. *Si Dioni credimus, vere, non inuidioſe ſcripta ſunt hæc. Is enim libro* x x x i x, *Cæſari, affirmat ad primum quinquennium, tris annos tantummodo fuiſſe additos, non quinque. Nam, cum Pompeius & Craſſus Coſ. prouincias ſibi per quinquennium decerni lege Trebonij cuperent: idq; ſe diffiderent, per amicos Cæſaris, qui id agi videbant,*

*vt Cæſaris potentia labefactaretur, conſecuturos: quo beneuolos haberent, illius quoque imperio, ad priorem ſummam, triennium addi curauerunt. Verba eius hæc ſunt.* φοβηθέντες δὲ ὕπατοι, μὴ διαμάρτωσιν ὧν ἔπραττον, προσεποιήσαντο αὐτὸν, ὥστε τὴν ἡγεμονίαν καὶ ἐκείνῳ, τρία ἔτη πλείω, ὥς γε τἀληθὲς εὑρίσκεται, μηκῦναι. *Quod item cum alibi non obſcure, tum multo manifeſtiſſime lib.* XXXXIIII, *in ea oratione, qua Cæſarem mortuum laudauit: vbi inter ea quæ illi a populo tributa fuiſſent, hoc in primis enumerat, quod octo annorum imperium, quod nulli ad illud tempus contigerat; ex quo per populum gubernari Reſp. cœpta eſſet. Ita enim ibi.* τὸν πλεῖστον, ἄρξαι αὐτῷ προσετάξατε, ὅπερ ἀφ᾽ οὗ ἐδημοκρατήθημεν, οὐδενὶ ἄλλῳ ὑπῆρξε, λέγω δὲ, τὸ ὀκτὼ ἔτεσιν ὅλοις ἐφεξῆς ἡγεμονεῦσαι. *Alij tamen ei alterum quinquennium attributum ſcribunt: quos ſequor. Nec me tam illa mouent* ὥσγε τἀληθὲς εὑρίσκεται, *quam id, quod cum alibi, tum hic Cicero de decem annorum imperio ſcriptum reliquit. Quare Manutio aſſentior, hanc epiſtolam ſcriptam fuiſſe, cum iam L. Cornelius Lentulus, C. Claudius Marcellus Conſulatum iniſſent, qui fuit prouinciæ decimus: & quoniam adhuc plures ſupererant menſes, ad inuidiã dictum, tempus præteriiſſe.*

## IN EPIST. X.

Et ſtupent omnes. *Manutius mauult, ſtupens, nota diſtinctionis adſcripta, vt* Omnes *mẽbri alterius aut potius ambitus initiũ ſit. Et miror illũ non ita ſcriptũ in ſuis habuiſſe. Nã in meis ſic legit pœne omnibus, in quibus et Antonianus eſt.*

## IN EPIST. XI.

Cingulum inquit nos tenemus. *Faërni liber,* Inquis. *vt ſint verba ex Attici epiſtola, Quare & mox idem liber,* Loquimur *nec ſecus Antonianus. & Editio Victorij. Et vis huius eſt. Cũ ita loquimur quẽadmodũ tu ſcribis, Cingulũ tenemus, Anconẽ amiſimus: queſo, nõ tibi videmur negotiũ habere, cum hoſte populi Romani, atq; huius imperij potius, quàm cum Imperatore illius?*

In illo Lucretino tuo ſole. *Lucretino dixit a Lucreto, quod erat in Sabinis: vbi Atticum prædia habuiſſe, Nepos auctor eſt. Horatius Lucretilem vocauit ad Tyndaridem ſcribens.*

*Velox amœnum ſæpe Lucretilem*
*Mutat Lycæo Faunus.*

## IN EPIST. XII.

Datam XII K. Iun. *Perſpicuũ eſt ex ſuperioribus & ſequentibus litteris, & ex ipſa*

*etiam hiſtoria,* Feb. *ſcribendum. Nam ad vrbẽ venerat Cicero, prid. Non. Ian. ibiq́; pauculos dies commoratus eſt, triumphum expectans. Verum, cum nuntiatum eſſet Romæ, Cæſarem cum exercitu aduentare; & pro ſe quiſque, fuga ſuæ ſaluti proſpiceret: Cicero, maxime Pompeio fugiente, eodem pauore perculſus, conſilium ſtatim cepit relinquendæ vrbis: ſeq́; in ſuas villas contulit, vnde ad Atticum ſcribit, qui Romæ remanſerat: ab eoq́; quotidianas litteras accipiebat. Quare dubitandum nobis non videtur, quin* XII *K. Feb. emendemus: cum præſertim ſcribat hanc vnam ſe epiſtolam accepiſſe.*

Plena timoris & terroris omnia. *Omnes tum veteres tum recentes libri*, Et erroris: *vt equidem credam librarij peccatum fuiſſe, ut terroris legatur. Nam & hæc duo Cicero libenter ſolet coniungere. In Bruto enim, Patrocinium (inquit) pacis excluſum eſt, aut errore hominum aut terrore. Et pro lig. Alij errorem, alij timorem appellant.*

Et Theani: reliquæ in Apulia. *Emendo*, Reliquaq; in Apulia, *non ſolum quia veteres libri, & editio Victoriana, in hac ſcriptura conſentiunt, ſed etiam quia Luceria & Theanum in Apulia fuerunt: quam queritur lib.* VIII, *epiſt.* III, *ad hoc bellum delectam, inaniſſimam Ita-*

*liæ partem. vt de Theano Sidicino ſuſpicari non poſſimus. Ad hæc, ſi* Reliquæ *rectum eſſet, cohortium numerum, quæ Luceriæ Theaniq; conſediſſent, poni oportuit, vt conſequens oratio eſſet.*

Quid nobis agendum ſit, neſcio. *Faërninus et Antonianus, quibus cum reliqui mei ſunt,* Agendum eſt. *Quod ſi eſt rectum, vt reor (maiorem enim angorem animi & deſperationem præſefert, quàm* ſit) *ſatis conſtat, cum interrogatione efferendum eſſe: rogandi enim notam, vbi percontandi aduerbium aut dubitandi nullum ſit, neceſſariam puto: vt in illis. Patere tua conſilia non ſentis? Et, Hodie vxorem ducis? Non item in his. Quid ais Birria: Datur ne hodie illa Pamphilo nuptum: In quibus cum ſciſcitandi ſint voculæ, ſatis admonemur, ſine illa nota, partem illã cum interrogatione pronuntiari poſſe. Neque enim ſi adhibeatur peccatum fuiſſe dixerim. Tantum monere volui, non eſſe neceſſariam. Ergo illud ita eſt pronuntiandum. Sin Pompeius diſcedit, quo aut qua? ſupple nobis abeundum? aut, quid nobis agendum eſt, tanti viri præſidio deſtitutis? Tum, quaſi rerum deſperatione victus, infert: Neſcio. quod eſt etiam pronuntiatione adiuuandum. Simile illud eſt ſequenti epiſtola. Nos autem, vbi exurgere poterimus, aut quando? quorum dux, quàm ἀστρατήγητος, tu quoque animad-*

*uertis.* *Neque tamen vulgatam abiudico, quæ & ipſa bona eſt. Verum ſi omnia aut certe plurima in libris ſunt, vt ſunt: vt qui meus ſenſus eſſet te ſtatum relinquere. Quanquam ſiquis Quid, infinite accipiat, non valde reſtitero; cum, & ipſum non nunquam cum finitiuo, ut infra docebitur, inueniatur.*

Nec enim rerum prolatio. *Antonianus ac reliqui propemodum omnes,* nec eum. *perſpicue melius.* *Nam* iſtum *proxime poſitum, qui poſſit, niſi parum concinne, huic quoque ſenſui commune eſſe, non video.*

Tam ne nullo conſilio. *Veteres libri,* Tam nullo, *ſine* Ne. *vel a verbo Diſrumpor, ſine rogandi nota: vel certe per ſe, cum ea: quod ſolet in ſtomacho, non ſine gratia fieri. Abeſt etiam ab Editione Victorij. Illud non neglexerim, in manuſcriptis omnibus,* Dirumpor *non Diſrumpor legi. quod videndum eſt, an recte. Supra certe libro primo, epiſt. Magna mihi. Diiunctos habent veteres libri, pro eo quod in vulgata eſt, Diſiunctos. illo loco. Credo enim te audiſſe noſtros Equites, pæne a Senatu eſſe diſiunctos.*

Et ijs me dem &c. *Quidam exponunt Cæſari: ego, ei qui vicerit, nec plus Cæſari quàm Pompeio. Conſulit enim Atticum Cicero, vtrū Pom-*

*peium ſequatur, an non, ſed aliquam cauſſam iuſtam iniuſtam paret atque excogitet, qua ſe tantiſper, dum reliqui in armis ſunt, belli diſcrimini ſubtrahat, & poſtea ad eum qui vicerit, adiungat. Videbat enim, ſic ſe Cæſari ſatisfacere, vt nihil ſibi eſſet negotij, niſi cum Pompeio: cui ſi tergiuerſatione aliqua fidem facere poſſet, omnia ſibi in tuto fore ſperabat. Sed tamen, interea dum hominem conſulit, honeſtatis recordatione permotus, quid ſibi in vtranque partem veniat in mentem, ſubnectit. primum; ne Pompeium ſequeretur, ſeq́; penitus daret in cauſſam, non ſe periculo terreri, ſed dolore, quòd tam ſine conſilio geſta ſint omnia: ne cunctetur ac tergiuerſetur, belliq́; euẽtum expectet, pudore reuocari: quòd nec officiũ boni ciuis ſit, qui ſimplex atque ingenuus debet eſſe, non aſtutus & callidus: nec amici, quem amici forunam ſequi decet. Hæc mihi Cicero voluiſſe videtur. Neque enim deliberat, ſi res caſtris ageretur, ad vtra ſe conferret: Cæſaris ne, hoc enim ei nunquam, ne per ſomnium quidem veniſſet in mentem: an Pompeij: Sed vtrum, cum Pompeio Reip. cauſſam armis defendat, an quieſcat: ſed tamen paleſtra vtatur aliqua, qua hominum ſermones atque infamiam fugiat: & ſic rerum exitum expectet, vt deinde ſe det ijs, qui tenerent ac potirentur.*

Labienum ab illo diſceſsiſſe,propemodum conſtat. *Cauſſam defectionis, hanc explicat Dio, ſicq́; fere ſcribit. Mirum videri alicui poſſit, quid Labieno in mentem venerit, vt a Cæſare deficeret, a quo in ſummo ſemper honore habitus, omnibusq́; quæ erant trans alpes, copijs, ab eo, dum in Italia ipſe moraretur, præfectus fuerat. Sed cauſſa fuit, quòd Labienus ipſe cum eſſet diuitijs & gloria auctus,maiori cum fauſto,quàm pro imperio, ſe gerebat: eumq́; Cæſar ſibi exæquari videns, minus iam diligebat. Quam mutationem voluntatis Cæſaris, Labienus non ferens, defectionem fecit.*

## IN EPIST. XIII.

Cui ne picena quidem &c. *Noſtri* Quoi. *quod equidem neglexiſſem, non ignorans ἰσοδύναμον eſſe, niſi mire in hac ſcriptura, vno Antoniano excepto, conſentirent. Neque hoc eo dico, quo magnopere de ſcriptura illa ſim ſolicitus,cum alibi,* Cui, *plerunque inueniatur; ſed vt intelligamus, quantum in eorum librorum, qui ad nos peruenerunt,ſcriptura,ſtatuendum ſit; in quibus tanta varietas ſit, nec eodem modo vbique, eadem vox ſcribatur. Ego quidem ſic exiſtimo, librarios, non ſane vetuſtiſſimos: ſed tamen non valde ab illa,minus barbarie contaminata,ętate:*

eo æſtu aut diu &c. *Egregie mihi viſus eſt Vgolinus Martellius, vt eſt ingenio præſtanti, & ad excogitandum acuto, poſteriori parti huius Aenigmatis, medicinam feciſſe; quodq́; eſt amabilius, paruo negotio. Vnius enim interpunctionis poſt Dicis atque aſpirationis adiectione, ita emendat.* In eo æſtu, haud diu. *ſuppletq́; Fui, aut verſatus ſum: illo ſenſu. Aenigma tuum, quod mihi Platonis numero videbatur obſcurius, intellexi; atque id cito: nec ſum in eo æſtu cogitationis meæ, ſane diu verſatus.* Oppios enim ex velia, *Saccones dicis. Nam* αἰνιγματώδως *Cicero, Oppios, Saccones appellauerat, vero germanoq́; illorum nomine occultato. Quod cum Cicero intellexiſſet, æſtu illo animi, quo prius, quam ſenſum Attici aſſequeretur iactabatur, liberatus eſt, cum reliqua, hoc aperto, ſatis paterent. Cur vero Saccones Cicero vocauerit Oppios, quæq́; vocis illius notatio poſſit eſſe, Corradus neſcio quid cōminiſcitur: nimirū, quod illi fœneratores eſſent, ſaccosq́; fortaſſe, q nūmorū eſſēt receptacula, vt Aſconius ait, argēti plenos haberēt. Quod ego eius cōmētū, vt in re tā obſcura, nec ꝓbo nec ĩprobo. Viſus eſt aūt mihi Martellius meus, Haut, pHaud, retinuiſſe: tū vetuſtorū librorū, tū marmorū ſcriptura, tū deniq; grāmaticorū ꝑceptionibus adductus. Victorinus.n. in ſua Ortographia, hac de voce ſic ſcribit.*

*Haud aduerbium eſt negandi: & ſignificat* οὐ. *D, conſeruat, ſi ſequens verbum incipiat a vocali. vt; Haud aliter muros. &, Haud equidem. At cum verbum a conſonante incipit, D. perdit: vt, Haut dudum, Haut multum. Haut plura refer, & inducit T. Complura generis eiuſdem, vt mihi narrabat, habebat: quæ tum mihi, cum Patauij congreſſi ſumus, quia libri in manibus non erant, impertiri non potuit: & poſtea in Galliam ſecuto Cardinalem Strozium, ſumma & iudicij & humanitatis laude præſtantem virum; incommodum fortaſſe fuit, ad me mittere: quæ ille forſitam edet aliquando, nec ſinet bonarum litterarũ ſtudioſos, induſtriæ ſuæ fructu priuari.*

Quid agat Domitius in Marſis, Tignij Thermus. *Thermus Prætor, vt traditur a Cæſare, in primo Commentario belli ciuilis, Tignium (ita enim legitur in impreſſis) occupauerat, cum quinque cohortibus: & cum munire vellet, cognito Curionis aduentu, Tigniorumq; erga Cæſarem voluntate: cohortes ex vrbe eduxit, ac profugit: Curio ſumma omniũ voluntate, Tignium recepit. Qui putant hoc Oppidum in agro piceno fuiſſe, illudq; eſſe, quod hodie Mons ſanctæ Mariæ in Georgio vocatur, valde ſunt coniectura decepti: nec animaduertunt, quid Lucanus ea de re, quid Florus ſcribant. Tradunt enim ij, Thermũ*

*ex vmbria, non ex Piceno deiectũ. Ita enim ille. Iusq; ſui pulſa iam perdidit Vmbria Thermo. Florus vero lib.* IIII. *Prima Arimino ſigna ceci nerunt. Tũ pulſus Hetruria Libo: Vmbria Thermus; Domitius Corfinio. Id quod etiam Pompeius ipſe, in litteris ad Domitium miſſis, his verbis ſignificat. Cui rei teſtimonio ſunt litteræ, quas Buſſenius ad me miſit: in quibus ſcribit, id quod ab alijs quoque mihi ſcribitur; præſidia Curionẽ, quæ in Vmbria & Thuſcis erant, contrahere, & ad Cæſarem iter facere. Quin, his ego amplius, nego Tignium vel in Piceno, vel in Vmbria, vllum eſſe repertum: inq; Commentarijs, atque his epiſtolis, falſo Tignium legi, vetuſtosq; libros, pro Tiguij, tum Inguij, tum Igui, tum exſecta poſtrema ſyllaba pręcedentis dictionis, in Marę ſiſinguij; aut in mare ſic iguitermus: pro in Marſis iguij Thermus. Quid tu igitur? roget aliquis: quid ſentis? Idem quod Auguſtinus Steuchus præceptor meus, vir, vt eius ſcripta declarant, omnium litterarum copia et varietate inſtructus. in eo libro, quem ille de patriæ ſuæ antiquo nomine ſcripſit: quem librum videre non potui, ſed mihi dicitur, illum exiſtimaſſe, & hic et in Cõmentarijs, Iguuini, corrigi oportere: illudq; eſſe oppidum, quod Eugubium appellant: ab antiqua voce, ſane parum deflectentes, ab hiſtoria nihil. Eſt*

Locus emendatus in primo cõmentario Cęſaris de bello ciuili.

*enim illud in Vmbria, vnde Thermus profugit. Vt verò Iguuij potius, quàm Inguij, vt plerique habent libri veteres emendem; Lapis perantiquus facit, qui eſt Fulginiæ, in hortis nobilis viri Alexandri Elmi: quo ego ab doctiſſimo & innocentiſſimo viro Thoma Orſinio ductus ſum: qui ita inſculptum habet, grandioribus litteris.*

P. ÆLIO P. F. PAPIRA
MARCELLO CENT.
FRVM. SVB. PRINCIPI P. E.
PEREGINORVM ADSTATO
ET PRINCIPI ET PRIMIPILO
LEG. VII. GEM. PIÆ FEL. AD-
LECTO ADMVNERA PRÆFE.
LEGG. VII. CLASS. ET PRIMÆ
ADIVTRICIS V. E. FLAMINI
LVCVLARI LAVREN. LAVINA.
PATRONO ET DECVRIONI CO
LONIÆ APVLESIVM. PATRONO
CIVITAT. FORO FLA. FVLGINIA
ITEMQ. IGVVINORVM SPLEN-
DIDISSIMVS ORDO FLORO FLAMI.
CVIVS DEDICAT DECVRIONIBVS
ET LIBERIS EORVM PANEM
ET VINVM ET SS XX N. ITEM
MVNICIPIBVS SS IIII N. DEDIT.

Videntur autem Iguuini ita ab iguuio dicti, quemadmodum a Patauio Patauini: a Regio, Regini. Itaque deprauate, niſi fallor, legitur apud Plinium, Inguinini: Si modo hoſce populos, vt quidem eſt veriſimile ſignificat in ſeptima Italiæ regione. Hos a Ptolemæo quidam Iſiuuinos vocari volunt, vnius litteræ mutatione facta quāquam, ſicui Iguini dicere placuerit, haud vehementer aduerſabor, ſciens a Lanuuio, non modo Lanuuini, ſed etiam Lanuini, ſcriptum inueniri. Plinii locus emendatus.

## IN EPIST. XIIII.

Secutorum in Ludo. In diſciplina Laniſtarum, a quibus ad gladiatoriam inſtituebantur.

## IN EPIST. XV.

Cum coram id non liceret. Faerninus, Antonianus & quidam alij: non licet quod probatur magis: vt non ad hoc vnum tempus, quo diſiunctus erat ab Attico, ſed plane ad omne, quo ſibi cum illo loqui non licebat.

Has litteras dedi. Plerique veterum, Has dedi litteras: auribus plane dulcius.

Sed is auditus in conſilio. Quæ ſequuntur de Catone, plane declarant, hic aut negandi particulam, aut quod idē valeat, deſiderari. Et vt alij aliter emendarint, mihi placet vix, pro is legi:

*eoq́; maxime, quòd in manuſcriptis aliquot* His *legatur. Significatur autem verba Fauonij ſic im probata fuiſſe, vt vix auditus fuerit.*

Vicerit enim ſi Conſul factus erit &c. *Futurum exactum, vt Pomponius appellat: quod Græci cum non habeant, pro eo vtuntur participio præteriti temporis, cum futuro verbi ſum.* γεγραφὼς ἔσομαι: ἐγνωκὼς ἔσομαι. νενικηκὼς ἔσομαι *dicentes: quo modo Ariſtoteles in Topicis eſt locutus,* δείξαντες ὅτι παντὶ ὑπάρχει καὶ ὅτι τινὶ ὑπάρχει δεδειχότες ἐσόμεθα. *Quod ita Latine reddi poteſt. Qui aliquid omni ineſſe monſtrauit, etiam alicui ineſſe monſtrauerit. Apud nos certe Terentius ita eſt & ipſe locutus. Dictum factum, inuenerit aliquam cauſſam, quam ob rem eijciat oppido. Nec me latet, Donatum ibi dicere, ſubiunctiuum pro Indicatiuo poſitum eſſe, hoc eſt, inuenerit pro Inueniet. ſed illud magis placet, vide apud Linacrum plura.*

Flagitioſe imparati. *Ex hoc loco cognoſcitur, Flagitium, non modo in re turpi atque obſcena, ſed etiam in his eſſe, quæ per imprudentiã aut negligentiam committantur; quæq́; digna ſint, quæ flagris mulctẽtur. In Bruto pro graui errore & pudendo poſuit, cum ita ſcripſit: Tum Brutus admirans, tantam'ne fuiſſe obliuionem inquit, in ſcripto præſertim, vt ne legens quidem vnquam*

*ſenſerit; quantum Flagitij comiſiſſet? Plautus Epidico, pro damno aut certe dedecore, poſuiſſe videtur, cum Fidicinam fingit ſeni cuidam quia ſibi fides non redderet, minantem, redditurum tamen poſtea maiori cum damno, hiſce verbis.*

*F. Fides non reddis? P. neque fides neque tibias.*

*P. Propera igitur hinc, ſi te Di amãt fugere. T. abiero*

*Flagitio cum maiore poſt reddes tamen.*

## *IN EPIST. XVI.*

Capua profectus ſum Formias ad I I I. K. *Expono, I I I Kal. Quidam tamen putant erratum in ſcriptura, proq́; Ad* I I I K. *a. d, hoc eſt, Ante diem* III K. *eſſe legendum: neque hic ſolum, ſed plane omnibus in locis, vbi hæc dicendi forma reperitur. Hoc vero ſatis præſeferunt, cum teſtimonia quæ illi ex Cicerone afferunt non vt in impreſſis habẽtur, hoc eſt Ad* V. *Id. K. Non, verbi gratia; ſed a. d.* V. *Id. K. Non. exſcribunt. Quorũ ego opinioni, non equidem aduerſor. Nam & habet quod ſequatur: & lapſus tam faciles, quàm quiſque per ſe poteſt exiſtimare. Argumenta quę hoc doceant, non videntur deeſſe: primum, Ad* I I I *K. vel Id. vel Non. non id valere, quod vulgo exiſtimant,* I I I *K. Id. Non. ſed vel circa vel vſque ad* I I I *K. Id. Non. Id quod non paucis ex ipſomet Cicerone, teſtimonijs confirmatur. Is enim lib.* V I. *epiſt.* I. *Velim dum*

*ero Laodiceæ, id eſt ad Id. Mai. Et eodem lib. epi. II. Tum magis id faceres, ſi adeſſes, atque hoc foro, quod egi ex Idibus Feb. Laodiceæ ad K. Maias, omnium diœceſium. Item alibi. In Arcano ad VI. Id. Septembris fui. Additur nonnunquam, vt plenior ſit oratio, vſque. vt, De Q. fratre nuntij nobis triſtes nec tamen varij venerunt: ex ante diem Non. Iuni. vſque ad Prid. K. Septembris. Quibus in locis, non certus quidam dies, veluti Idibus, VI. Id. atque id genus, ſed continuati temporis extremum ſignificatur. Ad, item Circa, vt diximus valere, ex eodem M. Tullio, lib. XIIII. illa declarant. Sed de omnibus meis conſilijs, exiſtimo exploratius nos ad K. Iun. ſtatuere poſſe: ad quas adero. Et haud ita inferius: Quamobrem, iſta nobis ad K. Iun. tractanda & perficienda ſunt. Quæ Grammatici quidam, Circa Kalendas exponunt. Quæ pro vulgata lectione afferri poſſent teſtimonia, qualia ſunt, Ad VIII. Id. Ad VI K. ad IIII Non. & generis eiuſdem multa: ea in dubium reuocantur, ne pro a. d. Ad, factum ſit, librariorum & imperitorum vitio: præſertim cum in tanta librorum deprauatione, non pauca tamen huius locutionis, adhuc incorrupta extent exempla, de quorum ſinceritate non dubitetur. Nec quæ continentur in hac ipſa epiſtola, in qua verſamur, antecedunt huiuſmo-*

di: Nos a Coſ. Capuã venire iuſſi ſumus, ad Non. Feb. vulgatæ lectionis cauſſam ſubleuant, propterea quòd non id ſignificant; iuſſum eſſe Ciceronem Nonis venire, cum eo ipſo die, Senatus habendus eſſet, atque oporteret adeſſe; ſed iuſſum eſſe venire Capuam, vt Nonis in Senatu poſſet eſſe. Itaque eo venit Prid. vt ex XIX epiſtola palam fit, de qua re etiam infra dicemus. Nec tamen quia tam multa in hanc ſententiam diſputauimus, ideo impetrare a lectore volumus, vt ita emendetur: Sed quia hæc viris doctis placuit, nõ nullis, quibus eos argumentis adductos ſuſpicaremur, nec tamen certiſſimis in mediũ proferremus. Eruditi poterũt diligentius cogitare, deq; re certius conſtituere.

Eo die cũ Calibus &c. Nimirũ III K. Quomodo igitur in fine huius epiſtolæ, & ſequẽtis initio, hæ ſignificãtur datæ IIII Non.? Ego pronomẽ Has quod ſequitur, deleo: vt ſe dicat Cicero his litteris, quas proculdubio e Formiano dedit, ei epiſtolæ ſtatim reſpondiſſe, quam Calibus acceperat. Vt Has retineatur, & tempora & loca non ſinunt.

Quo loci ſit res. Veteres omnes: Quo loci. Nos enim Hiſpaniã peteremus &c. Simile eſt eius, Philip. XIII. Receſſeris: vndiq; oẽs ſequẽtur: manſeris, hærebis. Addi aũt extrinſecus debet ſi.

Sextio noſtro ſcribendas dederit. Ei fortaſſe, cuius dicta, ad Volumniũ ſcribens quęritur ſibi

*adſcribi. quæritur autem quòd inepta eſſent & inſulſa. Ita enim ibi. Ais enim vt ego diſceſſerim, omnia omnium, in his etiam Seſtiana in me conferri. Quid? tu pateris? non'ne defendis? non reſiſtis? &c. Et cum vbique frigidus & inſulſus eſſet, tamen hoc in loco Cicero affirmat, nihil ſe tã Seſtiane ſcriptum vidiſſe vnquam. Verum hunc locum Victorius, in poſterioribus in epiſtolas, quas familiares vocant, caſtigationibus, explicauit. Sed quæri illud poteſt, cum & Sextia familia & Seſtia Romæ fuerint, illa quidem plebeia hæc patricia, vtro modo ſcribendum ſit hoc loco. Et manuſcripti quidem Seſtio habent: quod rectum eſſe, magno eſt argumento, quod σηστιωδέστερον intulit: cum nihil cauſſę fuerit, ſi Sextium ſignificare voluiſſet, quo minus σεξτιωδέστερον poſſet inferre. Vtraque enim familia καὶ σηστίων καὶ σεξτίων, apud Græcorum ſcriptores commemoratur: vnde etiam ὕδατα σέξτια. Hęc faciunt vt Seſtio magis probem, niſi ſi hiſtoria repugnet, quod certum non dum habeo.*

Tamen vereor. Et tamen, *veteres libri tũ noſtri, tum Petri Victorij, ſignificantius. Non puto inquit Cæſarem oblatas conditiones repudiaturum. eiuſmodi enim ſunt, vt amentiſſimus ſit, niſi accipiat. Et tamen vereor, quæ hominis eſt inſania, vt ipſis contentus ſit.*

## *IN EPIST. XVII.*

TVRPE pace. *Faërni liber & Car. mei.* Turpi pace. *Antonianus*, Miſero bello. *Ex vtroque, quod vſitatius certiusq́; eſt, auferentes, hanc lectionem facere poſſumus, Vtrum turpi pace, an miſero bello eſſet vtendum. Et tamen nihil muto, qui ſciam alibi Ciceronem, ita fere eſſe locutum. Nam in Lucullo. Simile (inquit) vos, cum perturbare, vt illi Remp. ſic vos philoſophiam iam conſtitutam uultis: Empedoclem, Anaxagoram, Parmenidem & Xenophanem, Platonem etiam & Socratem proſcritis. Simile dixit pro Similiter. vt hic Turpe pro Turpiter: niſi Turpi ſit melius, & Miſero, quam Miſere.*

Quæ quidem ſi ille repudiarit. *Concinnius ac Lenius Faërni liber. Quæ quidem ille ſi repudiarit. Maior enim nonnunquam venuſtas & gratia eſt, in verbis ita tranſpoſitis, quàm ſuo loco collocatis, vt ad Brutum. Ea cum vſque in Capitoliū deductus ſum. vbi Cum eà potuit dicere. At quis non videt quanto ſic lepidius? ſic pro Sylla. Nūc tecum ſic agam, tuliſſe vt potius iniuriam, quàm retuliſſe gratiam videar. Ad Octauium item ſe aduerſum dixit. & audacius ad hunc ipſum Atticum. Diem ſtatuo ſatis laxam: quam ante ſi ſoluerint &c. Et in Catilinam, contra Grammati-*

*corum præcepta, qui negant rogandi nomina poſtponi. Reliquit quos viros? Multa occurrunt huius generis, quæ, quia non caſu tranſpoſita exiſtimamus, non duximus negligenda.*

Vincire præſidijs. *Noſtri ad vnum omnes,* Vinciri, *vt ad perſonam Cæſaris qui ne poſſet offendi, accurate prouideret, atque omnia circa ſe tuta redderet, non ad loca referatur. Et ſane duco videndum, vtrum præſidijs loca vinciri dicantur, cum ipſa etiam loca præſidia ſint: vnde præſidium ſtatiuum dixit Philip.* x i i. *Et pro Ligario. In præſidijs hoſtium verſari. Enimuero quibus præſidijs loca vinciantur? Munitionum? At ea, præſidia non vocantur, cum præſidia imponantur & collocentur. Hominum? At his præſidijs loca vinciri non dicuntur, ſed muniri, firmari, occupari, teneri. Vinciri tamen præſidijs homines ſolent. D. quidem Brutus ad Ciceronem. Poſt nouiſſimum Hirtij ſermonem, placitum eſt mihi poſtulare, vt liceret nobis eſſe Romæ, publico præſidio. Verum nihil ſtatuo: tantum argumenta illa affero, quibus ea ſcriptura, quæ tot librorum conſenſu nobis inſinuatur, probior etiam videatur.*

Vix vllo otio. *Liber Car. mei.* O vix vllo otio. *& placet.*

Cum præſertim rogatus eſſet. *In libro Car.*

*mei.item Faërni, Antoniano, poſt* E ſſet, Scio *ſcriptum legitur. Cum in alijs non ſit, vtrum ſuppletum fuerit ab aliquo, haud equidem ſcio.* Scio *quid: m; aut quid tale deſideratur: niſi ſupra pro* Omnino quid ille &c. Omitto quid ille &c. *malumus legere. vt ſit, Omitto, quid ille facere debuerit, & quę ſequuntur: quaſi dicat, Omitto quod ad me aduolare debuerit, præſertim rogatus. Debuit autem, quod multis & magnis officijs fuerat a Cicerone ornatus.*

## *IN EPIST. XVIII.*

Ecce tibi IIII Non. Feb. *Prudenter Corradus meo animo argumentatur, ex hac & proxima ſuperiore epiſt. II. Non. Feb. legendam eſſe. Nã III Non. profectus eſt Formijs, datis ſuperioribus litteris: et poſtridie, qui fuit Prid. Non. Furnij accepit, cũ eſſet in itinere: ex quo etiã has dedit. Antonianũ exemplar, III Non. minus male, quàm vulgata, ſed nec ipſum recte. Quod volui admonere; vt intelligamus ex hac librorum varietate, vulgatam non eſſe plane firmam.*

## *IN EPIST. XIX.*

Qvorvm ego ſpe audiendi aliquid &c. *Ex omnibus quos vidi, vnus Maffei* aliquid nõ *habet. Si recte, eadem eſt dicendi forma, quæ & in Captiuis apud Plautum.*

*Nominandi iſtorum tibi erit magis, quàm adeundi copia.*

*Et apud Terent. Heautontimo. Date creſcendi copiam nouarum: vt, Audiendi quorum, pro Quos, hic ita ſit dictum: vt ibi Nominandi iſtorũ pro iſtos; & Creſcendi nouarum pro nouas. Sententia eſt plana & euidens. Sed mouet me conſenſus reliquorum, qui* aliquid *retinent. Itaque Quorum, non Conſulum expono, ſed rerum omnium, quæ tum agitabantur. vt ſit. Quarum ego rerum ſpe audiendi aliquid.*

Non ut manum conſerat. *Cum minime ſuſpecta ratio illa dicendi, & apud Varronem, & huncq́; ipſum Ciceronem atque alios, inueniatur: Ex iure manu conſertum vocare; modusq́; ſupinus, in eum caſum feratur, quem & reliqui modi: ambigi poteſt, num hic quoque* manu conſerat, *ſit potius: vt Conſerere per ſe, pugnam ciere ſignificet. Sic enim de Ling. latina lib.* v. *Varro. Conſerere manum dicimus cum hoſte; vnde. Ex iure manu conſertũ vocare. Et Cicero in primo de Ora. Id, niſi in tuo regno eſſemus, nõ tuliſſem: multisq́; præeſſem, qui aũt interdicto tecũ contẽderẽt, aut te ex iure manu conſertum vocarent, quòd in alienas poſſeſſiones tam temere irruiſſes.*

## IN EPIST. XX.

Ad Non. Feb. *Non hoc dicere vult Cice-*

ro, Nonis ſe veniſſe: venerat enim Prid. Non. vt ex ſuperiori epiſtola cognoſcit: ſed vt Nonis adeſſet, vt iuſſus erat a Conſulibus. Quo ſenſu, eadem epiſtola dictum eſt. Iam enim aderũt Coſſ. ad ſuas Nonas: id eſt, venient, vt adſint Nonis, quibus Senatum indixerant. Itaque nihil eſt, quòd de mendo ſuſpicemur, quod nullum hic eſt.

## IN EPIST. XXI.

EGEO *conſilij*. Egeo gignendi caſui iungi mauult Seruius, quàm auferendi. Ita enim in illud Virg. Aeneidos primo.

Omnibus exhauſtos iam caſibus, omniũ egenos. Eget (inquit) honeſtius genitiuo iungitur, quàm Ablatiuo, cui iungit Cicero. vt, Eget ille Senatu. Contra Virg. Quorum indiget vſus. Quibus ſane verbis, ſi M. Tullium ſignificare voluit, ſemper ſic eſſe locutum, imprudentiæ ex hoc loco, atque ex alijs multis, coargui poteſt. Porro ſtatuere vtra loquendi ratio honeſtior ſit (vtar enim verbo illius) noſtri iudicij non eſt. Et tamen Antonianus liber, habet Conſilio, pleriq́ue Conſilij. In eo tamen loco, conſentiunt libri omnes, qui eſt libri IIII prima epiſt. In re familiari valde laboramus, tuarumq́; facultatũ, quas ego noſtras eſſe iudico, quàm conſiliorũ, ad colligendas & conſtituendas reliquias noſtras, indigemus.

## IN EPIST. XXI.

TRADAM igitur iſti me? Fac poſſe tuto: multi enim hortantur &c. *Videtur hic ambitus aut circumſcriptio, melius ad rerum naturam ita diſponi poſſe. Tradam igitur iſti me? multi enim hortantur: fac poſſe tuto: num etiam honeſte?*

## IN EPIST. XXIIII.

REM miſeram. *Antonianus.* O rem miſeram.

## IN EPIST. XXV.

DE H-S x x. *Mei partim viginti-*
*milI*ibus. *partim, quod idem*
*valet* x x *ſuperne*
*ducta lineo-*
*la.*

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Atticum, EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

## Argumentum libri VIII.

SCRIPTÆ *ſunt libri huius epiſtolæ, Conſulibus item L.Cornelio Lentulo, & C.Claudio Marcello; continentq́; hiſtoriam dierum circiter* XVI*: Pompeij videlicet Pompeianorumq́; trepidationem: curã in delectu habendo: geſta à Cæſare in Piceno, & in Pelignis ad Corfiniũ: Domitij, Domitianorũq́; deditionem; ſolicitudinem Ciceronis, aut potius æſtum, Atticum conſulentis, ſi Pompeius Italia excedat, quid ſibi faciendum ſit: nauigandum'ne cum illo, an in ſuis prędijs manendum: & multa in vtranque partem diſputantis.*

*IN EPIST. I.*

QVÆ ſunt nobis nota. *Noſtri fere* Vobis,

*& videtur melius : vt hæc cauſſa ſit, cur ea a ſe pluribus non ſcribantur, quòd ipſi etiam Attico eſſent nota.*

Si inuitus in eam cauſſam deſcendo. *hoc eſt, ei me cauſſæ eisq́; partibus adiungo.*

## IN EPIST. II.

QVÆ digna diligentia mea non eſſent. *Veteres libri, tum noſtri, tum Petri Victorij* non erant. *ea de cauſſa melius, quòd in tempore modoq́; cum ſentiebas, conſentit.*

Quo modo enim effugere poſſum? *Hæc ſententia, ei repugnat, qua dixit, nihil ſe exiſtimare in eis litteris eſſe, quod reprehenderet: atque vſque eo repugnat, vt neget ſe potuiſſe effugere, quin alicubi offenderet. Porrò nihil eſſe, & aliquid eſſe, diſparata ſunt, & contradicentia, vt nullo modo iungi poſſint. Veteres libri, tum ẽẽ; tum ẽ ε:* tum enim *habent: ſed locum nihilo magis ſubleuant. Videbatur.* Ea *legi poſſe, deleta interrogationis nota: vt totum ſit: Nihil arbitror fore quod reprehendas: ſiqua erunt, doce me, quò modo ea effugere* poſsim. *Et poſſim quidẽ reſtituimus, ex libro Car: mei; Antoniano, & Octauij quoque Pantagathi.*

Qui magis effugias eos, qui volent fingere? *Hoc dicit meo iudicio. Si tu Attice, qui*

*hoc ipſum*

*hoc ipſum, quod Cęſari reſpondi, amice, atq; in eam ſententiam interpretaris, qua a me factum eſt, ad extrema remedia deſcendis, qui magis, hoc eſt, qua alia ratione niſi hac ipſa, iniquorum meorum calumnias effugiam, ſi uolent fingere, & hoſtili animo agere? Nam contra maleuolorum ſermones, nulla grauior medicina, quam hac poſſet adhiberi. Vide, an alia a te ratio iniri poßit, ut ea effugiam, ſiqua in me digna reprehenſione exiſtimes. Nam hæc non reſcribendi, ultima eſt, & contra eos qui fingant, ut his materia ſermonis auferatur. Secundis autem perſonis primarum loco, ſcriptores vti ſolere, ita notum eſt, ut ne admonendum quidem fuerit.*

Cuius ego uicem doleo. *Leue hoc quidem eſt: ſed meorum omnium conſenſus facit, ut non ducam negligendum: in eis* Quo lus *ſcribi. de qua ſcriptura, ſupra non pauca diximus.*

Hic tu in me illud deſideras. *Aeque in omnibus inane ſpacium hic & mox relictum eſt. Ego* πρέπον *aut* καλὸν *deeſſe ſuſpicor, vt ad illud Cicero reſpiciat, quod paulo ante dixerat. Nam quod me hortaris ad memoriam factorum, dictorum, ſcriptorum etiam meorum &c. & erit hæc ſententia: Hic tu in me* πρέπον *illud deſideras, de quo tam multa ſcripſimus, inq; tota uita ſeruauimus; & tamen vos interim domi veſtræ eſtis;*

Z

*nemoq; eorum, qui ſe initio adfuturos oſtẽderant, nunc adeſt in hoc bello. Ego tamen de me nihil dico; alij viderint. Illa vero:* Hic quidem quod eſt &c. *ita enim lego ex Faërni libro, non* quæ, *Hoc dicunt. In hac quidem cauſſa, quod eſt* πρέπον, *vos domi veſtræ eſtis.* ἱερονικῶς.

Vbi erit διπλῆ. *Hanc Iſidorus ait a noſtris vſurpari conſueuiſſe, quòd cum verba, quæ illi ex ſacratiſſimis libris, vel interpretanda, vel ad ſua probanda accepiſſent: ab alijs litteris diſtinguerent. Quod hodie quoque in impreſſis libris fieri videmus; niſi quòd verius Antiſigma, quod veteres ad eos verſus adhibebant, vt idem ſcriptum reliquit, quorum ordo permutandus eſſet: quàm Dipla videtur eſſe: Id quod culpa ſcriptorum factum fuiſſe puto, dum commodius Antiſigma, vno quaſi pennæ circumductu, quàm diplam deſcribunt. Teſtari tamen poſſum, in antiquis aliquot libris Magni Baſilij itemq; Gregorij græce ſcriptis, teſtimonia ſacrarum ſcripturarum hac figura > quę* διπλῆ ἔξω νενδυκῦα *vocatur, non hac* ɔ, *quod eſt Antiſigma, indicata. Nec ſine cauſſa, ex tot notis Diple potiſſimum placuit: cum ea Plato, teſte Laertio,* πρὸς τὰ δόγματα ἀρέσκοντα, αὐτῷ *vteretur. Conſtat autem* διπλῆ *duabus rectis lineis concurrentibus. Propterea lineolam, qua membra diſtinguuntur*

*aut inciſa, ἀπλὴν vocat Victorinus, in ſua Orthographia; ſic ſcribens. Quando diſtinguitis, cum erit perfecta oratio, & ſenſus claudetur, inter nouiſſimam verbi litteram & ſequentis: in ſuperiore parte verſus, punctum ponite, aliud quàm librarius inter duo verba poſuit. Quotiens autem ante diſtinctum mora fuerit neceſſaria, ſimiliter inter duas litteras ἀπλὴν auerſam id eſt, ſicilicum ponite. Si vero fuerit hyperbaton & longior ſenſus; & vos in ima parte verſus, inter duas ſimiliter, vt ſupra, litteras, clarum punctum ponite. Et, ſi priuſquam diſtinctum concludatur, mora iterum fuerit neceſſaria, ἀπλὴν auerſam, id eſt, ſicilicum ſimiliter, in ima parte verſus ponite. Hæc ille. Sicilicum vero lineolam aut apicem fuiſſe, ex Iſidoro licet cognoſcere, qui ſic lib.* I. *Cap.* XXVI. *Sic & vbi litteræ conſonantes geminabantur, ſicilicum ſupra ponebant, vt Sella, Serra, Aſſeres. Veteres enim non duplicabant litteras, ſed ſupra Sicilicum apponebant: qua nota admonebatur lector, geminandam eſſe litteram.*

Sed non ita non meo iudicio. *Liber Carmei.* Sed non tamen ita etiam meo iudicio. *mendoſe & ipſum. Videtur tamen ita reſtitui poſſe.* Sed non tamen ita etiam in eo iudico,

ſpem de ſalute Reip. *ſupple, ponendã eſſe, quẽadmodum Atticus putabat. qui ſecus aliquanto, quàm ſolebat ſignificaret: Ciceroni cedendum eſſe, ſi Pompeius excederet. Et vti loci huius totius ſen tẽtiam cõplectar: Atticus; Ciceroni auctor erat, vt Pompeium ſequeretur: vel quòd illi ita honeſtum, vel quòd ſpes de Rep. omnis, in illo poſita eſſet: Cui Cicero reſpondit, nec honeſtatem eſſe vllã in hac cauſſa: cum vel illi ipſi, qui ſe principio ala cres oſtendebant, nunc pedem retulerint & Pompeius ipſe turpiſſime bellum adminiſtret: quod con firmat Vibullij teſtimonio: vt iam in ipſo ſpes de Rep. reponenda minime videatur: atque ita concludit; nec rectum ſibi, nec honeſtum videri, ſi Pompeius Italia cedat, & ſe cedere. Huic noſtræ coniecturæ, quę ſunt ſupra libri* VI *epiſt. prima, aſtipulantur. Ea hæc ſunt. In Pompeio te ſpem omnem otij ponere, non miror: ita res eſt. Atticus enim plurimum Pompeio tribuebat.*

Poteris'ne videre. *Veteres libri omnes.* Poteris'ne igitur uidere.

Profecturus eram: ſin de bello, uidero. *Quidam libri,* Profectus, *quidam* Præfectus: *omnes ſine* eram. *Et mox:* ſi de bello quid ero? *& nonnulli,* quid erit? *Et ſane de vulgata, dubitare ſic poſſumus. Quid? ſi non ageretur de pace? num minus erat profecturus? An nuntios*

*expectabat, vt ex eis conſtitueret, vtrũ ſibi eſſet ad Pompeium, nec ne eundum? At; ſcripta ad lucernam hac epiſtola, ſtatim, vt ipſe dicit, erat profecturus. Itaque nonnulli, ſcripturam antiquã ipſi etiam ſecuti, locum ita legunt, & exponunt. Ego* X I I I *K. ad Pompeium. & ſupplent ibam. Si de pace ageretur, Præfectus, vtique futurus. Sin de bello, quid ero? parum idoneus ad belli munia? Vulgata lectio tamen, ſenſum poteſt habere hunc. Ego ad Pompeium. eram profecturus: ſi forte de pace ageretur: hoc eſt viſurus an de pace ageretur, vt eam ſequerer: Sin de bello agetur, mihi ipſe proſpiciam, meisq́; rationibus conſulam. Verum vt diximus, antiqui libri* Præfectus, *de quo dictum eſt: aut* Profectus. *quod ſi rectum eſt, ſignificat, ſe Cicero ex itinere ſcripſiſſe hæc. Quo modo item Plautus Aulularia.*

*Nunc quo profectus ſum, ibo. pro eo quod eſt. nunc ibo, quo vt irem, domo profectus ſum. hoc eſt, cuius cauſſa domo ſum egreſſus.*

IN EPIST. III.

VEL fortuna coniungenda. *Vereor, ne ſit ita legendum.* Vel fortuna cum fortuna iungenda. *Nam cum mortalium vita omnis, aut conſilio aut fortuna regatur: videtur Cicero*

*vtrunque complexus; & in vtroque præſentiam & operam ſuam polliceri. Sed hæc ſuſpicio eſt, nulla veterum librorum ope fulta.*

Non futurus ſit ſui iuris. *Tria illa verba.* ſit ſui iuris *in nullo meorum inueniuntur: & tamen placent, etiam ſi ab hoc eodem vſurpata alibi non fuerint. Bruti tamen illa ſunt ad hunc ipſum Ciceronem. An vt eſſet ſui iuris ac mancipij Reſpublica?*

Adde etiam. *Faërni liber, Antonianus, Octauij.* Addo etiam.

Nihil niſi contra conſilium auctoritatemq́; meam. *Hic auctoritas, idem pene valet quod Conſilium, Cohortatio. quo ſenſu dicere ſolemus. Auctor tibi ſum. quod eſt, ſuaſor.*

Ille prouinciæ propagator. *Vnus Maffei Car: liber, atque is minus probatus (tris enim habui illius)* Prorogator. *nec dubito quin melius: quod Propagare prouinciam, laxiorem reddere aut decernere ſit: Prorogare, diuturniorem: vt hoc ad tempus referatur, illud ad fines ac terminos. atque ita fere, hæc verba vſurpantur. Supra enim lib.* VII *epiſt.* VI. ὃ γὰρ ἂν τόδε μεῖζον, ἔποι κακὸν, *quàm cum quinquennium prorogabamus. Et eodem lib. epiſt.* III. *Cur imperium illi, aut cur illo modo prorogatum eſt? Item. Ne pateretur, quantum eſſet in ipſo, pro-*

*rogari nobis prouincias. Nec me conturbat quod eſt apud Liuium lib. III. belli Punici, in vulgatis libris. C. Terentio Coſ. Propagari in annum imperium, neque de eo exercitu, quem ad præſidium Apuliæ haberet, quidquam minui. In melioribus enim manuſcriptis, Prorogari legitur. Quin, ſi Propagator defendamus, vide ne in* ταυτολογίαν *impellamus M. Tullium, cum paulo ante dixerit, Ille Galliæ vlterioris adiunctor. Mihi placet Prorogator.*

Sed nunquid hoc peius? *Lego.* num quid *hoc ſenſu. Malæ condiciones erant: ſed num eſt quidquam hoc peius?*

Nulla cauſſa. Nō *quin eſſet honeſta, ſed quòd male inſtituta, & eo deducta, vt parum ſpei eſſet reliquum. Ad apparatum belli, non ad æquitatem reſpexit. Hoc paulo poſt dixit,* ſine cauſſa. *Inuite inquit cepi Capuam, quòd propemodum cauſſa eſſet deperdita, & plane nulla. Cauſſæ vero nomine, partes intelligit, quo ſenſu Lucanus.*

*Victrix cauſſa Dijs placuit, ſed victa Catoni.*

Eum ſi nunc ſequor. *Ego* Eam *fugamq; intelligo: non modo quia ſic habent libri veteres Faërni, Ant: Poggij, Octauij: ſed etiam vt abſurditatem & quandā etiam repugnantiam vitarem, quæ in* Eum, *cū conſequentibus cognoſcitur; cuiuſmodi nulla eſt, ſi* Eam *legamus. Ab initio*

*inquit, vidi, nihil quæri præter fugam: quam ſi nunc ſequor, quó nam? cum illo non poſſum, ad quem cum eſſem profecturus, cognoui in his locis eſſe Cæſarem.*

Ad quem cum eſſem profecturus. *Noſtri habent* Profectus *& minime diſplicet. Nam vt cognoſci poteſt ex epiſtolis ad Pompeium miſſis, iam ſe Cicero cum fratre & liberis vtriuſque in viam dederat. Profecturus enim, propoſitum & conſilium ſignificat, domo ſe commoturi: Profectus, iam commoti. & ſenſus eſt. Cum ad illum iter facerem; cum me domo commouiſſem, vt ad illum proficiſcerer, eſſemq; in itinere: cognoui in his locis eſſe Cæſarem.*

Cum filio, an quo modo? *Maffei. Car: manuſcripti duo,* Aut, quo modo? *ſane duo ſciſcitandi aduerbia, reſpuunt aures meæ: & cenſeo videndum num Romani ſermonis ratio patiatur, vt dicatur: Nauigandum ne eſt mihi cum filio, an nauigandum eſt quo modo? Plane mihi non placet.*

Eſt illa etiam Philippi. *Quæ nam Philippi ratio eſt? non eadem, quæ & Mutij? quiduis eſſe ſubeundum, quàm armatum ad patriæ mœnia accedere? Vide ne Thraſybuli ſit legendum, vt mihi tum dicta ratio, tum quæ duo ſequuntur contraria, fidem faciunt: quorum al-*

*terum Mucio, Philippo, Flaccoq́; alterum Thraſybulo conuenit. Seruire tempori cum ſit neceſſe, Mucio & togatis illis: non amittere tempus, Thraſybulo: qui armatus ad patriæ mœnia accedens, occaſionem tenuit excutiendi iugi ab ea ſeruitutis.*

In ea parte verba fecerim. *Tres mei, Faerni, Ant. Card. mei.* In eam partem. *Et Hercule, In vtranque partem diſſerere, diſputare, dicere, libentius, quàm in vtraque vſurpamus. Eodem modo proxima ſequenti epiſtola, vbi eſt in vulgatis, Superbum ſe prebuit in Fortuna: in meis, In fortunam legitur.*

Cum cohortibus duabus. *Infra tamen Pompeius ſuis litteris, Cohortes* XIIII *legionarias, Brundiſium miſiſſe ſignificat. vt non abſurdum aut alienum videatur,* legionibus *emenda re: Nam ita in eis. Neque ſubſidio ire poſſum, quòd his duabus legionibus, non puto eſſe committendum vt illuc ducantur: ex quibus tamen non amplius* XIIII *cohortes contrahere potui; quas Brundiſium miſi. Has ergo cohortes* XIIII, *eodem quo Pompeius nomine, legiones appellare potuit, etiam ſi plane non erant.*

Summum autem. Summa *fere eſt in meis, eſtq́; ſententia. Et ne dicam plura; ſumma illa eſt, Afranium cum magnis copijs aduentare. Sin*

*ſummum legas, expone: Quod caput eſt; quod pluris eſt faciendum.*

## IN EPIST. IIII.

Ne tuum quidem teſtimonium &c. *Noſtri ad vnum omnes*, Ne tui quidem teſtimonij. *& faciunt cum Victorianis: Iungi autem* Vereor, *etiam cum patrio caſu, vel Terētianum illud in Phormione declarat.*

*An tu vbi peregre, tibi quod libitū fuerit, feceris:*
*Neq; huius ſis veritus feminę primariæ;*
*Quin nouo modo ei faceres contumelias*
*Venias nunc precibus lautum peccatum tuum?*
*Sic Græci etiam* ἐντρέπομαι, *quod valet Revereor, nunc accuſatiuo, nunc genitiuo iungunt. Sophocles in Aiace.*

Τί βαιὸν ὄυτως ἐντρέπῃ τῆς συμμάχου;

Contempti cuiuſdam hominis. *Cōtēpti ad ceteros: non autem, defuit ad ceteros. hoc ſenſu. Quæ mea commendatio defuit, hominis alias contempti apud ceteros?*

Atium Pelignum, aperuiſſe Antonio portas. *Cæſar tamen, primo Commen. belli ciuilis, nō Atium ſcribit aperuiſſe Antonio portas, ſed ipſos Sulmonenſes: Atium vero & Lucretium de muro ſe deieciſſe: & hunc aufugiſſe: illum interceptum ad ſe deductum fuiſſe.*

Ad te litteras dediſſem. *Quatuor mei, Octauij, Card. Rodulſi: Faerni, Antonianus* Litteras ad te Dionyſio dediſſem. *Fortaſſe*, de Dionyſio. *Nam in eo fere totæ conſumptæ. Sed & hæc eo mihi magis coniectura arridet, quòd ſequitur* Ipſe *relatiuum pronomen: ni eius ante mentio facta eſſet, minime neceſſarium, & iacens. Ipſemet Dyonyſius inquit, de quo ad te ſcripſerā, eodem ad nos die, quo de eo ſcripſeram venit.*

## IN EPIST. VI.

Quam de nocte daturus eram, ſicut dedi. *Hoc eſt, extrema nocte: cum adhuc nox eſſet. Significat autem proximā epiſtolam, quàm ſe ſcribit ante lucem dediſſe. Vnde apparet De nocte, non quamuis horā noctis, ſed partē illam quartæ vigiliæ, cum non dum lucet deſignari. Illa vero, Ad multā noctē, &, Multa nocte etiam de priore parte dicta ſunt. Idē de ſomno Scip. Me & feſſum de via, & quia ad multā noctē vigilaſſem, arctior, quàm ſolebat ſomnus cōplexus eſt. Et alibi. Multa nocte veni ad Pompeium. nempe aliquot horas poſt occaſum ſolis. At vero, De nocte, horā illā ſignificat, quæ ſummū mane pcedit. Hoc præter hūc locū, qui manifeſtus eſt: etiā duo illi declarāt, qui ſunt partim lib.* VII. *epiſt.* IIII. *partim lib.* IIII. *epiſt.* III. *Prior is eſt. Plane illum ab ſe alienatum, cum antea intelligeret, tum vero proxime*

## IN EPIST. XXI.

Tradam igitur iſti me? Fac poſſe tuto: multi enim hortantur &c. *Videtur hic ambitus aut circumſcriptio, melius ad rerum naturam ita diſponi poſſe. Tradam igitur iſti me? multi enim hortantur: fac poſſe tuto: num etiam honeſte?*

## IN EPIST. XXIIII.

Rem miſeram. *Antonianus.* O rem miſeram.

## IN EPIST. XXV.

De H-S xx. *Mei partim viginti-* millibus. *partim, quod idem valet* xx *ſuperne ducta lineola.*

# LEONARDI MALAESPINAE,
## SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Atticum,
## EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

### Argumentum libri VIII.

S*CRIPTÆ ſunt libri huius epiſtolæ, Conſulibus item L. Cornelio Lentulo, & C. Claudio Marcello; continentq; hiſtoriam dierum circiter* XVI: *Pompeij videlicet Pompeianorumq; trepidationem: curã in delectu habendo: geſta a Cæſare in Piceno, & in Pelignis ad Corfiniũ: Domitij, Domitianorũq; deditionem; ſolicitudinem Ciceronis, aut potius æſtum, Atticum conſulentis, ſi Pompeius Italia excedat, quid ſibi faciendum ſit: nauigandum'ne cum illo, an in ſuis prędijs manendum: & multa in vtranque partem diſputantis.*

*IN EPIST. I.*

QVÆ ſunt nobis nota. *Noſtri fere* Vobis.

*& videtur melius: vt hæc cauſſa ſit, cur ea a ſe pluribus non ſcribantur, quòd ipſi etiam Attico eſſent nota.*

Si inuitus in eam cauſſam deſcendo. *hoc eſt, ei me cauſſæ eisq́; partibus adiungo.*

## IN EPIST. II.

QVÆ digna diligentia mea non eſſent. *Veteres libri, tum noſtri, tum Petri Victorij* non erant. *ea de cauſſa melius, quòd in tempore modoq́; cum ſentiebas, conſentit.*

Quo modo enim effugere poſſum? *Hæc ſententia, ei repugnat, qua dixit, nihil ſe exiſtimare in eis litteris eſſe, quod reprehenderet: atque vſque eo repugnat, vt neget ſe potuiſſe effugere, quin alicubi offenderet. Porrò nihil eſſe, & aliquid eſſe, diſparata ſunt, & contradicentia, vt nullo modo iungi poſſint. Veteres libri, tum ẽẽ; tum ẽt: tum* enim *habent: ſed locum nihilo magis ſubleuant. Videbatur.* Ea *legi poſſe, deleta interrogationis nota: vt totum ſit.* Nihil arbitror fore quod reprehendas: ſiqua erunt, doce me, quo modo ea effugere poſsim. *Et poſſim quidẽ reſtituimus, ex libro Car: mei, Antoniano, & Octauij quoque Pantagathi.*

Qui magis effugias eos, qui volent fingere? *Hoc dixit meo iudicio. Si tu Attice, qui*

*hoc ipſum*

*hoc ipſum, quod Cęſari reſpondi, amice, atq; in eam ſententiam interpretaris, qua a me factum eſt, ad extrema remedia deſcendis, qui magis, hoc eſt, qua alia ratione niſi hac ipſa, iniquorum meorum calumnias effugiam, ſi uolent fingere, & hoſtili animo agere? Nam contra maleuolorum ſermones, nulla grauior medicina, quam hæc poſſet adhiberi. Vide, an alia a te ratio iniri poßit, ut ea effugiam, ſiqua in me digna reprehenſione exiſtimes. Nam hæc non reſcribendi, ultima eſt, & contra eos qui fingant, ut his materia ſermonis auferatur. Secundis autem perſonis primarum loco, ſcriptores vti ſolere, ita notum eſt, ut ne admonendum quidem fuerit.*

Cuius ego uicem doleo. *Leue hoc quidem eſt: ſed meorum omnium conſenſus facit, ut non ducam negligendum: in eis* Quo ius *ſcribi. de qua ſcriptura, ſupra non pauca diximus.*

Hic tu in me illud deſideras. *Aeque in omnibus inane ſpacium hic & mox relictum eſt. Ego* πρέπον *aut* καλὸν *deeſſe ſuſpicor, vt ad illud Cicero reſpiciat, quod paulo ante dixerat. Nam quod me hortaris ad memoriam factorum, dictorum, ſcriptorum etiam meorum &c. & erit hæc ſententia: Hic tu in me* πρέπον *illud deſideras, de quo tam multa ſcripſimus, idq; tota uita ſeruauimus; & tamen vos interim domi veſtræ eſtis;*

*nemoq; eorum, qui ſe initio adfuturos oſtẽderant, nunc adeſt in hoc bello. Ego tamen de me nihil dico; alij viderint. Illa vero :* Hic quidem quod eſt &c. *ita enim lego ex Faërni libro, non* quæ, *Hoc dicunt. In hac quidem cauſſa, quod eſt* πρέπον, *vos domi veſtræ eſtis.* ἱερονικῶς.

Vbi erit διπλῆ. *Hanc Iſidorus ait a noſtris vſurpari conſueuiſſe, quòd cum verba, quæ illi ex ſacratiſſimis libris, vel interpretanda, vel ad ſua probanda accepiſſent: ab alijs litteris diſtinguerent. Quod hodie quoque in impreſſis libris fieri videmus; niſi quòd verius Antiſigma, quod veteres ad eos verſus adhibebant, vt idem ſcriptum reliquit, quorum ordo permutandus eſſet: quàm Dipla videtur eſſe: Id quod culpa ſcriptorum factum fuiſſe puto, dum commodius Antiſigma, vno quaſi pennæ circumductu, quàm diplam deſcribunt. Teſtari tamen poſſum, in antiquis aliquot libris Magni Baſilij itemq; Gregorij græce ſcriptis, teſtimonia ſacrarum ſcripturarum hac figura 7 quę* διπλῆ ἔξω νενευκῦα *vocatur, non hac* ͻ, *quod eſt Antiſigma, indicata. Nec ſine cauſſa, ex tot notis Diple potiſſimum placuit: cum ea Plato, teſte Laertio,* πρὸς τὰ δόγματα ἀρέσκοντα, αὐτῷ *vteretur. Conſtat autem* διπλῆ *duabus rectis lineis concurrentibus. Propterea lineolam, qua membra diſtinguuntur*

*aut inciſa, ἀπλὴν vocat Victorinus, in ſua Orthographia, ſic ſcribens. Quando diſtinguitis, cum erit perfecta oratio, & ſenſus claudetur, inter nouiſſimam verbi litteram & ſequentis: in ſuperiore parte verſus, punctum ponite, aliud quàm librarius inter duo verba poſuit. Quotiens autem ante diſtinctum mora fuerit neceſſaria, ſimiliter inter duas litteras ἀπλὴν auerſam id eſt, ſicilicum ponite. Si vero fuerit hyperbaton & longior ſenſus; & vos in ima parte verſus, inter duas ſimiliter, vt ſupra, litteras, clarum punctum ponite. Et, ſi priùſquam diſtinctum concludatur, mora iterum fuerit neceſſaria, ἀπλὴν auerſam, id eſt, ſicilicum ſimiliter, in ima parte verſus ponite. Hæc ille. Sicilicum vero lineolam aut apicem fuiſſe, ex Iſidoro licet cognoſcere, qui ſic lib.* I. *Cap.* XXVI. *Sic & vbi litteræ conſonantes geminabantur, ſicilicum ſupra ponebant, vt Sella, Serra, Aſſeres. Veteres enim non duplicabant litteras, ſed ſupra Sicilicum apponebant: qua nota admonebatur lector, geminandam eſſe litteram.*

Sed non ita non meo iudicio. *Liber Carmei.* Sed non tamen ita etiam meo iudicio. *mendoſe & ipſum. Videtur tamen ita reſtitui poſſe.* Sed non tamen ita etiam in eo iudico,

ſpem de ſalute Reip. *ſupple, ponendā eſſe, quēadmodum Atticus putabat: qui ſecus aliquanto, quàm ſolebat ſignificaret: Ciceroni cedendum eſſe, ſi Pompeius excederet. Et vti loci huius totius ſententiam cōplectar: Atticus; Ciceroni auctor erat, vt Pompeium ſequeretur: vel quòd illi ita honeſtum, vel quòd ſpes de Rep. omnis, in illo poſita eſſet: Cui Cicero reſpondit, nec honeſtatem eſſe vllā in hac cauſſa: cum vel illi ipſi, qui ſe principio alacres oſtendebant, nunc pedem retulerint & Pompeius ipſe turpiſſime bellum adminiſtret: quod confirmat Vibullij teſtimonio: vt iam in ipſo ſpes de Rep. reponenda minime videatur: atque ita concludit; nec rectum ſibi, nec honeſtum videri, ſi Pompeius Italia cedat, & ſe cedere. Huic noſtræ coniecturæ, quę ſunt ſupra libri* V I *epiſt. prima, aſtipulantur. Ea hæc ſunt. In Pompeio te ſpem omnem otij ponere, non miror: ita res eſt. Atticus enim plurimum Pompeio tribuebat.*

Poteris ne videre. *Veteres libri omnes.* Poteris ne igitur uidere.

Profecturus eram: ſin de bello, uidero. *Quidam libri,* Profectus, *quidam* Præfectus: *omnes ſine* eram. *Et mox:* ſi de bello quid ero? *& nonnulli,* quid erit? *Et ſane de vulgata, dubitare ſic poſſumus. Quid? ſi non ageretur de pace? num minus erat profecturus? An nuntios*

*expectabat, vt ex eis conſtitueret; vtrũ ſibi eſſet ad Pompeium, nec ne eundum? At, ſcripta ad lucernam hac epiſtola, ſtatim, vt ipſe dicit, erat profecturus. Itaque nonnulli, ſcripturam antiquã ipſi etiam ſecuti, locum ita legunt, & exponunt. Ego* XIII *K. ad Pompeium & ſupplent ibam. Si de pace ageretur, Præfectus, vtique futurus. Sin de bello; quid ero? parum idoneus ad belli munia? Vulgata lectio tamen, ſenſum poteſt habere hunc: Ego ad Pompeium eram profecturus: ſi forte de pace ageretur: hoc eſt viſurus an de pace ageretur, vt eam ſequerer: Sin de bello agetur, mihi ipſe proſpiciam, meisq; rationibus conſulam. Verum vt diximus, antiqui libri* Præfectus, *de quo dictum eſt: aut* Profectus. *quod ſi rectum eſt, ſignificat, ſe Cicero ex itinere ſcripſiſſe hæc. Quo modo item Plautus Aularia.*

*Nunc quo profectus ſum; ibo. pro eo quod eſt. nunc ibo, quo vt irem, domo profectus ſum. hoc eſt, cuius cauſſa domo ſum egreſſus.*

## IN EPIST. III.

VEL fortuna coniungenda. *Vereor, ne ſit ita legendum.* Vel fortuna cum fortuna iungenda. *Nam cum mortalium vita omnis, aut conſilio aut fortuna regatur; videtur Cicero*

*vtrunque complexus; & in vtroque præſentiam & operam ſuam polliceri. Sed hæc ſuſpicio eſt, nulla veterum librorum ope fulta.*

Non futurus ſit ſui iuris. *Tria illa verba.* ſit ſui iuris *in nullo meorum inueniuntur: & tamen placent, etiam ſi ab hoc eodem vſurpata alibi non fuerint. Bruti tamen illa ſunt ad hunc ipſum Ciceronem. An vt eſſet ſui iuris ac mancipij Reſpublica?*

Adde etiam. *Faërni liber, Antonianus, Octauij.* Addo etiam.

Nihil niſi contra conſilium auctoritatemque meam. *Hic auctoritas, idem pene valet quod Conſilium, Cohortatio. quo ſenſu dicere ſolemus. Auctor tibi ſum. quod eſt, ſuaſor.*

Ille prouinciæ propagator. *Vnus Maffei Car: liber, atque is minus probatus (tris enim habui illius)* Prorogator. *nec dubito quin melius: quod Propagare prouinciam, laxiorem reddere aut decernere ſit: Prorogare, diuturniorem: vt hoc ad tempus referatur, illud ad fines ac terminos. atque ita fere, hæc verba vſurpantur. Supra enim lib.* VII *epiſt.* VI. οὐ γὰρ ἂν τόδε μεῖζον, ἔποι κακὸν, *quàm cum quinquennium prorogabamus. Et eodem lib. epiſt.* III. *Cur imperium illi, aut cur illo modo prorogatum eſt? Item. Ne pateretur, quantum eſſet in ipſo, pro-*

*rogari nobis prouincias. Nec me conturbat quod eſt apud Liuium lib. III. belli Punici, in vulgatis libris: C. Terentio Coſ. Propagari in annum imperium, neque de eo exercitu, quem ad præſidium Apuliæ haberet, quidquam minui. In melioribus enim manuſcriptis, Prorogari legitur. Quin, ſi Propagator defendamus, vide ne in ταυτολογίαν impellamus M. Tullium, cum paulo ante dixerit, Ille Galliæ vlterioris adiunctor. Mihi placet Prorogator.*

Sed nunquid hoc peius? *Lego.* num quid *hoc ſenſu. Malæ condiciones erant: ſed num eſt quidquam hoc peius?*

Nulla cauſſa. *Nō quin eſſet boneſta, ſed quòd male inſtituta, & eo deducta, vt parum ſpei eſſet reliquum. Ad apparatum belli, non ad æquitatem reſpexit. Hoc paulo poſt dixit,* ſine cauſſa. *Inuite inquit cepi Capuam, quòd propemodum cauſſa eſſet deperdita, & plane nulla. Cauſſæ vero nomine, partes intelligit, quo ſenſu Lucanus.*

*Victrix cauſſa Dijs placuit, ſed victa Catoni.*

Eum ſi nunc ſequor. *Ego* Eam *fugamq; intelligo: non modo quia ſic habent libri veteres Faërni, Ant: Poggij, Octauij: ſed etiam vt abſurditatem & quandā etiam repugnantiam vitarem, quæ in* Eum, *cū conſequentibus cognoſcitur: cuiuſmodi nulla eſt, ſi* Eam *legamus: Ab initio*

*inquit, vidi, nihil quæri præter fugam: quam ſi nunc ſequor, quó nam? cum illo non poſſum, ad quem cum eſſem profecturus, cognoui in his locis eſſe Cæſarem.*

Ad quem cum eſſem profecturus. *Noſtri habent* Profectus *& minime diſplicet. Nam vt cognoſci poteſt ex epiſtolis ad Pompeium miſſis, iam ſe Cicero cum fratre & liberis vtriuſque in viam dederat. Profecturus enim, propoſitum & conſilium ſignificat, domo ſe commoturi: Profectus, iam commoti. & ſenſus eſt. Cum ad illum iter facerem; cum me domo commouiſſem, vt ad illum proficiſcerer, eſſemq; in itinere: cognoui in his locis eſſe Cæſarem.*

Cum filio, an quo modo? *Maffei. Car: manuſcripti duo,* Aut, quo modo? *ſane duo ſciſcitandi aduerbia, reſpuunt aures meæ: & cenſeo videndum num Romani ſermonis ratio patiatur, vt dicatur: Nauigandum ne eſt mihi cum filio, an nauigandum eſt quo modo? Plane mihi non placet.*

Eſt illa etiam Philippi. *Quæ nam Philippi ratio eſt? non eadem, quæ & Mutij? quiduis eſſe ſubeundum, quàm armatum ad patriæ mœnia accedere? Vide ne Thraſybuli ſit legendum, vt mihi tum dicta ratio, tum quæ duo ſequuntur contraria, fidem faciunt: quorum al-*

terum Mucio, Philippo, Flaccoq́; alterum Thraſybulo conuenit. Seruire tempori cum ſit neceſſe, Mucio & togatis illis; non amittere tempus, Thraſybulo: qui armatus ad patriæ mœnia accedens, occaſionem tenuit excutiendi iugi ab ea ſeruitutis.

In ea parte verba fecerim. *Tres mei, Faerni, Ant. Card. mei.* In eam partem. *Et Hercule, In vtranque partem diſſerere, diſputare, dicere, libentius, quàm in vtraque vſurpamus. Eodem modo proxima ſequenti epiſtola, vbi eſt in vulgatis, Superbum ſe prebuit in Fortuna: in meis, In fortunam legitur.*

Cum cohortibus duabus. *Infra tamen Pompeius ſuis litteris, Cohortes* XIIII *legionarias, Brundiſium miſiſſe ſignificat. vt non abſurdum aut alienum videatur,* legionibus *emenda re. Nam ita in eis. Neque ſubſidio ire poſſum, quod his duabus legionibus, non puto eſſe committendum vt illuc ducantur: ex quibus tamen non amplius* XIIII *cohortes contrahere potui, quas Brundiſium miſi. Has ergo cohortes* XIIII, *eodem quo Pompeius nomine, legiones appellare potuit, etiam ſi plane non erant.*

Summum autem. Summa *fere eſt in meis, eſtq́; ſententia. Et ne dicam plura, ſumma illa eſt, Afranium cum magnis copijs aduentare. Sin*

Ad te litteras dediſſem. *Quatuor mei, Octauij, Card. Rodulfi: Faerni, Antonianus* Litteras ad te Dionyſio dediſſem. *Fortaſſe*, de Dionyſio. *Nam in eo fere totæ conſumptæ. Sed & hæc eo mihi magis coniectura arridet, quòd ſequitur* Ipſe *relatiuum pronomen: ni eius ante mentio facta eſſet, minime neceſſarium, & iacens. Ipſemet Dyonyſius inquit, de quo ad te ſcripſerã, eodem ad nos die, quo de eo ſcripſeram venit.*

IN EPIST. VI.

Quam de nocte daturus eram, ſicut dedi. *Hoc eſt, extrema nocte: cum adhuc nox eſſet. Significat autem proximã epiſtolam, quam ſe ſcribit ante lucem dediſſe. Vnde apparet De nocte, non quamuis horã noctis, ſed partẽ illam quartæ vigiliæ, cum non dum lucet deſignari. Illa vero, Ad multã noctẽ, &, Multa nocte etiam de priore parte dicta ſunt. Idẽ de ſomno Scip. Me & feſſum de via, & quia ad multã noctẽ vigilaſſem, arctior, quàm ſolebat ſomnus cõplexus eſt. Et alibi. Multa nocte veni ad Pompeium: nempe aliquot horas poſt occaſum ſolis. At vero, De nocte, horã illã ſignificat, quæ ſummũ mane pcedit. Hoc præter hũc locũ, qui manifeſtus eſt: etiã duo illi declarãt; qui ſunt partim lib.* VII. *epiſt.* IIII. *partim lib.* IIII. *epiſt.* III. *Prior is eſt. Plane illum ab ſe alienatum, cum antea intelligeret, tum vero proxime*

*iudicaſſe: veniſſe Hirtium a Cæſare, qui eſſet illi familiariſſimus, ad ſe non acceſſiſſe: & cum ille ad* VIII *Id. Decemb. veſperi veniſſet, Balbus de tota re conſtituiſſet ad* VII *Id. ad Scipionem ante lucem venire, multa de nocte profectum eſſe ad Cæſarem. Poſterior vero. Metellus tamen poſtulat, vt ſibi poſtero die, in foro obnuntietur: nihil eſſe, quod in Campum nocte veniretur: Se hora prima in Comitio fore. Itaque ante lucem* XI. K. *in campum Milo de nocte venit. Metellus cum prima luce, furtim in Campum itineribus prope deuijs currebat &c. Et ne cui ſcrupulum inijciat, quòd ante lucem addiderit:* Q. *certe Cicero de petitione Cõſulatus, ſolitarie poſuit, cum ſic ſcripſit. Hoc loco ea dico, quibus multitudinem capere poſſis, vt de nocte domus compleatur. nimirum ſalutandi, deducendi & aſſectandi cauſa. quæ omnia mane fiebant. Itaque, quod eſt paulò infra apud eundem, Domus vt multa nocte compleantur: melius arbitror legi poſſe, Multa de nocte. Ex his facile intelligimus, ne agam pluribus, quam, hæc dicendi ratio, vim habeat.*

Quanti Reip. interſit. Interſit *in nullo meorum legitur: in pleriſque* ſit*: quod video in vulgata fuiſſe, cũ eam quoq; lectionem Linacer agnoſcat, in ſuis, de emendata ſtructura orationis libris:* ſitq́ *Interſit interpretetur; ad idq́; confir-*

*mandũm ex Plauto Columellaq́; duo afferat teſtimonia. Nanq́; ille in Amphit. Quid eſt mea? Hic vero. Non eſt noſtri negotij alterum imperare, alterum docere. Victoriana tamen Editio,* Interſit *retinet. atque ego hanc ſequor, eoq́; magis, quòd* Eſt *Cicero in hoc ſenſu vſurpare non ſolet, & infra Epiſt.* XV. *de eiſdem Pompeij litteris, ad ipſum met ſcribens, eiusq́; verba referens; Magniq́; (ait) intereſſe Reip. ſcripſeras.*

Ad VIII K. Martij. *Ex duobus locis infra, vno ex epiſtola M. Tullij ad Cn. Pompeium: altero ipſius Cn. Pompeij ad L. Domitium, ſatis poteſt eſſe perſpicuum,* XII *legi oportere: niſi ſicui procliuius bis errare, quàm ſemel videatur.*

Nec tegentia hoc &c. *Totum hunc locum, ita concinnare conati ſumus, eadem qua reliqua lege, in quibus exemplaria nobis, nihil opis afferunt.* Nec tegent ea hoc, quod cum fortiter & diligenter, tum etiam meliuſcule modo inijt. *Nam Cicero, qui antea Pompeium ſtupere, ac nihil agere, ſummo cum dolore vidiſſet; poſtea quàm illum dein ex litteris tum Domitij, tũ ipſius, quaſi ſe colligere, ac priſtinæ virtutis recordari intellexit: rurſum in ſpem veniens: Quoniam inquit, adhuc nihil nobis obfuit (res enim adhuc integra quodammodo videbatur, non dum capto Corfinio) nihil illum mutaſſe hoc eſt, mo-*

uiſſe : ſpero etiã ea, ſupple quæ omiſſa ab illo ſunt: non tegent, hoc eſt obſcurabunt : hoc, quod modo, cum fortiter & diligenter, tum etiam meliuſcule iniјt, & facere inſtituit. Deinde ad alia tranſit. Audiui quartanã a te diſceſsiſſe. Spem vero Pompeium ſuis litteris dediſſe, vnde boni recrearentur, ex ea epiſtola cognoſcitur, quæ prima proximam ſequitur: in qua hæc ſunt. Ecce ſubito litteræ Domitij ad illum, ipſius ad Conſulem. Fulſiſſe mihi videbatur τὸ καλὸν ad oculos eius, et exclamaſſe ille vir, qui eſſe debuit &c. Promiſerat enim ſe Domitio auxilio venturum: vnde illa, Hoc tamen ſpero, magnum nomen Imperatoris fore, magnum in aduentu terrorem.

## IN EPIST. VII.

Habeo quem fugiam &c. *Quinctilianus de hoc loco. Domitius Marſus, ſerium dictum partitur in tria genera; Honorificum, Contumelioſum, Medium. & Honorifici ponit exemplũ Ciceronis, quod eſt pro ligario apud Cæſarem. Qui nihil ſoles obliuiſci, niſi iniurias. Et contumelioſi, quod ad Atticum ſcripſit de Pompeio & Ceſare: Habeo quem fugiam, quem ſequar non habeo: & Medij, quod ἀποφθεγματικὸν vocat, & eſt ita cũ dixit: Neque grauem mortem accidere forti viro poſſe: neque immaturam conſulari: neque mi-*

*ſerarí ſapienti. Quæ omnia ſunt optime dicta; ſed cur proprie nomen vrbanitatis accipiant, non video. Sententia autem eo ſpectat. Video Cæſarem mihi eſſe fugiendum, vt exiſtimationi ſimul & ſaluti ſeruiam: Pompeium cur ſequi velim in eoq; ſpem, aut ſalutis noſtræ aut recuperandæ Reip. reponere nihil eſt: ita ἀστρατήγικως eſt effectus, ita pertimuit. Illum vt fugiam, honeſtas facit: hunc ne ſequar, rerum deſperatio.*

## IN EPIST. VIII.

At ille tibi πολλὰ χέρειν τῷ καλῷ dicens. *Demoſth. itidem* περὶ παραπρ. πολλὰ ἐῤῥῶσθαι φράσας τῷ καλῷ Σοφοκλεῖ. *vt ſupra. Sed valeant recta vera, honeſta conſilia.*

## IN EPIST. IX.

Ad quod cùm hortarer. *Noſtri omnes.* Quod cum, *deleta præpoſitione. Quod dicendi genus nec inuenuſtum eſt, nec inuſitatum. Q. Cicero de petitione. Et qui hoc, quod ego te hortor, non modo nõ aſſequi, ſed ne incipere quidẽ poſſint.*

Sed tamen ſigna conturbantur. *Senſus eſt. Vos qui me accuſatis, quòd ſcribens ad Cæſarem, eumq; ad concordiã adhortãs; præter animi mei ſententiam, conſtantisq; ciuis officiũ, quẽ ſcitis, ea quæ ab illo fiunt, non probare, aſſentari viſus ſim;*

Quo referre velimus. *Noſtri fere.* Volumus. Eſſe effectorem volo. *Noſtri,* Perfectorem.

IN EP. GN. POMPEII.

Cn. Pompeius procos. M. Ciceroni Impe. S. *Veteres libri omnes,* Cn. Magnus Procos. S. D. Ciceroni Imp. *Ad quod præſcriptũ, omnium epiſtolarum, hoc libro ab Cn. ſcriptarum ſalutationes, emendandæ ſunt. Parui momenti animaduerſio, ſed non negligenda. Quid enim ſine cauſſa, a veterum librorum ſcriptura recedamus? Quid ſi ille, eo cognomine magis, quàm nomine delectatus eſt? Certe illud virtutis fuit, hoc gentis. ſic in epiſt. proxime ſequenti, ſcribendum. Cicero Imp. Cn. Magno Procos. S.*

IN EP. CICERONIS AD GN. POMPEIVM.

Vt quodcunque tu conſilium præcepiſſes &c. *Senſus eſt. Nos adhuc in his locis ita fuimus, vt non libenter eſſemus, ſed ſemper nauim paratum haberemus, hinc ſi res ferret nauigaturi. Ea enim audiebamus, ea verebamur, vt conſtitutum haberemus hinc euolare, teq; tuamq; fortunam, conſiliumq; ſequi. Nam quando factum eſt tua virtute, vt ſpe firmiore ſimus, ſi putas hæc loca tenenda, ego in eis manebo.*

L. Torquatum virum fortem. *Faerni liber, Ant. Poggij, Lolgij, his amplius,* Nam L. Torquatum. *& duco rectum. Cum enim ipſe negaſ-*

*ſet, præter Eppium, quenquam in illa ora inueniri; ne, contra, Pompeius falſum id eſſe ſuſpicaretur; nemo inquit hic eſt, præter Eppium. Nam Torquatus, qui Formijs erat, ad te, ut quidem arbitror profectus eſt.*

Vidi T. Ampium. Titum, *reliqui mei non habent. vnus* Tampium. *Tampiorum familiam Romæ fuiſſe, Lapis is declarat, qui eſt in noſtris Hortis, Sancti Petri ad vincula, in Equilijs, ad quem me Cornelius Guardius Mantuanus, Contubernalis meus deduxit: vir totius antiquitatis peritus, ingenio iudicioq; ſingulari. Is autem ita inſcriptus legitur.*

*L.* TAMPIO L. L. TAMPIA. L. L.
PAPAE PRIMA.

*Nec tamen quidquam muto: monere tantum volui, cum ſcriptum quoque Tampium inueniatur, non eſſe reijciendum velut peregrinum.*

Cum ad te litteras miſiſſem. *Hac epiſtola Cicero, primum ſe Gnæo purgat, ſi forte, quia ad illud tempus ad eum non veniſſet tergiuerſari aut certe ſegnior viſus eſſet: deinde ex occaſione, hominem ſubaccuſat, quod Italiam deſerat quidq; ille de pace iam inde a principio ſenſerit: denique affert rationes, cur ſuſcepto bello, non ſtatim in cauſam ſe dimiſerit. Et eſt magna arte conſcri-*

*pta; propterea quod, cauſſam ſuam Cicero ita conatur defendere, vt Pompeij non offendat. Primo ergo capite ad ea verba reſpondet, quæ ſunt in extremis Pompeij litteris.* Et celeriter Brundiſium venias. *in quo probat diligentiam in eo ſuam, quod multo ante, quam ab eo litteras, ea de re accepiſſet, certior factus conſilij illius, in viam ſeſe cum fratre atque liberis vtriuſque dederit: cauſſasq; affert, cur eo quo volebat non peruenerit.*

Cæſarem iter habere Capuam. *Primum impedimentum.*

At mihi cum Calibus eſſem. *Altera Cauſſa.*

Interim accepimus tuas litteras. *Nimirum Pompeij proximas. Poſtquam omnia inquit feciſſemus, vt ad te veniremus, non à te admoniti, ſed tantum certiores facti tui conſilij, ex ijs mandatis, quæ tu D. Lælio ad Conſules dederas* IIII *K. Martij denique accepimus tuas litteras, quas tu* X. *K. dediſſes: tam ſero videlicet, vt tu iam Brundiſium veniſſe, Cæſar iter nobis intercludere potuerit.*

Quod cum ita ſit. *Initiũ accuſandi Põpeij.*

Inde ſuſcepto bello. *Quid cauſſæ fuerit, cur ſe non valde in ea cauſſa iactauerit: in quo ita Pompeium pungit, vt eum pudeat ſegnitiæ ſe accuſare.*

Quo quia tibi perexiguo opus eſt. *Ea es enim prudentia, vt ad excogitandum, perexiguo tibi tempore opus ſit. vt minus graue futurũ ſit, hanc cogitationem mea cauſa ſuſcipere. Et ordo eſt, Quo volo explicari mihi &c.*

Sed etiam paulo ſalubrioribus. *Veteres libri omnes & recentes,* Salubribus. *Manutius nunc primum* Salubrioribus *fecit, puto grammaticorum præcepta potius, quam librorum teſtimonia ſecutus. Et ſane crebrius hoc eſt, præſertim vbi poſitio huiuſmodi nulla ſit quę vim comparationis habeat, cuiuſmodi Pręſtans eſt, exuperans, atque id genus alia; in quis ablatiuus ſine vitio adhibetur; ſed tamen non nunquam eſt aliter a ſcriptoribus vſurpatum: vt Terent. Heautont. qui ait. Paulo qui eſt homo tollerabilis. Quin contra idem audacius. Eius (inquit) frater aliquantulum ad rem eſt auidior. Varro quidem, Praxiteles (inquit) propter artificium egregium, nemini eſt, paulum modo humaniori, ignotus. Quanquam hoc quidem, Græcorum more dictum fuiſſe, per defectum præpoſitionis κατὰ, placet nonnullis. Verum & hoc, & illud rarum omnino eſt. Idem aliter Cicero pro Cluentio, Quis enim de homine audeat, paulo maioribus opibus*

*prædito, vere & fortiter dicere?*

IN EP. CN. POMPEI AD M. MARCELLVM ET L. LENTVLVM.

Seu per montes explicare. *Nempe agmen atque ordines; propterea quòd iter ad Corfinium per Samnium, totum fere montoſum eſſet, & ad Caſtra facienda ordines'ue explicandos minime aptum.*

Etiam video C.Marcello. *Noſtri, cum Manutianis conueniunt.* Altia video cenſeri Marcello. *Quæ eo pertinent, vt ipſius iudicium, meorum quoq; teſtimonio probé. Vtrum uero, Marcum'ne, qui conſul cũ Sulpicio fuit, an Caiũ, qui cũ Paullo ꝓximo ſuperiori anno, fallax diuinatio eſt.*

Vale. valete, *vnus e meis habet. Quod verũ eſſe, illud etiam declarat, quòd litteræ conſulibus miſſæ ſunt, aut certe duobus.*

Cn. PompeiusProcos. *Noſtri* Cn. Magnus Procos. *vt ſupra. ſic ſequenti epiſtola.*

IN EP. CN. POMPEII III AD DOMITIVM.

Quod inter ſe, ne noti ſunt. *Faerni liber, et Ant.* Ne quidem noti ſunt. *Romanus,* Ne noti quidem ſunt. *Nec dubito quin melius, certe vſitatius. Omnes tamen.* Quod. *Mallem* Qui.

IN EPIST. XIIII.

Poſt meridiem profectum eſſe, quo Canuſio &c. *Noſtri, poſt Profectam*, Id eſt feralibus, *habent: & quidam omnes: ſi repugnantia in temporibus nulla ſit, non male. Verum cum ex epiſtola prima libri* IX, *planum ſit, Canuſio* VIII *K. Martij deceſſiſſe Pompeium; Feralia porro dicantur fuiſſe* XI K. *non video, quo modo retineri lectio iſta poſſit. Et ne ſuſpicemur ibi mendum eſſe:* X K. *Pompeius Canuſij erat: quo die, vt ſupra vidimus, litteras ad Ciceronem dederat. Itaque gloſſema arbitror eſſe, Feralia tamen, vt Varro ait lib. de lat. ling.* V. *ab Inferis & ferendo dicta ſunt: quod ferunt tum epulas ad ſepulchrũ, quibus ius ibi parentare.*

Modo eſſe in Tiburti aut Lepidi. *Pluſcula verba deſint neceſſe eſt: Nam & Modo, alterum Modo deſiderat: & illa. Quod item falſum eſſe video, improbatum aliquid antea, præſeferunt. Itaque locum hic coniectura non habet.* In Tiburti *vero, pro In Tiburtino, quanquam rarius eſt, vſurpatum tamen non nunquã inuenitur a ſcriptoribus. Caſſius Hæmina in* III *Annalium. In cãpo Tiburti, vbi hordeum demeſſuerũt.*

Pecuniam Domitio ſatis grandem. *Nimirum Seſtertiûm ſexagies. ita enim libet interpretari, quod eſt apud Cęſarem, Commentario bel*

*li Ciuilis primo.* H·S L X, *Quod aurum adduxerat Domitius, atque in publicum depoſuerat, allatum ad ſe, ab Duumuiris Corfinienſibus, Domitio reddidit. Vbi ſi* H·S *ſexaginta legas, perexigua erit pecunia. Atque hęc, prater alia, magno mihi argumento ſunt, vt ijs aſſentiar, qui Corfinij, pro Coreni legendum eſſe putant.* Locus in Commẽt. Cęſaris emendatus. & illuſtratus

IN EPIST. XV.

Et quemadmodum redeuntem. *A communi verbo Expectas. Itaque ſupra diſtinctio illa poſt Cæſare, delenda eſt, a ſcribendumq; Comma. Diſtinctionem autem voco, ſilentij notam, ſenſum terminantem, quàm Græci θέσιν appellant: quæ ibi locum non habet: Proximus porro ſenſus,* In altera epiſtola uideo te ſcire ita eſſe. *vbi &* Id altera epiſtola *legitur in Anto. & alijs; interiectus videtur eſſe, quaſi parentheſis; refertque Vibullium non eſſe viſum a Cæſare. Quod inquit, priori epiſtola ignorare de Vibullio videbaris, id ex altera intelligo te ſcire, non eſſe viſum a Cęſare.*

Et aut Hemonis fugam tendis. *Ingens lectionũ varietas, coniecturã mihi facit difficilẽ. Nã &* Haut hac mois: *&* Aut ad Hemonis *&*, Tu ad Hemonis; *&* Ait Hemonis, *legitur. Antonianus,* Hæmonis, *qua de Orthographia non male; ἅιμων enim ſcribitur Gręcis: qua de*

*reliquis, nihilo melius. Et tamen ex hac varietate, illa mihi ſcriptura minus improbanda, elici poſſe videtur: de qua quiſque pro ſuo ingenio iudicabit: hæc videlicet. tu autem Hæmonis fugam tendis. Vel, ad Hæmonis fugam intendis. Intendis enim habet Faerni liber. Hoc eſt. Tu autem in Epirum nauigare cogitas, & ab his rerum tumultibus, te ſubducere: quemadmodum e bello Thebano Hæmon aufugit. Sit autem, Fugam intendere, aut Ad fugam intendere, dictum puto, vt Iter contendere pro Roſcio Amerino, idem Cicero dixit. Cogitaſſe autem Atticum in Epirum diſcedere, ex prima epiſtola* IX *libri, cognoſcitur, in qua ita ſcribitur. Tu quid cogites de tranſeundo in Epirum, ſcire ſane velim.*

Et ignoras, Domitius cum faſcibus ne ſit. *Dicta de nouo exordio ſunt hæc: incitatiusq; pronuntianda, & cum nota, quæ Interrogationis nomen obtinuit, ſed eſt tamen etiam admirantis. Hoc Et illud declarat, græcum* εἶτα *ſignificans. Sic idem alibi Cicero. Et dubitari poteſt, quin ille ſeu victus, ſeu victor redierit, quin cædem facturus ſit?*

Quin Cæſari præſto futuri. *Parati ad eius imperium.*

Vel, quo modo nunc eſt, tranſierunt. *Sententia eſt: Eo progreſſa res eſt, vt putare*

*poſſimus tranſiſſe, etiam ſi non tranſierunt. quod eſt, omnino tranſibunt.*

*In Balbi Epiſt.*

DIGNISSIMAM tuæ virtutis. *Rarũ ne dicam ſingulare, vt Dignus in genitiuum feratur. Diomedes tamen in primo libro ſuæ artis grãmatices, de his quæ diuerſis caſibus iunguntur ſcribens, latinos tradit, Dignus hac re, atque huius rei dixiſſe: idq́; poſterius, græcorum imitatione, qui ἄξιός εἰμι τούτου πράγματος, dicunt.*

Plurimum valituram. *Poggij liber: Maffei omnes.* plurimum apud eum valituram.

Vt conſueueramus. *Plerique* Conſueramus. *Et mox.* Etiam atque etiam *pro* Etiam & etiam. *& eſt ſane crebrius.*

Bellißime ſcripſiſſe. *In noſtris item vt in Manutianis*, Velis ſumme. *In Antoniano tamen* bellißime. *& tamen emendationi Manutij magis faueo.*

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Atticum, EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

## Argumentum libri IX.

C ONTINETVR *item hoc libro Cnæi fuga Brundiſium, atq; inde in Macedoniam trāſmiſſio, quæ fuit Idibus Martijs, præmiſſis antea Conſulibus L. Cornelio Lentulo, et C. Claudio Marcello, cū omnibus pæne magiſtratibus, cunctoq́; Senatu: æſtus animi ægritudoq́; Ciceronis, Atticum conſulentis, cum Pompeius Italia ceſſerit, quid ſibi faciēdum ſit: redeuntemq́; Cæſarem a Brunduſio, quo Pompeium fuerat perſecutus, expectare ne debeat; & quo maxime in loco, quo vultu ſermoneq́; excipere: denique congreſſus ipſe cum Cęſare, & vtriuſq; diſceſſus. Quæ omnia acciderunt diebus paulo plus viginti. Nam quotidianę inter eos erant litteræ.*

IN EPIST. IIII.

Εἰ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα, μὴ αὐτὸς ἄρθηται. Vereor, ne τῷ καταλύοντι ſit legendum. Neque enim γενικῶς Cicero, canendum eſſe dicit, ſed ei priuatim, qui Tyrannidem auferre velit, ne ipſe tollatur: hoc ſenſu, An ſatis cauſſę ſit, ei qui Tyrannidem velit deſtruere ne hoc ipſum præſtet, propterea quod vitæ ipſe periculum ſubeat. Sed me illud magis perturbat, quod ἄρθηται ſcriptum eſt; cum ab ἤρθην indefinito, ἐὰν ἀρθῶ, ἀρθῇς, ἀρθῇ. fiat, vt ab ἐτύφθην; ἐὰν τυφθῶ, τυφθῇς, τυφθῇ. Τύφθηται dici non arbitror. Itaque in impreſſis non nullis, atque etiam in manuſcriptis, μὴ αὐτὸς τὶ πάθῃ qua dę grammatica recte, qua de ſenſu, turpiſſime. Si enim ferendum vix eſt, a tam egregio facinore, mortis metu deterreri: quis ferat in dubium vocari, an ceſſandi ſat iuſta cauſſa ſit, nequid ipſi patiamur? Itaque placet ἀρθῇ.

Εἰρήνῃ μᾶλλον ἢ πολέμῳ; Cum duobus modis locus hic exponi poſſit, vno ἀντὶ τοῦ ἐν εἰρήνῃ, & ἐν πολέμῳ: Altero διὰ τῆς εἰρήνης, καὶ διὰ τοῦ πολέμου: vtrocũq; modo accipiatur, θέσις ridicula eſt. Quis.n.neſcit, ęque et pacis tpe et belli, patriæ ſuccurrẽdũ eſſe? Quænã quęſtio hęc eſt? et quo ꝑtinet? Porro pace patriæ ꝓſto eſſe, q̃d ſibi vult? et q̃s vnquã ita eſt locutus? Quare nõ dubito, q̃n mẽda

*ſit, in εἰρήνῃ. Corradus, pro eo, καιρῷ καὶ λόγῳ inueniri teſtatur: non rectum illud quidem, ſed a recto forſitan, non multum abhorrens. Quid enim ſi καιρίῳ λόγῳ μᾶλλον, ἢ πολέμῳ; Nam καίρια λέγειν, Græcis probatum eſt: vnde vulgatum illud: πολλάκις καὶ μωρὸς ἀνὴρ, μάλα καίριον εἶπεν.*

*IN EPIST. V.*

Venit ad me etiam Q. Fuſius. *Antonianus, & alter Maffei Car.* Fuſius. *atque ita recte ſcribi, ſupra docuimus.*

Cur tum. *Vnus Maffei* Qui enim. *rectum puto* Qui tum. *apparet ſcriptorum oſcitatione* Eum *eſſe factum.*

Quid enim negem? *Veteres libri omnes. Quid enim hoc negem?*

Hoc deſendente. *Quæ proxime ſequuntur, manifeſto ſignificant grauius quid dictum fuiſſe, aut dicendum eſſe: neque tamen huiuſmodi, vt iniuriæ magnitudinem plane declaret. In* Deſendente *vero, non ſolum contumelia nulla eſt, ſed ineſt etiam laus. Hoc videns Petrus victorius, ex ingenio,* Non deſendente *correxit, hiſtoriæ conſentanee; Nos exiſtimamus,* Deſerente *poſſe legi. Quod quamuis graue ſit, potuit tamen dici,* Prodente, *quod eſt longe grauius. Niſi forte, ad Afflixit referenda ſunt, &. Hoc deſendente, cum ſtomacho & ironia proferenda.*

IN EPIST. VI.

Qvæ Albæ fuiſſent. *Albæ Fucentis, vt appellat Soſipater: credo vt a Latina diſtingueret. Fuit autem Marſorum oppidum: a quo* τὸ ἐθνικὸν *Albenſes, vt ab illa quæ eſt in Latio, Albani. Varro de Lingu. lat. lib.* VII. *Cum duæ albæ ſint, ab vna dicantur Albani, ad altera Albenſes. Fucentem porro hanc vocauit Soſipater, quod Fucentibus finitima fuerit: de quibus in* IIII *Italiæ regione Plinius. Marſorum, Auxatini, Atinates, Fucentes, Lucenſes, Maruuij; Albenſium Alba, ad lacum Fucinum.*

Ad Curtium Minucia. *Quinque mei* Ad Curium, *quo modo a Cæſare vocatur, primo libro Belli ciuilis: & totidem fere* Numicia. *vt iam Corradi opinio firmior ſit, tot veterum librorum teſtimonio probata. Minucia enim, Romæ porta fuit, auctore Feſto, dicta ab ara Minucij, quẽ Deum putabant: fuit item familia, de qua Cicero in Prætura vrbana. De via nihil habeo cõperti.*

In Arpinum hoc tempore abdam. *A noſtris abeſt Præpoſitio* In. *recte. de qua re ſupra copioſius.*

Qua facta uolebam vt populari, vt ea &c. *Liber qui erat apud Octauium Pantagathum,* Videbam. *vnde vir ſummo iudicio, vbi eſt,* vt ea, vt mea, *legendum cenſuit: illo ſenſu. Facta*

*compoſitione, fore vt ſua ſenectus, ſolicitudine liberaretur: quod ea compoſitio & popularis eſſet, & ſua: hoc eſt, ſe hortatore & ſuaſore facta. Valet autem vt, vtpote.*

*In Epiſt. Cæſaris, ad M. Tullium.*

NEQVE audire me commode potuiſſet, cum properarem &c. *Vſque adeo incommode hic, a prima perſona ad tertiam tranſitur, vt mul to malim eam ſequi lectionem, quam in Antoniano, Lolgiano, & Maffei duobus inueni huiuſmo di.* Neque audire meo commodo potuiſſem; properarem, atque eſſem in itinere. *in hoc tan tum libri deficiunt, quod* Me *ſcriptum habent: ſed* Meo *reponendum eſſe, reliqua docent.* Cum *in nullis reperitur, nec eſt neceſſarium.*

IN EPIST. VII.

A QVO diligi me. *Ant. & Faërni.* a quo & diligi me. *trita dicendi ratione.*

Quo modo in tanta inſania? *Delenda eſt rogandi nota, vt ſenſus ſit: Sana mente ſcriptas, quo modo in tanta inſania ſcribi potuit. vt non prorſus ſana mente ſcriptas affirmet: ſed præ inſania illius, ſana mente.*

Cur non honeſtiſsimo depaciſci velim? *Antonianus & aliquot alij,* Depeciſci. *Atque*

*ita legendum non nulli putant ex Terentiano Bębi exemplari, qui in Phormione ſic habet. Iam depeciſci morte cupio. In Pandectis quidē Florentinis, Depectum legitur, pro eo quod vulgo Depactum. Forſitan vt a Partior Impertior: ita a Paciſcor, Depeciſcor fit.*

Iuſta defenſio eſt explicita. *In pleriſq; meorum,* Explicata. *Quæ ſcriptura, cum his conuenit, quæ a Diomede primo libro traduntur. Explicaui a Cicerone declinatum eſſe ab Explico. Quin infra lib.* x. *Meas cogitationes omnes explicaui tibi ſuperioribus litteris. Sed & Gellius libro primo, de eodem M. Tullio ſcribens, Explicauit (inquit) dicere maluit, quam explicuit, quod eſſe iam vſitatius cœperat. Verba ſunt hæc ipſius in exhortatione, quam de Imperio Cn. Pompeij habuit. Teſtis eſt Sicilia, quam multis vndique cinctam periculis, non terrore belli, ſed conſilij celeritate explicauit. At ſi explicuit diceret, imperfecto & debili numero verborum ſonus clauderetur. Hæc Gellius. Idem tamen Cicero in Piſone. Quid auaritiæ, quæ criminibus infinitis implicita eſt, ſummam explicem? vt affirmare poſſimus, vtraque voce Tullium vſum fuiſſe, frequentius tamen in Aui. Neque Priſciano aſſentior, qui libro* I X *ait, Plico cum præpoſitione in vi diuiſas; crebrius præteritum facere, quam Aui. Ego quantum*

*obſeruare potui apud M. Tullium, delectatum illum animaduerti, reliquorum ſequi analogiam, Explicauiq́; libentius dixiſſe, quã Explicui. Quin cum Grammatici ab aliorum numero ſex alia excipiant, quę omnino in vi faciant: Sono, Tono, Domo, Cubo, Crepo, veto: ipſe tamen Increpauit ac Diſcrepauit dixit: ſicut & Horatius. – Atque Os Magna ſonaturum. Et, Et eo is intonata fluctibus. Summa tamen hæc eſt. Hæc quatuor compoſita, Applico, Complico, Explico, Implico, duplex habere pręteritum duplexq́; Supinũ: Reliqua in Aui & Atum ſolum. vt Duplico, Triplico, Replico, Supplico.*

Vt dum agamus. *Valde ſuſpicor, ne* Vagamur. *ſit rectum. Nam neque de triumpho agendi, idoneum tempus erat; eamq́; curam dicit ſe libenter abiecturum: & epiſtola* 1 x, *oct. lib. hunc in modũ ſcribit. Ego Arpini volo eſſe Prid. K. Martij: deinde circa Villulas noſtras errare, quas viſurum me poſtea deſperaui. Et epiſt.* 1 1. *Vagamur egentes cum coniugibus & liberis. Nec eo noſtra coniectura minus eſt firma, quod Cęſarem Formijs expectare decreuerit.*

Et ſi quid te horum fugit. *Liber Maffei atque item Octauij, notam interrogationis appictam habent: vt ſit quaſi recorrectio διὰ μέσου. Mitto quod proximo ſuperiore verſu,* Tollera-

bilis

bilis *ſcriptum eſt in vetuſtis libris,pro* Tollerabiles *cuius generis, innumerabilia ſunt: vt nulla fere pagina ſit, in qua non horum aliquid inueniatur.*

Sciri ab ĳs non profectis. *Faerni liber,*non profectos, *quo modo placet Manutio corrigendum eſſe:neque nos diſſentimus.*

Cenantibus Prid.Id. nobis. *Antonianus & aliquot alij,* II *Id. vt intelligamus idem eſſe quod Prid. Id. poſteaquam priſci illi, vtro modo id ſcriberent, non laborabant. Neque cum ĳs ſentio, qui illud Ciceronis eiuſdem ad Ligarium, libro Epiſtolarum ad Torquatum: Ego idem tamen, cum ad* II *K. intercalares priores, rogatu fratrum tuorum, veniſſem mane ad Cæſarem &c. ad ſecundũ Kalẽdas cẽſent efferendũ. Quãdo.n.vnquã Secundo Id. aut Secundo K. oĩbus ſuis clemẽtis ſcriptũ inuenerunt, vt Decimo, & Nono, atq; huiuſmodi? Placet igitur vt* II, *Pridie valeat, modoq; ſuis litteris, modo numerorũ figuris ſignificetur.*

De L. Torquato,quid modo quæris? *Ant. & Maffei.* De L. Torquato, quod quæris, *deleta rogandi nota, &* Modo *extrito: quod quã iaceat, nemo eſt, quin ſentiat.*

*In Epiſt. Cæſaris ad Oppium & Cornelium.*

VALE. *Noſtri* Vale *neque hic neque alibi*

-fere habent, vt non neceſſe fuerit Valete emendare. Atque ex huiuſmodi locis cognoſci poteſt, quā imperiti non nūquam librorum ſcriptores fuerint, qui de ſuo, hoc neſcio quid addentes, in ſolœciſmum inciderint.

In Epiſt. Balbi, ad Ciceronem.

SVBITO poſteaquam. Omnes ſub poſteaquam, quod & Petrus victorius, in ſuis habuit. Quis ſcit an antiqua vox fuerit, aut duæ, quibus ſignificaretur, paulo poſt, quam: vel ſtatim vt dedi?

Sua conceſsit bonitate. Bonitate placet, ſed libri veteres omnes, habent Voluntate: quod & ipſum reprehendi non poteſt, vt ſua voluntate ſponte, ultroq́; aut certe libenter ſit.

Rurſus tam abiectam. Anto: tam obiectam. Ego, Iam abiectam. Principio enim homines ſperarunt fore, ut aliquid inter eos conueniret: ſed eò deinde progreſſa res eſt, ita ad arma uterque incitatus, ſpes ut iam nulla uideretur eſſe compoſitionis. Nunc Balbus humanitate & clementia Cæſaris commotus, in ſpem pacis, quam omnes uidebantur abieciſſe, rurſum uenit. Locus oportunus fuit ad corruptelam, unius tantum litteræ, atque eius perſimilis mutatione facta.

*In Epiſt. Balbi & Oppij ad Ciceronem.*

NOS niſi id, quod noſtro iudicio &c. Id, *noſtri fere non habent. & plane abundat, cum ſequatur,* Id eum factum &c. *Sed tamen* πα*ρέλκου huiuſmodi, uſitatum eſſe priſcis ſcriptoribus, ſupra docuimus.*

## IN EPIST. VIII.

TRES epiſtolas tuas accepi &c. *Veteres libri omnes,* Tris *atque ita ſcribendum eſſe, ſatis longa oratione ſupra demonſtrauimus. Sed & Cornelius Fronto, de nominum uerborumq; differentiis, Tris (inquit) in accuſatiuo caſu: Tres in nominatiuo & Vocatiuo.*

Plaboq; ut antea. *Faerni liber.* Prælabor. *Ant:* Plabo que. *Lolgij* Laboq;, *alius alio deterius. Ego cum me ad ea quæ antea ſcripſit refero, uideo poſſe legi. Aſſentio tibi, ut in Formiano potiſſimum commorer: etiam de ſupero mari: palpoq;, ut antea ad te ſcripſi, ecquo nā modo poſſim &c. hoc eſt, blanditiis tento. Dicitur enim Palpor & Palpo.*

Secus ab eo in me ipſum facta eſſe non memini. *Subdiſtinctio poſt* eſſe *adſcribenda eſt. Quin inquit, quæ ab eo in me ipſum facta fuiſſe ſcribis, oblitus ſum, ac meminiſſe nolo. Secus uero,*

*valet aliter : ſed plena locutio eſſet, ſi, quam oportet, aut quid tale adderetur. Plautus in Cæco, vt eſt apud Soſipatrum. Nihil feci ſecus, quàm me decet. Hoc eodem ſenſu dictum eſt ſupra lib.* I I I. *epiſt.* X X. *Quod me veteres quicquam ſuſpicari accidiſſe ad animum tuum; quod ſecus a me erga te commiſſum, aut prætermiſſum videretur &c. Secus illum, pro iuxta illum, Soſipater barbarum putat.*

Feſtiuo enim ſimiliurus decurro &c. *Fortaſſe: Feſtino enim ſimilis rus decurro: illo ſenſu: Ego vt iubes curas abijcere, meq; colligere contendo: rusq; meum angore ſolutus obeo, currenti ſimilis: inq; ipſo curſu, θέσεις meas commentari non deſino. Hæc nunc habeo quæ tantiſper feram, dum melius inueniatur. Veteres libri, partim* ſimillimus: *partim* Simulaturus: *Pleríque cum vulgatis conueniunt. Ad hæc, Alij* Feſtino, *alij* Feſtiuo. *Denique nonnulli,* indecurſu. *Quidam* At quo curſu.

Diſceſſu etiam illorum. *Plerique meorum, vt Victoriani,* Diſperſu. *Faërni* Diſperſione. *Sed vulgatam ſequimur, cum & ea in veterum non nullis inueniatur: nec tamen Diſperſu, reijcimus.*

Tyro, Sidone, Andro. *Emendamus* A-

rado *& ex vetuſtis libris, & ex ordine deſcriptionis. Sunt enim finitimæ inter ſe Tyros, Sidon & Arados; nomenq́; ei regioni dederunt, quæ in Phœnice, Tripolis appellatur. Strabo lib. XVI. Poſt Orthoſam & Eleutherum, Tripolis eſt: quæ nomen a re ipſa accepit. Tris enim vrbes habet, Tyrum. Sidon & Aradum.* Eadem ordinis ratio, hoc in loco a Cicerone ſeruata, facit, vt etiam ſuſpecta mihi ſit vox, Colchis, pro qua quid reponam non habeo. Sed & Colchi erant, propter diſtantiam ad contrahendam claſſem minime oportuni: & Cæſar, in eadem Pompeij claſſe deſcribenda, lib. III. *Colchorum non meminit. Magnam (inquit) ex Aſia, Cycladibusq́; inſulis, Corcyra, Athenis, Ponto, Bithynia, Syria, Cilicia, Phœnice, & Aegypto claſſem coegerat.* Nec ſuſpicioni noſtræ repugnat, quod eſt ſcriptum epiſtola proxime ſequenti. *Me quem non nulli conſeruatorem iſtius vrbis, quem parentem eſſe dixerunt; Getarum & Armeniorum & Colchorum copias ad eam adducere?* Potuit enim copias inde etiam accire Pompeius, vt nauibus eorum vſus non fuerit. Plurimum enim valet apud me, regionum locorumq́; in reliquis ſeruatus ordo. Fortaſſe Cyrenis legi poſſit: quę quanquam paulum ab ordine diſcedant, ea tamen in-

*ſituq; ipſius,hunc in modũ Strabo lib.*v.*Poſt Albanum montem vrbs eſt Aricia in Appia via,ſtadijs* C L X *a Roma diſtans. Cauus autem cum ſit locus, habet tamen munitam ſummitatem: cui quidem ſuperinſidet Lanuuium Romanorum ciuitas, in Appiæ viæ dextra: a qua proſpectus eſt maris & Antij. Itaque mirũ non eſt, ſi tantopere illud prædium expetitum fuerit a Cicerone. Valde enim his locis delectabatur.*

23 Sed etiam deliciam digamma viderem.) *Faerni liber, Antonianus, Car. Rodulfi, Maffei* Delituum digamma videram. *minus deprauate, ſi modo ex Delituum, Deli tuum, diſſecta voce fiat. Vt Delicium non probem illa verba faciunt, Neque ſolum Romæ, quæ alind loci nomen plane deſiderant. Et vero, cum Athenas diu coluiſſet Atticus, quid mirum, ſi in Delo prædia habuit, cum vel in Aſia & Africa, Romani ciues haberent? Dixit autem Deli, non in Delo, quo modo lib.* V. *Delum venimus: quod Inſula eſſet cum oppido eiuſdem nominis. In Digamma opus ac labor eſt. Nihil enim ad id, quo de agitur; niſi codicem ſignificet, Digamma ſignatum; quem Atticus a littera illa, Digamma vocarit. Ingenioſi quidam, ita emenmendant.* Deli rurum iura videram: *hoc eſt, quo modo tu rationem prædiorum tuorum,*

*cum villicis inſtituiſſes : vidiſſe autem tum, cum Delum appulit, in prouinciam nauigans. Itaque libro* v. *epiſt.* x i i. *vbi eſt,* ἀκρατηρέων *iura; illi,* ἀγροτηρέων, *emendant. id eſt, agrorum cuſtodum, nempe Villicorum : ea enim, vel iuſſu Attici recognouiſſe, vel ſua ſponte, quo ipſe minus earum rerum peritus, illum imitaretur. Sed eorum mihi verecundior emendatio viſa eſt, qui malunt* Diagramma, *quod eſt formula quædam & tabula, in qua quid ſcriptum ſit: quales expenſi relati & accepti, tabulæ ſunt. Vtitur hac voce Galenus, ſecundo libro de tuenda valetudine. Sed ego quid fugiam magis, quàm quid ſequar habeo.*

Egi per prædem, illi daret. *Quid? ſatis venditori cautum non fuit præde, vt rem emptori concrederet : niſi, ipſimet prædi, quo ad ſoluta res eſſet, quaſi depoſitum traderet? Id mihi prædi cogitandum fuiſſe, non venditori videtur. Ego cum manuſcriptis libris, Antoniano, Faërni, Poggij, Maffei omnibus,* Ille *malim legere, hoc ſenſu. Ego hortos a Thamea H-S Q. emere volui : & vt eo, libentius deſcenderet: egi per ipſum prædem, mihi ille ut daret. Noluit. Ita enim dicimus, Egi daret, vt, Egi vt daret.*

Sed expecto tuas. *Faërni liber, Poggij, Maffei :* Alias. *quod aperte rectum. Nam, cuius*

*epiſtolis reſponderit, eius non poteſt epiſtolas, niſi alias expectare. Si* tuas *retineamus, hæ quibus iam reſponſum eſt, non videbuntur Attici fuiſſe.*

## IN EPIST. IX.

Alienantur immundæ. *Sebaſtianus Corradus, inueniri dicit in vetuſtis libris,* alienant. *vt ſit, Immundæ alienant homines ab ſe amādis. Ego in omnibus,* alienantur *repperi: & tamen, & cō ſtructione offendor inſolentiore, & quod ſimilitudo in priori membro paſſiua, in poſteriore actiua, & rarior eſt, & ſenſum perplexum facit & obſcurum. Quanquam quod attinet ad conſtructionem, videri poteſt Cicero, Græcos ſecutus, qui* ἐκείνοις ἀλλοτριοῦνται *dicunt: &* ἀλλοτριοῦνται τῇ ἀκαθάρτῳ.

Alia res nunc tota eſt alia mea. *Maffei libri omnes, Poggij, Alia* mens mea. *Mihi vulgata potior eſt; eoq; magis; quòd & ipſa veterum librorum auctoritate non caret. Non confert rem ſuam cum tota, ita vt diuerſam dicat eſſe ab illa: ſed eandem eſſe ſignificat, planeq; cum ea coniunctam. Dum inquit Pompeius in Italia fuit, atque idcirco ſpes fuit aliqua pacificationis: viſus ſum mihi ſine hominum ſermone, bello abſtinere potuiſſe præſertim quòd ætas mea iam deuexa, otium mihi dulcius faceret. Nunc quando Pom-*

*peij diſceſſu, alia Reip. cauſſa facta eſt: facta eſt & mea, vt iam mihi turpe ſit, non hinc euolare. Itaque, ſi vel periculo experiũdum erit, experiar certe, vt hinc euolem.*

Qui enim finis peregrinationis? Quæ enim finis *manuſcripti omnes, Maffei, Anto. Faerni, Octauij, reliqui. Sic virg. lib.* II. *Hęc finis Priami fatorum. Quo in loco Seruius, omnia nomina (inquit) inanima ſimplicia, a verbo non venientia in Nis ſyllaba terminata, maſculina ſunt. Inanima, propter Cinis: Simplicia, propter Bipennis: a verbo non venientia, propter Finis, dictum eſt. Item de ling. lat. Varro lib.* VIII. *Quod ad vniuerſalem pertinet cauſſam, cur ſimilitudo & ſit in oratione & debeat obſeruari, & quam ad finem quoque, ſatisdictum. Et lib.* IIII. *Sed quæ cognatio eius erit verbi, quod radices egerit extra finis ſuas, perſequemur.*

Summo etiam periculo facies. *Antonianus,* Facias, *& placet.*

Lentulum noſtrum ſcis Puteolis eſſe. *Epiſtolæ initium eſſe alterius, dies, paulo poſt inſcriptus, plane docet. Proxima enim epiſtola, poſtridie liberalia, qui dies eſt* XV *K. April. data eſt. Fuerant enim illa* XVI *K. vt ex Ouidio apparet, Faſtorum lib.* III *ita ſcribente,*

*Tertia poſt Idus lux eſt celeberrima Baccho*

*Liberalia enim dicta ſunt, auctore M. Varrone, quod per totum oppidum eo die, ſederent ſacerdotes Liberi; hedera coronatæ anus, cum libis & foculo pro emptore ſacrificantes. Significari autem hanc diem illa declarant.*

*Vna dies media eſt, & fiunt ſacra Mineruæ*
*Nomina quæ a iunctis quinque diebus habent.*

*Conſtat autem Quinquatrus, quę deſcribuntur à Poeta, XIIII K. April. incœpiſſe celebrari; vt, inter Liberalia & Quinquatrus, vnus intercederet dies, quo proximæ ſuperiores litterę, vt diximus datæ ſint. Itaque illarum initio, Nihil habebam (inquit) quod ſcriberem; neque enim noui quidquam audieram: & ad tuas omnes reſcripſeram pridie: nempe Liberalibus hoc eſt XVI. K. Quo in loco Pridie, valet Heri, quemadmodum alibi. Pridie quam has litteras dedi, Conſules conueni. Scribebat autem illas poſtridie, quam Conſules conueniſſet. Ergo cum hæ, a. d. XIIII, illæ a. d. XV. ſcriptæ ſint, dubitari non debet, quin diſiungendæ fuerint.*

Venit etiam ad me Matius Quinquatribus. *Recte mihi videtur Manutius* Quinquatribus, *gloſſema putaſſe: ad diem* XIIII *K. Apr. Illud tamen quam recte neſcio, hanc epiſtolæ partem, non eodem ſcriptam fuiſſe die. Potuit*

*enim Matius* x v K. *ad Ciceronem venire: Quid ni? & pridie eius diei, qui erat Liberalibus, Craſſipes: poſtquam videlicet mane dediſſet litteras, quæ incipiunt, Tris epiſtolas tuas.*

Quid enim tu illuc Scipionem. *Antonianus & Romanus,* Illic, *hoc eſt, in ea parte. puod placet.*

In ciues effecturos. *Veteres libri,* Ciuis. *Et paulo ante,* minacis, *&,* hoſtis. *pro minaces &* hoſtes. *idq; eſſe rectum, arbitror nos ſupra demonſtraſſe.*

## IN EPIST. CIC. AD CÆSAREM.

Et pacis vtriuſque veſtrum. *Ego legendũ puto.* Et ad pacem, *repugnantibus quidem, fateor: & manuſcriptis & impreſſis omnibus, non tamen vſquequaque. Nam Timothei exemplar,* Et ad pacis, *habet, non leuiſſima coniectura, pacem aliquando fortaſſe ſcriptum fuiſſe. Senſus quidem certe elgans eſt, & dicendi ratio non infrequens.*

Eius litteris lectis. *Veteres libri,* Lectis eius litteris.

## IN EPIST. X.

Ecce eadem a Matio & Trebatio. *Noſtri omnes,* Ecce autem a Matio & Trebatio eadẽ.

Sed illum vleiſcentur mores ſui. *Pro Sylla tamen, reciproci loco, demonſtratiuo vſus eſt pronomine, ſic ſcribens. Huius ſi cauſſa non maniſeſtiſſimis criminibus teneretur, tamen eum mores ipſius ac vita conuincerent. Nec deſunt Grãmatici, qui hoc rectum putent; quia ſubſtantiuũ reciproci, reſpiciat ad obliquum, qui a verbo regitur: illa tamen dicendi ratio frequentior eſt. Idem in Piſonem: Sua quenque fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia, de ſanitate & de mente deturbat.*

Ad finis huius miſerrimæ vitæ. *Faërni liber,* ad finem. *& habet non malum ſenſum; ſed expectatur a Cicerone optimus. Itaque non inuitus Manutij coniecturam ſequor.*

## IN EPIST. XI.

Nec interim poteſt quidquam ſtatui: ne cogitari quidem. *Faërni liber, Ant.* Quidquam non modo ſtatui, ſed ne &c. *Vtrum opera alicuius, qui neſciuerit ita loqui veteres conſueuiſſe, vbi quid maius vellent aſtruere, an quia ita ſcriptum a Cicerone fuerit: compertum non habeo. Vtrunque recte vſurpatur. Sed cum plures libri a vulgata ſtent, eam ſequi libet. Idem de natura Deorum, in fine lib.*

111. *Non curat ſingulos homines: non mirum, ne ciuitates quidem.*

Fuit enim pridie Quinquatrus. *Hic ego nihil habeo, quod reprehendam: prętermittere tamen nolo, in Faerni libro Quinquatres: in alijs partim Quinquatrijs, partim Quinquatris legi. Probas'ne igitur inquis? Minime ego quidem: ſed teſtari tamen poſſum, Quinquatres apud Soſipatrum, niſi parum ſincera ſcriptura eſt, inueniri. Nam Inſtitutionum grammaticalium lib. primo, maſculina nomina, quæ in plurali numero duntaxat declinantur enumerans, poſt multa, Pugillares (inquit)* πινακίδια: *Primores, Proceres,* ἔξαρχοι πρωτάρχοντες, *Poſteri, Plures, Plerique, Quirites, Quinquatres,* παναθηναῖα &c. *Dicerem Quinquatrus eſſe legendum, niſi eadem a Diomede libro primo, totidem penè verbis repeterentur: nec dubito, quin Quinquatræ, in eo, pro Quinquatres, librariorum culpa fecerit. Referuntur enim inter ea, quæ ſemper maſculina ſunt: vbi locum'ne habeant Quinquatrę, haud ſane ſcio. Priſcianus ita Quinquatria dici putat neutro genere, vt Volcanalia, Floralia, Saturnalia: negat Soſipater eodem primo lib. Quinquatrus (inquiens) pluraliter, non Quinquatria. Non enim dictę ſunt (inquit) quinque dies atri, ſed quod Quinquatrus antiqui dicebant a Quin-*

*quando; id eſt, luſtrando, quod eo die arma ancilia luſtrari ſolita ſint. Quare; ſi grammaticos audire volumus, & Quinquatres virili: & Quinquatrus muliebri: & Quinquatria neutro genere, licet dicere. Ego tamen, etſi perantiquis hiſce & nobilibus grammaticæ artis ſcriptoribus, multum, vt par eſt, tribuo: pluris tamen apud me veterum illorum, quos vidi, auctoritas eſt, quam horum poſteriorum: quorum temporibus, Romanæ orationis caſtitas, cum ſane valde contaminata deteriorq; facta eſſet, multa quoque vt fit, partim immutata, partim innouata ſunt: quæ quamuis a primo illo candore non parum abeſſent, inter latina tamen, ac ſi germana eſſent relata ſunt. Cuiuſmodi eſſe arbitror Quinquatres, & fortaſſe etiam Quinquatria. Nam profecto apud feliciſſimi illius ſeculi ſcriptores, Quinquatrus tantum inuenio, multitudinis numero, & muliebri genere: vnde Quinquatribus, non etiam Quinquatrijs, vt nonnulli volunt, declinatum ſit. Ita enim Liuius lib.* XXXVI. *Interrupit hos ſermones, nocte, quæ pridie Quinquatrus fuit, pluribus ſimul locis, circa forum incendium ortum. Atque hæc, de inclinatu vocis huius & genere dicta ſint: Sed quando tam longe progreſſi ſumus, perficie-*

*mus hoc penſum, deq; notione pauca quædam, deq; generibus: & quo die celebrarentur, adiungemus. Quinquatrus ergo dictæ ſunt, non vt qui dam exiſtimant, quaſi quinque dies (tot enim celebrabantur) atri: quod reprehendit etiam Cariſius, de cuius Quinquando, nihil nunc dicimus: ſed vt Varro ait, auctor haud paulo melior: quia quintus eſſet dies ab Idibus: quemadmodum ſex atrus, & ſeptimatrus a Tuſculanis dicebatur, qui eſſet poſt diem ſextum, & poſt diem ſeptimum Idus aut Kalendas. Qui etiam illud addit, errore nominis factum, vt cum eſſet vnus dies, quinque deinde exiſtimati obſeruatiq; fuerint. Etiam fieri potuit, vt cum initio ſingulari numero, quod vnus eſſet dies, diceretur, poſtea quinque facti, in plurali efferri cepta ſint, atque ita vſurpatæ, vt etiã Quinquatrus minores (duplices enim erant) cum vnus eſſet dies, tamen multitudine diceretur. Ita enim eodem libro v. M. Varro. Quinquatrus minuſculæ dictæ Iuniȩ Idus, ab ſimilitudine maiorũ: quòd tibicines tum feriati, per vrbem vagantur, & conueniunt ad ædem Mineruæ. Idem Feſtus, in dictione Minuſculæ Quinquatrus. Quæ ideo adieci, quod nonnulli, quia apud Ouidium legunt Faſtorum lib.* v i.

*– Supereſt mihi dicere, dixi*
*Cur ſit Quinquatrus illa vocata dies*

*crediderunt*

*crediderunt ſingulari numero Quinquatrus decli nari poſſe, huius Quinquatrus. Videmus enim Varronem, minorum Quinquatrum vnum diem, tamen pluraliter dixiſſe. Et minores quidem Quinquatrus, Iuniæ Idus fuerunt: Maiores* XIIII K. *Apr. hoc eſt, poſt diem quintum Idus, eodem auctore; quo in loco, poſt diem quintum Idus, ab Idibus accipi debet, ipſis concluſis Idibus: quemadmodum vſus obtinuit, vt ante diem quintum Idus aut Kalendas, diceretur, pro quinto die ante Idus vel Kalendas, comprehenſis ipſis Idibus vel Kalendis. Et quia diebus quinque, vt diximus, ſeruabantur, ideo Quinquatribus primis, ſecundis, tertijs, pro primo, ſecundo, tertio Quinquatruum die, dicebatur. Liuius lib.* XXXXIIII. *Legati ex Macedonia Quinquatribus vltimis adeo expectati venerunt, vti, niſi veſper eſſet, extemplo Senatum vocaturi Conſules fuerint. Atque hæc hactenus; quæ pluribus perſecuti ſumus, quod adhuc non ſatis explicata ſunt; quiq; hęc attigerunt, non omnino conueniant.*

Mihi tamen quod fecit, eſt gratiſsimum. *Sgnificat, à Pompeio, non omnia quæ in ſe proficiſci potuerunt officia, profecta eſſe: ſed ea tamen quotquot fuerunt deniquè, accidiſſe gratiſſima.*

Equitum ſe polliceri &c. *Quod obſcuritatis hoc loco, & fortaſſe etiam vitij reperitur, tolli poſſe videtur, ſi* Que *pro* Se *ponatur. Ad quam mihi lectionem aditum aperuit liber Card. mei; in quo eſt ſcriptum, quod; illo ſcribendi genere, quo poſterior ætas vſa eſt. Sententia autem erit non incommoda, hæc: Gallos decem annos eſſe pollicitos, hoc eſt, ſtipendia decem annorum, peditum atque equitum, ſuo ſumptu ſcilicet. Nec fuit neceſſe numerum adſcribi, cum ingentem eſſe conſtaret.* ἐλπίζειν *autem appoſuit (probo enim Paulli coniecturam) ad temporis diuturnitatem reſpiciens, qua ſe Galli pollicerentur, ſuo ſumptu in armis fore. Ingenioſi quidam viri, numerum, qui deeſſe videtur, ſcriptura paulum mutatá, ita reſtituerunt.* Sed CIↃↃ M, dicebat peditum: Equitum LX polliceri. *Quorum ego iudicium eò minus reſpuo, quod totidem fere notæ in* CↃↃ M *&* LX *ſunt, quot in* certe *&* Se: *nec figuræ magnopere diſſimiles: &, denique, ſequitur: Magnas habet certe copias; quæ de certo copiarum numero ſuboſtendunt, mentionem factam fuiſſe.*

Qui quidem, quod illum &c. *Malim ſic:* Qui quidem illum, quod &c.

Vt tu ſcribis Ludum. ac vellem. *Quidam ſic.* Vt tu ſcribis Ludunt: ac belle ſcribis:

*in hanc ſententiam. Vt ego ſentio oderunt: vt tu ſcribis ὑποκορίζόμενος, ludunt & contemnunt. Ac belle etiam ſcribis, Quis hęc ſignificaſſet? vt ſint ex epiſtola Attici. vt in malis non peſſime. Quod metum ſequatur odium, ſecundo Rhet. libro Ariſtoteles docet, cum ſic ait.* οὐδεὶς φιλεῖ ὃν φοβεῖται.

Sed & iſte &c. *Eadem plane ſententia, quæ & alibi, Cæſarem amari, Pompeium metui. Nam* VIII *libro. Epiſt.* XXI, *Vide (inquit) quam conuerſa res ſit. Illum, quo antea confidebant, metuunt: hunc amant, quem timebant. Locus tamen mutilus videtur, vt vel Amatur deſit, poſt verbum* Fecit: *vel* Iſtum *ſit legendum,* Amantq́; *ſupplendum: hoc modo. Sed & iſtum, quia plus mali facturus videbatur, quam fecit, amant. quod ſupra, eodem* VIII *libro fore prædixit, his verbis. Sed plane, quidquid mali hic Piſiſtratus non fecerit, tam gratum eſt, quam ſi alium facere prohibuerit. Sed huius emendationis, cum nullos veteres libros auctores habeam, de ea quiſque vt videbitur, iudicabit.*

Cum ſcimus. *Latinæ linguæ ratio,* Sciemus *poſtulat. Initio huius epiſtolæ,* Scierimus *dixit. & infra tertia ab hac epiſtola. Sed tu omnia*

*conſilia differebas in id tempus, cum ſciremus quæ Brundiſij acta eſſent.*

Quas eos enim cœnas. *Noſtri* Quas enim eos, *plane lenius.*

Quid agat? *Nos ſine interrogatione, ἀδημονῶν, hoc eſt, anxius animi, ſolicitusq́; quid agat. Statim enim æſtus illius cauſſa ſubiungitur.* διατροπὴν *Corfinienſem reformidat: Pompeio nec putat ſatisfactum, Cæſaris beneficio commouetur, a quo captus & honorifice tractatus, liberaliſſime dimiſſus fuerit. Quod quidem poſtremum, in primis cauſſa eſt, cur magis* Nec putat, *probem, quam quod vulgo legitur* Nunc putat. *Nam ſi Pompeio ſatisfactum a ſe putaſſet, nihil ſane erat cauſſę, cur Cæſaris beneficio moueretur, quem contra moliri quidquam, vt Pompeio ſatisfaceret, non cogeretur. Non ſatisfactum vero illi putabat, quòd & arcem Aſculanam deſeruiſſet: & quòd contra illius voluntatem, Cornificij cum Domitio & alijs, Cæſari reſtiterit, cum ab ipſo per litteras, reuocarentur.*

Ipſius Balbi optimi. *Non placet dicendi ratio: & videtur,* Viri *deſiderari. Itaque poſſit forſitan ſcribi* Opt. viri, *aut certe* O qui viri, *vt in verbis ironia ſit; cuiuſmodi illud eſt ſequenti libro. Aduentus Philotimi, at cuius homi-*

*nis, & quam ſæpe pro Pompeio mentientis, exanimauit omnes.* Et de Diuinatione lib. primo. *Xenophon Socraticus, qui vir & quantus, in ea militia, qua cum Cyro minore profectus eſt &c.* quanquam hinc quidem abeſt ironia.

IN EPIST. BALBI
AD CICERONEM.

Oppio Cornelio S. *Noſtri* Corneliocp.

*IN EPIST. XII.*

VIII K. *Veteres libri omnes* IX K. *de quo Manutius.*

Atcp eũ loqui quidẽ αὐθεντικῶς narrant. *Noſtri omnes* narrabat. *& puto Bæbium intelligit, cuius cum nomen hic omiſiſſet, velut contempti auctoris, poſt longiorem, vt aliud ex alio naſcitur, rerum ſeriem, ſi forte ab Attico deſideraretur, aſcribit in hiſce verbis: Bœbius quidam a Curione* III *Id. profectus: a verbo narrabat ſcilicet. Nec caret emphaſi* αὐθεντικῶς, *cum dixiſſet, Quidam, pro eo quod eſt neſcio quis: quaſi ridiculum ſit, hominem leuem & obſcurum, inſtar grauium virorum tamen & clarorum,* αὐθεντικῶς *loqui. Quæ ſunt his interiecta, diligenter a Paullo excutiuntur: nec ego quidquam habeo, quod afferam certius.*

Ne ante prorſus quidem quid litterarum. *Videre videor in his verbis, mendi neſcio quid, propterea quod cum his, quæ tertia ab hac epiſtola ſcripſerat, parum conueniunt: nimirum ſe litteras accepiſſe* XI K. *Nunc* XI K. *accepiſſe, & prorſus non accepiſſe ne ante quidem, contradicunt. Ad hæc; quid ſibi volunt, Ne ante quidē? quò referūtur? Videor mihi ex vetuſtis meis, non quidē ſingulis, ſed vniuerſis, ſcripturam non alienā eruiſſe. Antonianus enim liber, & Octauij Pantagathi, & item Maffei vnus, pro* Quid litterarum, Quin te litterarum. *Et idem Antonianus præterea, pro* ante prorſus, Ante pros. *Maffei* Ante pios. *vnde hæc concinnari poſſit.* A te nihil, ne ante dies quidem quinque, litterarum. *vt ordo ſit. A te nihil litterarum: Parum vero diſtat* Pios *a* Dies *&* Quinque, *a* Quinte. *Neque hanc partem a reliqua epiſtola diſiungendam putamus, quòd nec ſententia cogat, & contrarium ſuadeat dierum ratio: niſi volumus bis, eodem die datum: denique in manuſcriptis, hæret reliquo corpori. Datam porro ducimus epiſtolam* VIII K. *cum proxima ſuperior* IX. *ſequens proxima,* VII. *Cum quid ſcriberem &c.* VI *Trebatium* V.

IN EPIST. XIII.

Vt Dictator diceretur & Magiſter Equitum. Magiſter Equitum, *in meis non legitur nec Poggij nec Antoniano, nec Maffei vllo. nec ſane arbitror deſiderari, quod Magiſter Eq. a Dictatore, non Interrege diceretur. Adde quod hic, vt de vno Cæſare, ita de vno Sylla ſcribitur: vt neuter & Dictator, & Magiſter Eq. ſimul eſſe minime potuerit.*

Vt ne Trebatium quidem. *Magna pars meorum* Trabilium*: Faerninus,* Rabirium. *Vnus Maffei* Trebatium. *Hic ego nihil ſtatuo: tantum dico ex Epiſt. XI libri huius, quæ incipit Tris epiſtolas: Trebatium recte legi videri. In ea enim ſic. Trebatium noſtrum, etſi, vt ſcribis, nihil bene ſperat, tamen videre ſane velim: quem fac horteris vt properet. Oportune enim ad me, ante aduentum Cæſaris venerit. Lectio autem quam adduximus ex libro Faerni; coniecturam adiuuat illorum, qui malunt Rabilium: quod is, vt eſt in primo libro belli Ciuilis, mandata Cæſaris de pace pertulerat: ſed altera mihi potior eſt.*

Quos cum Matio pueros &c. *Malim* Quos Matio *inducta præpoſitione. Quî enim cum Matio & Trebatio miſerit, qui & Trebatium neget ſe vidiſſe; & ab eo Matioq; litteras acceperit?*

*Itaque puto Ciceronem vt Trebatium alloqueretur, ante congreſſum cum Cæſare: ad eum pueros miſiſſe: quos ait, iam datis litteris, ad* VIII *K. rediſſe: nec dubito, quin proximas ſuperiores intelligat. Illud non negligendum, in vetuſtis omnibus,* Pueri, *vbi eſt* Pueros *eſſe: ut traiecta forſan dictio ſit, legiq; oporteat,* Pueri quos Matio & Trebatio miſeram. *Nec tamen vulgatam contemno.*

Trebatius Scæuola facit, vt antecedat. *Romana lepidaq; dicendi ratio, qua tempus actioq; deſcribitur. Facit enim vt antecedat, idem valet quod, antecedit. Sic infra libro* XI. *Eo feci, vt celeriter eunti darem: pro eo quod eſt, Dedi. Item Ampio Balbo, libro Epiſt. ad Torquatum. Plane ita faciunt, vt me vnice diligant: quod eſt: Me vnice diligunt.*

## *IN EPIST. XIIII.*

Cum quid ſcriberem ad te nihil haberem. *Maffei liber,* Quod. *Idq; eſſe rectum, in primo libro docuimus.*

Vt in ſuperioribus litteris. *Noſtri omnes. vt ſuperioribus, deleto* In.

## *IN EPIST. XV.*

Trebatium VI K. *Ego,* V. K. *non ſolum ita dierum ratione poſtulante, ſed etiam*

*auctoribus libris aliquot vetuſtis, Poggij, Maffei, Octauij.*

Ad vrbem veniam. *Maffei duo,* ad vrbem vt veniam.

Id modo nuntiant. *In libro Faërni & Antoniano* Inanio nuntiant. *vt vnius litteræ facta mutatione,* Inania *legere poſſimus: hoc eſt, non certa, non firma. Vulgatam ſic expone. Id modo nuntiant ſe inde venire, præterea nihil.*

## IN EPIST. XVI.

Eros Celeri. *Noſtri, partim* Area ſcelerum, & ſceleri. *partim* Oratio ſcelerum. *vt in hac lectionum varietate, malim* Celeris *legere: etiam ſi Immitis* Achilli: *& Duri miles Vliſſi, a Virgilio dictum ſit, per ſyneresim vt arbitror, ab Achileus, & Vlyſſeus detracto S. in genitiuo: ſiue vt Seruio placet, propter* ὁμοιοτέλευτον: *cum littera illa plerunque pro ſibilo habeatur, euphoniæ cauſſa. Et quanquam Pericli ſuccum in ſecundo de Oratore: & Thucydidi ſcriptis in Bruto dictum ſit, id tamen eo conſilio factum videtur, vt concurſus S litteræ vitaretur: quem veterum ſcriptorum non nulli, vt inſuauem, adeo fugerunt, vt non defuerint, vt Halicarnaſſeus animaduertit, qui cantilenas & Poëmata tota conſcripſerint* ἀσίγμως. *Itaque Virg.*

*Sed tamen iſte Deus qui ſit da Tytire nobis.*
*Verum concurſus huiuſmodi, nullus hic eſt, cum nulla dictio* Celeri *ſequatur, quæ ab S. incipiat. Et quanquam non hac vna de cauſſa Cicero videtur feciſſe, vt S. omitteret non nunquam: Nam in ſecunda Verrina, In Timarchidi poteſtate ita dixit, vt Terentius Heautont. Archonidi filiam: tamen Celeri pro Celeris, non facile patior, cum nomen Latinum ſit. In Græcis enim nominibus, quæ rectum in ης apud eos, in Es apud nos edant tertij declinatus: qualia ſunt Ariſtoteles, Demoſthenes, Euripides, atque id genus, latini ſolent non rarò, dandi caſum pro patrio adhibere. Vtrũ in Romanis nominibus hoc idem liceat, neſcio. Exempla certe aut nulla adhuc inueni, aut parum obſeruaui.*

Continuo ipſe in Puteolanum. *Cum ex ſequenti proxima epiſtola, ſatis exploratum ſit, Cæſarem cum Cicerone Formijs eſſe congreſſum, quid cauſſæ fuerit, cur inde in Puteolanum, quaſi retro diſcederet, etiam ſi Baianum habuit lib.* XI, *epiſt.* VI. *haud ſane mihi venit in mentem: cum præſertim Romam properaret. Antonianus quidem,* Impelanum: *quidam alij, in* Pedanum: *quod, rectum ne ſit ignoro. Plinius certe, Pedanorum in Latio meminit lib.* III. *Et Liuius* VIII *hiſce verbis. Aricini, Nomentaniq; & Pedani,*

*eodem iure quo Lanuuini, in ciuitatem accepti. Horum oppidum, Pedum dictum fuit. Liuius, Plinius.*

## *IN EPIST. XVII.*

DELECTVS habetur. *In meis fere,* habentur. *nec dubito quin melius.nam ſequitur.In hyberna deducuntur.vtique delectus.*

Ad affligendum. *Noſtri ad vnum omnes.* Effligendum. *Quod & in ſuis habuit Petrus Victorius.de quo cenſeo videndum.*

Et ad vrbem vt non accederem. *Antonianus, Faërni, Porgij & alij* Et vt ad vrbem. *plane dulcius, & æquabilius.*

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Atticum, EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

## Argumentum libri x.

ARGVMENTVM *idem fere eſt libri huius & ſuperioris: Querimonia de perditis Cæſaris & Pompeij conſilijs: Curionis congreſſus, Pro prætoris in Siciliam proficiſcentis largeq́; & liberaliter de ſua Cæſariſq́; in Ciceronem voluntatem pollicentis: Quinti filij ſcelus, Romam profecti, Hirtioq́;, tū patris tum patrui excedendi conſilia indicantis: Deliberatio, an quæ in Hiſpania gerantur expectandum ſit, ad quod & ſui & multi alij hortabantur: Cæſaris litteræ, ne quo progrediatur monentis: Cælij, vt aliquod oppidum eligat, vacuum a bello rogantis: Antonij, id ipſum, & mandatū ſibi ſignificantis, ne quem Italia excedere permit-*

*tat : Congreſſus cum Seruio Sulpicio : Fuga Catonis ex Sicilia, in Africam tranſmittentis : firmũ propoſitum proficiſcendi, primum occulte, poſtea palam. Scriptæ ſunt epiſtolæ ex ante diem* III *Non. Aprilis, ad* XIIII *Kalendas Iunias, plus minus : iiſdem, L. Cornelio Lentulo, C. Claudio Marcello Coſ.*

## *IN EPIST. I.*

In Conſeſſu Senatorum. *Faërni liber, Antonianus Poggij Lolgij, his amplius* Non enim puto. *Quod quis ipſum, in exemplaribus, tam diuerſis temporibus, tam diſiunctis locis, tam diſpari manu exaratis, caſu accidiſſe putet? Et tamẽ deſiderari præterea aliquid ſuſpicor, nempe* Senatum, *ut totum ſit.* In Conſeſſu Senatorum: non enim puto Senatum. *Quorum quæ vis ſit, nemo non videt. Manutius quidem, quo eſt iudicio, in explicando hoc loco, uiſus eſt quodammodo in ſuo exemplari, ita ſcriptum habuiſſe. ſic enim ſcribit. In Conſeſſu Senatorum: nam in Senatu non libet dicere.*

Non alterutrius partis. *Nihil hic ego reprehendo : teſtificor tamen in libris Maffei, Poggij, Antoniano, atq; aliјs nonnullis* Alterius vtrius *legi : de quo quid Priſcianus lib.* VI. *ſcribat, dicendum eſt. Diximus voces compoſitas ex duobus*

*rectis, in vtriſque caſibus variari, præter Alterutrum; Veſtutiſſimi tamen Altera vtra, et Alterum vtrum, & Alterius vtrius dixerunt. Et alibi. Sed tamen hiatus cauſſa Alterutra dixerunt, extrinſecus declinantes. Et quanquam per vetuſtiſſimos, Pacuuium, Næuium, Andronicum forſitan intelligit: idem tamen docet M. Tullium ita nonnunquam extuliſſe. Nam Cicero (inquit) in Protagora Alterum vtrum dixit his verbis. Quæ igitur poteſt eſſe indignitas voluntatis ad moleſtiam, niſi in magnitudine aut in longitudine alterius vtrius poſita? Quare cum ita loqui non nunquam Cicero ſolitus ſit, nemo quaſi re noua moueri debet, quominus hanc probet lectionem. Multa de hoc etiã Petrus vict. lib.* IIII.

Ἐκφώνησις ὑπέξει. *Corradus* ὑπὲρ εὖ. *nec mihi mala coniectura viſa. Eſt enim dicendi ratio nõ infrequens, præſertim Demoſtheni: & ſententiã habet non alienam.*

Si accidérit vt legarer. *Noſtri legerer. Equidem malim,* leger, *ad latini ſermonis præſcriptum: ſed* Legerer *vetuſti libri ad vnum omnes. Verbum quidem ad hanc legandi rationem adhiberi conſueuiſſe, locus Varronis, qui eſt libro*
Varro. locus illuſtratus. *de ling. lat. v. i; inprimis declarat: atque vtinam eſſet a labe tam purgatus, quam eſt planus. Explicat autem ibi Varro, vnde legatus, Orator dice*

*retur, occaſione ſumpta ex illo Enniano carmine.*

*Orator ſine pace redit, regiq́; refert rem.*

*Hæc eius verba ſunt. Qui enim verba haberet orationum publice, aduerſus cum quo legebatur, ab oratione, Orator dictus. Cum res maior erat, eò legebantur potiſſimum, qui cauſſam commodiſſime orare poterant. Ex quo tanti viri teſtimonio, clare intelligimus, qui fuerit vſus verbi huius: cui vt aliquam gratiam referamus, vide an ita melius. Qui enim verba haberet & orationem publice. Dixit autem Orare cauſſam, pro Agere: quo modo, vt Nonius ait, Litem Cicero, tertio de Officijs, his verbis. Vt veram animi cauſſam eſſe velit: vt orandæ litis tempus, quo ad per leges liceat, accommodet. Sed quæ de hoc verbo dicta ſunt, non eo pertinent; vt illud improbem, ſed vt auctoribus vetuſtis libris, hoc magis probem, præſertim cum vſus etiam eius vocis accedat.*

## *IN EPIST. III.*

CVM quid ſcriberem plane nihil haberem. *Rectum eſt* Quod. *nam ſequitur* Nihil: *cuius relatiuum* Quid *eſſe non poteſt. Quis enim ita ſibi loqui permittat, Nihil habeo quid ſcribam? Verum de hoc diſputatum eſt a me ſupra ſubtilius.*

## *IN EPIST. IIII.*

QVOAD ſcies ubi ſumus. *Antonianus & Faërni* ſimus. *quod iudico melius.*

Quorum ſocietas. *Antonianus, Faerni, Poggij* ſocietatis. *& conſentiunt cum libris Petri Victorij.*

Non tam quia maiore pietate eſt. *Locus aut mutilus eſt, deeſtq́; quippiam tale* Quia filius eſt, quam &c. *aut corruptus, proq́;* Non tam, Etiam *vel quid huiuſmodi ſubſtituendum eſt: aut comparationis aduerbio, nihil eſt redditum, ſicuti nec ſupra lib.* VI *Epiſt.* III, *particulæ.* Quo *ita enim ibi. Scribendum ad te fuit, ac primum illud, quod me maxime angebat (non quo me aliquid iuuare poſſes: quippe res eſt in manibus, tu autem abes lõge gentium,* πολλὰ δ᾽ ἐν μεταιχμίῳ νότος κυλίνδει κύματ᾽ εὐρείης ἁλὸς) *obrepſit dies &c. Sed propenſior ſum in eam ſententiam, vt* Etiam *emendetur: vt ſe ſcribat filij cauſſa mirabiliter excruciari; eoq́; magis, quòd pueri pietate permoueretur. Vehementer enim commouere incommoda nos illa ſolent, quæ bonis atque immerentibus accidant. Eodem plane ſenſu infra, de eiſdem pueris loquens, ita ſcribit. Non ſine magno fletu legerant pueri noſtri: & ſi mens quidem eſt fortior, eoq́; ipſo vehementius commouet &c.*

*uet &c. Et epiſt. IX. Ego meum facile teneo: nihil eſt enim eo, tractabilius: cuius quidem miſericordia languidiora adhuc conſilia cepi.*

Et expecto tuas litteras. *Malim* Sed. *ſiue ad diuerſam rẽ tranſitus fiat, ſiue a ſuperiore pendeat illo, Hac igitur conſcientia comite proficiſcar.*

Sed multa magna delicta. *Placeret,* multa & magna, *copula interpoſita, quæ & præcedenti negationi reſpondeat, & ſingula ſingulis reddat.*

In hac fuga. *Faërni liber & Antonianus,* In hac uita & fuga.

Propius factum eſſe nihil. *Hæc verba vt mea fert opinio, ſuo loco dimota, obſcuritatem afferunt huic ſententiæ: quæ, ſi poſt* Tribunum pl. *collocentur, iam cuncta erunt plana atque perſpicua. Curio (inquit) nihil occultauit: Cæſarem iracundia elatum, voluiſſe occidi Metellum Tribunum pl. propius factum eſſe nihil: quod ſi eſſet factum, cædem magnam futuram eſſe. In quo librarij ſæpe lapſi ſunt; non ſolum in his epiſtolarũ atque alijs Ciceronis ſed etiam aliorumq; libris.*

Quod exemplum. *Exemplum, cum certi alicuius viri, facti dicti'ue inductio quædam ſit, ad aliquid aut confirmandum aut infirmandum: qui locum hic habere poſſit, plane non video. Suſpicari libet* exitum *vel quid huiuſmodi initio ſcriptum fuiſſe; quod cum in* exemplum *tranſierit,*

*ne alienis diceret, admonendus Atticus nõ erat.*

Et tamen quia. *Emendo* etiam. *Nam & ſine eo, inchoata & pendens erit ſententia: & in manuſcriptis libris, ita ſcriptum* tũ *inuenitur, vt non multum diſtet a iam, potueritq́; non magno negotio ex* ẽt, & tũ *fieri. Pergit autem ad ſuperiorem alias quoque cauſſas addere litterarum breuitatis.*

Facit Adriatico mari. *Veteres libri omnes (de meis loquor) Adriano. Et ſane etiam, ita illud mare vocauit, cum ſic in Piſonem eſt locutus. Brundiſiumq́; vitauit, & vltimas Adriani maris oras petiuit. Et Horat.*

*Siue mari libet Adriano.*

## *IN EPIST. VII.*

QVOD ſi ne id quidem. *Antonianus, Poggij, Faërni, reliqui noſtri* Quid *quod eſt & efficacius & verius. Valet enim* Quod *ita poſitum,* Quare. *Quod huic loco nõ cõuenit. Neq; .n. hic Cicero negat fore ſibi licitũ, ſed ex his quæ ad ſe ſcriberent ab amicis, dubitat, ancepsq́; eſt.*

Quod malum maius ſcilicet tantum? *Malum abeſt a meis. Quid ſi ita legatur?* Quod maius ſcelus aut tantum? *Et quanuis & Maius, & Tantum, vtrunque magnitudinem ſignificet, tamen minus eſt Tantum quam Maius. parq́;*

*ſignificare poteſt vt ſententia illa ſit. Quod nam ſcelus maius eſt, aut par? Achilles Statius, Homo Hiſpanus & perſpicax, ſeruato* Malum, *quod & ipſum inuenitur in manuſcriptis, ita emendat:* Quod malum in malis ſcilicet tantum? *Alij fortaſſe aliter.*

Annibal hic in abſentis ſolus tali ſcelus &c. *Veteres libri, partim* Anni ualde hic in abſentis ſolus Tullij. *partim* An qui valde hinc abſentis tali ſcelus. *partim* Animal de hic abſentis ſolus tulis celus. *alij aliter, vniuerſi mendoſe, & tamen ex omnibus, Faernus, huiuſmodi quiddam eruit, quod minus mihi forſitan quam alijs improbetur.* Annis ab hinc I X, abſens & ſolus tuli ſcelus. *Nam cum de exilio ſuo loquatur, vt arbitror, tempora ſane congruunt: cum a Conſulibus anni huius ad Piſonem & Gabinium, quibus Coſſ. in exilium profectus eſt, tot anni intercceſſerint.*

Abſens *autem dixit, pro* Exulans, *verbi atrocitatem aut potius ignominiam fugiens. quod fere vbique facit, quotiens ei de illis temporibus eſt dicendum. In Parad. iter appellat, his verbis. Neſcis exilium ſcelerum eſſe pœnam? meum autē illud iter, ob res præclariſſimas a me geſtas, eſſe ſuſceptū? Nam vt Aelius Gallus, vt Feſtus refert, dicebat* Relegatos *dici proprie, quibus ignominiæ*

*aut pœnæ cauſſa, neceſſe eſſet ab vrbe Roma, alióue loco abeſſe lege Senatusq́; conſulto aut Edicto Magiſtratus.*

Quin cum periculo &c. *Conſentiunt noſtri cum libris Petri Victorij, habentq́;* Quin turpiter facere cũ periculo *Quæ duo verba, tametſi facile ſupplētur a lectore, tamen poſteaquã ab ipſomet Cicerone, ut quidẽ ex uetuſtis libris cognoſci poteſt explicate ſunt poſita, non ſunt negligenda.*

Hoc veritus. *Veteres libri omnes* Hoc verens: *cuiuſmodi participium, non infrequens Ciceroni cum ſit, non videtur fuiſſe commutandum. Nam de natura Deorum lib. 1. Nihil tam verens, quam ne dubitare aliqua de re videretur. Et ad Papiriũ lib. 1x. Qui te ad ſcribendũ inuitauit, verentem ne Silius ſuo nuntio aliquid mihi ſolicitudinis attuliſſet. Et his ipſis ad Atticum epiſtolis. Tũ me collegi, uerens quid &c. & alibi eodem modo.*

Collegij noſtri ab Appio. *Antonianus* Actico *& ſic plerique omnes. Itaq; ſentio cum Manutio* Attio *legi poſſe.*

Quam Curio. is &c. *Congreſſus M. Tullij et Curionis, de quo, in ea epiſtola, quæ hãc antecedit, non pauca: manifeſte docent, rectum eſſe* Curione. *Sed et ſcripti libri,* Curion *habẽt, nõ obſcurum ſane ueſtigium lectionis huius. Ita uero amicũ ſibi Cicero Antoniũ optat, vt habuit Curionẽ.*

Melitam igitur opinor capeſſemus. *Recte mei* Capeſſamus, ἀνθυποτακτικῶς: *vt Eamus, & in media arma ruamus. Quod vel ſine exemplarium teſtimonio, tamen* Opinor *illud confirmabat, Age atque Eia, ſignificans. Et mox* Quid *pro* Quod *legimus, & Faërnini libri auctoritate, & vſu dicendi: illo ſenſu, Dum, quid in Hiſpania agatur ſciamus.*

Vbi ille ergo tuus animus? *ſignificantius & numeroſius* Vbi ergo tuus ille animus? *ſic habent exemplaria, & ſolet fere pronomen huiuſmodi poſtponi.*

Quæ hoc idem obſecraret. *Noſtri ad vnum omnes,* Cum *aut* Quum *& puto melius ad perſonam Cælij, quàm ad epiſtolam obſecrationem referri.*

Deinde quod videbitur. *Faërni liber* Quo *illa ſententia. Nunc igitur Melitam nauigemus, vbi de reliqua tranſmiſſione pro tempore, conſilium capiemus. Melitam porro eam exiſtimamus eſſe, quam idem in Verrem eleganter deſcribit, vnde catuli Melitæi Straboni: quanuis Plinius lib.* IIII. *Cap.* XXVI, *a Melita Illyrici inſula appellatos dicat, auctore Callimacho. Vtri credendum ſit, alij viderint.*

Tum difficilis, tum etiam &c. *Noſtri omnes,* Cum difficilis, *melius.*

Et adijcit a Poſthumia. Sed & Seruij filij &c. *Non eſt dubium quin idem hoc loco Cicero ſignificet, quod idem libro ad Sulpicium tota 11 epiſtola, copioſius explicat. Sed ita verba vel conciſa, uel corrupta & contaminata ſunt, ut aptari non poſſint. Corradus tamen ita & exponit & emendat. Et adijcit a Poſthumia uxore mea, quæ te conueniret Cicero, rem melius intelliges: ſed & a Seruio filio, pro Seruij filij. In ea porro epiſtola quæ eſt ad Sulpicium, hæc ſunt. Poſthumia tua me conuenit & Seruius noſter: ijs placuit ut tu in Cumanum uenires: quod etiam mecum ut ad te ſcriberem egerunt. Item. Tu, quod commodo tuo fiat, quam primum uelim uenias, ſicut intellexi & Seruio & Poſthumiæ placere.*

*In Epiſt. Cælij ad M. Tullium.*

EXANIMATVS tuis litteris. *Hæc epiſtola in his etiam poſita eſt, quæ uulgo familiares uocantur: ſed ibi, poſt* Exanimatus, ſum *uerbū legitur. Sed concinnius abeſt, cum ſentētia a ſcripſi uerbo, tota claudatur: hoc modo, Exanimatus tuis litteris, has ad te illico litteras ſcripſi.* Locus i epiſto-lis Cælii ad Cice. emēdatus.

Te abijſſe. *In uulgato exēplari epiſtolarū Cælij ad Ciceronē:* Te prius abijſſe. *& placet. Tu (inquit) quod offenſæ apud Pompeiū, in iſta cuncta-*

*nominatiuus pluralis i littera terminatus, accipit ſemper s, & facit datiuū. Vt Di, Dis: Coloni, colonis: ita et Qui, Quis. Si vero* Es *terminatur nominatiuus, Bus ſyllaba terminari debet Datiuus: vt Duces, ducibus: Mores, moribus: & Ques, quibus. Ques autem dixiſſe veteres, teſtimonio eſt Cato, qui ait originum ſecundo. Qúeſcunque Romæ regnauiſſent. Et Pacuuius Ques ſunt ij ignoti, neſcio ques ignobiles. Quam vocem tametſi nouitas abdicauit, declinatio eius tamen manet. Quibus, crebro dicimus. Hæc ille. Nec quia datiui mētio modo fit, exiſtimandum eſt, hoc ad ſextum caſum nihil pertinere. Nam & ſimiles ſunt vbique, & Probus ita ſcribit. Datiuus & Ablatiuus, ſi* is *ſyllaba terminatur, Iambū recipiunt: vt Quis ante ora parentum. Sin* Bus*, Pyrrhichium: vt ij, quibus inuiſi fratres. Sic Priſcianus lib.* x i i i. *Datiuum & ablatiuū, nunc quoque, tam per* is, *quàm per Bus, proferimus, Quis vel Quibus. Hęc illi, de relatiui huius inclinatione atque ſcriptura: de diphthongo nihil.*

Rhodiorum ἀφράκτῳ. *Apertam nauim, latine dixit, in Verrē. act.* v. *Poteró ne in eos eſſe vehemens, qui naues inanes, non modo habuerūt, ſed etiam apertas? In eum diſſolutus, qui ſolus habuit conſtratam nauem, & minus exinanitā?*

θυμικώτερον erat. *Corradi iudicium ſequor,*

Eram *corrigentis: vt ſit Eram iocatus. Nam* Erat, *quo referatur, non diſpicio. Porro de hoc ioco ſupra libri huius epiſtola quinta. Reſcripſi ei ſtomachoſius, cum ioco tamen familiari. Quod ibi ſtomachoſius, latine dixit, hic græce* θυμικώτερον.

## IN EPIST. X.

Cum hoc mare. *Poggij liber & Lolgij, & præterea Romanus.* Hoc mari *Priſcianus quidem, vetuſtiſſimos ait, Mare & Rete dixiſſe; poſteriores, Mari & Reti. Soſipater quoque Inſtit. lib. primo. Conſuetudinem ait contra regulam per I locutam fuiſſe: quæ eſt, vt neutralia non factitia, quæ nominatiuo caſu E littera finiuntur, ablatiuo quoq; eandẽ litterã ſeruent. Plautus Ciſtel.*

*Secundo vento vectus eſt, tranquillo mari.*

Eadem de re cogitantem. *Lolgij liber,* Eadem fere: *quaſi non valde ab illo diſſentiret, de nauigando ad Pompeium.*

Vtinã proficere poſſem. *Placeret* poſsim.

Scies quid erit. *Mallem* quidquid erit, *aut* Quod erit.

Forte ne cum tempeſtate. *Antonianus & Faerni,* Forte &: *in quo magis acquieſco, a Communi verbo* Agendum: *illo ſenſu. ſi vi agendum eſt, forte negotium quoque mihi cum tempeſtate fuerit, duro anni tempore. Nam, ſi* For-

te ne *legas, illud, vel pro eo quod eſt* Modo ne *aut* Fors, *erit accipiendum: quæ vix arbitror reperiri: vel aliquid ſupplendum, quod non facile ſuccurrat. Fors, quidem pro Forte inuenias, vt in eo, Et fors ęquatis cepiſſent præmia roſtris. Forte, pro Fors, non puto.*

Vides, quam turpe eſt. *Peruelim ſit: infinite enim* Quam *ponitur: quod Subiunctiuo iungi ſolet, vt alibi diximus. Quod ſi abeſt menda, intelligimus, ſic quoque loqui fas eſſe.*

## IN EPIST. XI.

E municipijs denos: & quatuoruiri venerunt. *Denos ne ex omni numero decurionum, an Decemprimos, quorum mentio eſt in Roſciana hæc. Decretum ſit Decurionum, vt Decemprimi ſtatim proficiſcerentur ad Syllam. Porro* IIII *viri, vt* II *viri, Magiſtratus inueniuntur fuiſſe in Municipijs: ſed vtrum vtrique in ſingulis, an vero in alijs* II *viri, in alijs* IIII *viri, certum non habeo. De his atque etiam alijs municipiorum magiſtratibus, perite a Carolo Sigonio, in antiquo iure Italię diſputatur.*

Ad horam tertiam. *Cenſeo ſcribendum, vt in vetuſtis inuenitur, quippe ad H.* III. *Cur negligatur enim antiqua ſcribendi ratio? Ita ve-*

*ro de hac littera Scaurus. Ita & H. per ſe, cum Hac lege, & Hac die ſignificamus: & Horam tertiam, Heredeſne.*

Hoc heri effecit. *In vetuſtis* Here *inuenio. Nec auctor ſum vt ita legatur: libet tamen, quæ de hac ipſa voce, litterarũ memoriæ tradita ſunt, adſcribere: cum iuuentuti ſint futura non inutilia. & primum illud, prius in vſu Heri, quàm Here fuiſſe, ne quis Here obſoletum exiſtimet. Nam Heri, vt vetuſtam vocem grammatici notant. Soſipater. Heri. (inquit) Terẽtius in Phormione: Cicero quoque Tuſculanarum libro* II. *Et heri feci. Terentij locus a Soſipatro præteritus, hic eſt. Heri ad me venit. Fabius quidem lib. primo. Here nunc (inquit) E littera terminamus. At veterum comicorum adhuc libris inuenio, Heri ad me venit. Vbi Donatus, Propter cognationem E, & I litterarum, non dubitauerunt antiqui, & Here & Heri dicere; & Mane & Mani: & Veſpere & veſperi: de qua litterarum cognatione, ita Fabius idem, eodem libro. Et in Here, neque E, plane, neque I, auditur. Et quanquam Heri a Cicerone Tuſculana* II *dictum ſit, non tamen ex eo loco colligimus, ita ſemper Ciceronem eſſe locutum, ſed aliquando: cum vnus ille locus notatus ſit: vt ſicubi apud eum Here inueniatur, non continno mendoſum exiſtimari*

*debeat. Nam certe libro ad hunc ipſum Atticum* XV. *epiſt.* II. *Here dederam ad te litteras, in omnibus & ſcriptis & impreſſis legitur.*

Et omnes ita expectant. *Faerni liber* Iſta. *quod vt rectũ exiſtimetur, verbũ pluralis numeri quod ſequitur, facit. Ita enim mei, & quidem omnes.* Si recte fuerint. *Quod refertur ad Iſta, nempe quæ in Hiſpanijs agantur. Nec me fugit,* Fuerit *etiam legi poſſe & quidem eleganter: ſed vetuſtis libris eſt aliquid tribuendum.*

## IN EPIST. XII.

Sed tu iſtos. *Ex perturbatis litteris veterum librorũ, nulla mihi probatior viſa eſt lectio, quàm quæ a Victorio excogitata eſt,* Sed Di iſtos *quæ dicendi ratio indignanti maxime conuenit.*

## IN EPIST. XIII.

Acerrime obſeruabimus. *Noſtri,* Adſeruabimus, *aut* Aſſeruabimus. *quo verbo Cicero non ſemel vſus eſt.*

Simul in Cumanum veni. *Veteres libri,* Simul & in Cumanum. *Dici autem* Simul &, *vt ſimul ac, ſimul atque & ſimul vt, eadem ratione videtur, Qua aliter &, Aliter ac, Aliter atque, & Aliter vt, dicitur. Et ſane etiam epiſtola quæ eſt* x x *lib.* II. *vbi legitur in uulgatis, Si-*

*mul quid erit certi,in manuſcriptis meis plane om nibus. Simul & quid,ſcriptum legitur.*

Hortenſius venerat: ad Terentiam &c. *Noſtri omnes,* Et ad Terentiam.

Et non modo morbum. *Petrus Victorius legit* Et nouum morbum. *vt nouum morbum vocet & ægritudinem, nō quartanam ipſam,qua iam ſolutus erat: ſed quas, ſequenti epiſtola, nouas tentationes appellat. Et tamen noſtri omnes* Et nedum, *pro eo quod eſt,* Et non modo. *quæ mihi lectio,niſi latinæ linguæ vſus refragetur,valde placet. Negat enim Valla, Nedum, recte in priori membro poni,ſequente Sed etiam, aut Verum etiam,& quæ ſunt generis eiuſdē, quale hoc eſt: Nedum pro te laborem ſuſciperem,ſed etiam mortem. Balbus tamen & Oppius ad Ciceronem harum epiſtolarum libro nono, hoc ſeruaſſe non videtur. Ita enim illi. Nedum hominum humilium,vt nos ſumus,ſed etiam virorum ampliſſimorum conſilia, ex euentu, non ex voluntate a pleriſque probari ſolent. Et tamen,vt verum fatear, non tam hoc mouet me, quàm tot librorum conſenſio. Illud addam, ſane iuuentuti, cui in primis eſt conſulendum,non inutile: Non,ſi Nedum pro Non modo, non probatur: Non modo, pro Nedum reijci. Nam idem Cicero infra lib.* XIIII, *Cui facile perſuaſi (inquit) mihi,id quod rogaret,*

*ne licere quidem, non modo non libere. Et infra lib.* VIII. *Omnia ſunt integra nobis. Nihil prætermiſſum eſt, quod non habeat ſapientem excuſationem, non modo probabilem. Et in Verr. act.* V. *Fuit in illis Nauarchis Heracliensis quidam Furius, homo, quam diu vixit domi ſuæ, non ſolũ poſt mortem, tota Sicilia clarus & nobilis.*

IN EPIST. XIIII.

Et Hercule hominem probo. nam & doctum & probum exiſtimo. *Faerni liber, Lolgij, Romanus.* Et Hercule hominem bonum & doctum & probum exiſtimo. *Antonianus.* Et Hercule, hominem & doctum & probum exiſtimo. *Quod puto melius, propterea quod* ταυτολογία *in Bono & Probo ſit; & vulgata non prorſus ſatisfacit.*

Siquidem adhuc erat. *Ego ſic:* Siquidem vt adhuc erat.

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Atticum, EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

## Argumentum libri XI.

S*ILENTVR menſes fere nauem Conſcendit enim ut ad Pompeiũ nauigaret,* VII *Id.Iunij,Lentulo & Marcello Coſ. ut ex epiſtola* VII *ad Terentiam cognoſci poteſt. & ex eo tempore ſcriptæ litterę,ad menſem Februarium, pręter primas libri huius,nullę inueniuntur. Nam cum Cęſar,a colloquio illo Ciceronis, quo de penultima epiſtola proximi libri, agitur, Romam ſe contuliſſet: pecuniamq́; ex ſanctiore ærario,nequidquam repugnante L. Metello Tribuno pl. abſtuliſſet: rebus non nullis ad ſuũ arbitrium conſtitutis, Italiaq́; Antonio tradita & commendata,ipſe in Hiſpaniam,contra Pompeij legatos exercitum duxit: quo tempore Cice-*

*ro in Macedoniam* VII *Id. Iunij, vt diximus, tranſmiſit; vnde priores quatuor epiſtolæ datæ ſunt: ſed C. Cæſare* II *& Seruilio Iſaurico Coſſ. ante pugnã Pharſalicam, partim ex caſtris Pompeij, partim Dyrrachio. Nam Cæſar, deuictis legatis illis, Hiſpaniæq; rebus compoſitis, Romam reuerſus, Conſulq; cum Iſaurico declaratus, exeunte anno, & ait Dio, vt Plutarchus Prid. Non. Ian. iam exercitum in Epirum deportauerat. Reliquæ autem epiſtolæ Brundiſio; quo iam acie deuicto & fugato Pompeio, Cicero ſe contulerat, datæ ſunt, niſi fallor, menſe Octob. Nam ad Terentiam ſcribens, libro epiſtolarum ad ipſam, Pridie Non. Nouemb. Quod nos (inquit) in Italiam ſaluos veniſſe gaudes &c. vt ante eas, Brundiſio aliæ datæ fuerint. Fuit autem Brundiſij menſes minimum vndecim: ab exitu inquam Octobris, ad* VI *K. Octobris, anni ſequentis: vt recte ſubducenti, menſes fluxerint plus minus,* XXI. *quo toto tempore, Cæſar & cum Pompeio pugnauit, ipſumq; in Aegyptum perſecutus eſt: & ibidem contra Ptolemæum bellum geſſit, in quo menſes nouem conſumpſit, vt Appianus ait: & Romam rediens in itinere, Pharnacem recipit. Quæ vero datę ſunt ex K. Ian. vſque ad K. Septemb. C. Cæſare Dictatore* II *& M. Antonio Mag. Eq. ſcriptæ ſunt. Nam vt Dio ſcribit, Populus R. au-*

EE

*dita cæde Pompeij, Conſulatum abſenti Cęſari, in annos quinque: Dictaturam in annum: Tribunitiam poteſtatem in æternum mandauit. Qui dictaturam ſtatim inijt; quanuis anni exitu, Calenum & Vatinium, eodem auctore, ſubrogauerit; in ternos nouiſſimos menſes. Datæ ante pugnam Pharſalicam; res fere domeſticas continent: quæ poſt pugnam, querelam ſui Conſilij: vel vt ipſe vocat, amentiæ & temeritatis, quod ſtatim ab ipſo conflictu, Pompeianorum cauſſa nondum plane deſperata: & poſtea in Africa prope reuireſcente, non expectato exitu, in Italiam venerit: cum neque id tutum, neque honorificum eſſet. Quędã inſunt etiam, de remittendo nuntio vxori Terentię: de inopia Tullię: de ſcelere Dolabellæ, qui Tribunus pl. leges pernicioſiſſimas, de nouis tabulis ferret, omniaq; miſceret. quędam etiam de Q. Q. contra ſe ſcelerate loquentibus.*

## *IN EPIST. II.*

Eſt vna enata. *Nihil hic reprehendimus: a parientibus, vterumq; gerentibus ſumpta metaphora eſt, quæ leuari ſolent dolore, enato fœtu.*

## *IN EPIST. III.*

Iſta res, nihil habet conſolationis. *Loci*

*huius, ſi ſic relinquatur explicatio, ita mihi obſcura & violenta ſolet videri, vt ſatius eſſe ducam, de mendo dubitare, quàm credere Ciceronem ita eſſe locutum. Nam & repugnat, aliquid valde expeti, quod proximis ſuperioribus litteris plane oſtenditur: & adeptum, nihil conſolationis afferre: & huiuſmodi particulæ* Tamen, *eâ natura eſt, vt & aduerſetur, & ex priori cumulo, aliquid detrahat. Nunc ſi totum negetur, cui nam aut aduerſetur, aut aliquid omnino detrahat? Si hoc, quod quidam autumant ſpectaſſet Cicero, non* Etſi & Tamen, *ſed* Non ſolum & Sed etiam *adhibuiſſet, quemadmodum alibi his verbis. Qui quidem dolor meus, non modo non minuitur, cum ſocium ſibi adiungit dolorem tuum, ſed etiam augetur. Quare cum iis ſum, qui* Non nihil *emendant: vt ſententia illa ſit; Eſſe quidem aliquid ad Conſolationem, nihil mali præter ceteros in publicis rebus timere: ſed non omni tamen dolore liberare, cum in re ſua priuata, non ſane pauca & præcipua ſint incommoda, quę lætitiam illam perturbent, & minorem faciant. Hæc mea eſt opinio, quam non peto repugnantibus probari.*

Vides grauiſsima eſſe. *Faerni liber,* vides vt ſunt, grauiſsima eſſe. *Vſitata dicendi figura, cum quid affirmatius eſſe volumus. ſic in-*

ſra lib. XII. *Quanuis prudens ad cogitandum ſis, ſicut es, tamen &c. Et pro Roſcio Amer. Quanuis ille ſit felix, ſicut eſt. Et in Bruto. An, quibus verbis ſacrorum alienatio fiat, docere honeſtum eſt, vt eſt; quibus ipſa ſacra retineri defendique poſsint, non honeſtum eſt? Alij noſtri manuſcripti,* Vides & gratiſsima eſſe: *quam Petrus Victorius ex ſuis eſt ſecutus.*

## IN EPIST. VI.

De Pompeij exitu &c. *Is eodem die interfectus eſt, quo de Mithridate triumphauerat, vt Dio ſcribit: nimirum Prid. K. Oct. ex Plinio & Capitolinis Lapidibus.*

Hæc eodem modo. *Opinor melius,* Hæc eadem modo.

Niſi illud. *Noſtri omnes,* Niſi quod illud. *Nec lectionem illam reprehendo, quæ & elegans & vſitata eſt; ſed, quod noſtri eſt officij, ita in manuſcriptis inueniri affirmo. Porro* Niſi *in vulgata,* Sed *valet, Græci* πλὴν *inſtar. Ariſtoph.* εὖτοι λέγειν ἔμοιγε φαίνεσθον πάνυ, πλὴν ἓν μόνον δέδοικα. *Sic Terentius Eunucho. Neſcio, niſi Deos fuiſſe iratos mihi ſatis ſcio, qui illum auſcultauerim. Et Cicero Q. Philippo Proconſ. lib. Epiſtolarum ad Memmium. De re, nihil poſſum iudicare: niſi illud mihi certe perſuadeo, te talem*

*virum nihil temere feciſſe. Quibus in locis, Niſi, Sed, volunt ſignificare: & πλὴν, ἀλλά. Et arridet expoſitio prima quidem facie: Matthæo Denario tamen, amiciſſimo meo, in eo libro quem ille, de his particulis, quæ inter coniunctiones numerantur, alijsq; huiuſmodi, perite copioſeque conſcripſit, non placet tanta licentia, ut uocem ſæpe unam, faciamus non modo diſſimilia inter ſe, ſed etiam contraria ſignificare: cum uis una ſit, ſi uel quod deſit ſuppleatur, ut in hoc loco: uel aliquid iam dictum, repetatur: uel. Sed librum ipſum propediem magna cum utilitate utriuſque linguę, licebit uidere: quem ille mihi, pro ea quæ inter nos eſt, & animorum & ſtudiorum coniunctione, oſtendit; utq; ex eo aliquid poſſem deguſtare, effecit. Ipſe igitur, πλὴν, per ἔλλειψιν, τὸ ὅτι dictum affirmaret, ut ſit πλὴν ὅτι ἓν μόνον δέδοικα. Quod etiam de noſtro Niſi licet dicere, Quod uidelicet deeſſe. Atque in hunc modum ſua utriuſque uocis notio retinebitur.*

## IN EPIST. VII.

Terentiam Flagitare. *Noſtri* Terentiam *non habent: & ſuſpicor ex illo* Te *factum, quod in manuſcriptis ſuis, quidam inueniri affirmant. Ego tamen ſiquid deſideretur, cum ijs ſum, qui*

Tulliam *malunt legi. Nam cum Cicero Terentiæ ſuſcenſeret, quod rem, abſente illo. male adminiſtraſſet, atque ob eam rem, etiam de nuntio illi remittendo cogitaret: uerisimile non eſt, de illius incommodis ſcribentem, tantopere commoueri, vt lacrymas continere non poſſet, tamq; miſerabiliter Attico commendaret: Quod mox in vulgatis eſt*, Terentiæ obeſſe, *quod quidem hoc loco* Terentiam *tueri poſſet: id in nullo meorum inuenitur: ſed pro eo,* Tibi obeſſe: *vt ita velit Cicero filiæ conſultum eſſe ab Attico, dum nequid ea res, illi obſit: ſed eatenus filiæ ſubueniat ſuis opibus, quatenus ei moleſtum ne ſit. Verebatur enim in tanta difficultate pecuniæ, Attico ne id eſſet incommodum. Eodem pertinere arbitror, & quæ libri huius epiſt.* II *&* III, *ſupra leguntur: & quæ infra, epiſtola Quod ad te, hunc in modum: Te oro, vt de hac miſera cogites, & illud de quo ad te proxime ſcripſi, vt aliquid conficiatur, ad inopiam propulſandam. Quo in loco, de Tullia ſermonem eſſe, pronomen Hac declarat: Habebat enim eam ſecum Cicero, vt ex epiſtola* XVII *cognoſcitur: qui, ſi Terentiam intelligi voluiſſet,* de iſta *dicturus fuit.*

## IN EPIST. VIII.

XV K. Ian. *Cum non obſcuris argumentis probari poſſit, hanc epiſtolam, poſt proximam ſu-*

periorem, vt collocata eſt, ſcriptam fuiſſe: non arbitror dubitandum, quin menda in die ſit, quo data eſt: eoq; magis, quod veteres libri, tum XVI tum VI, in quo ſinceros puto, ſcriptum habent. Nam Brundiſii cum eſſet, non tam crebrę inter eos litteræ miſſitari poterant, quam, cum vel Formijs, vel Antij, & in his locis propinquis peregrinabatur. Id intelligi poteſt ex duabus ſequentibus epiſtolis: quarum proxima III Non. Ian. data eſt: altera XII K. Feb.

## IN EPIST. IX.

Nihil mihi mali cauſſa attulit. *Faerni liber & Antonianus, manifeſte* Caſus *habent. quibus Manutij coniectura confirmatur.*

Ceſsimus, uel potius parui. *Achilles Statius* Ceſsi inuitus, vel &c.

## IN EPIST. X.

Quintum patrem. *Veteres libri* Q. P. *Quibus litteris tametſi idem ſignificatur, priſca tamen ſcriptura amanda eſt: quæ vt filium, F littera notat, ſic patrem P.*

Alienata Gallia. *Noſtri,* Alienata alia. *vt in re ambigua, & vtraq; lectione non improbabili, Malim* Italia *quàm* Gallia: *præſertim quod ea*

*propter Antonij crudelitatem ac direptiones, alienior eſſet effecta: de qua re idem Cicero* II *Philippica. Infra etiam, epiſtola quę incipit Non meo uitio, enumerans, quibus in locis parum ſecunda Cæſaris fortuna fuiſſet, Italiæ meminit, de Gallia, ne uerbum quidem. Ita enim ſcribit. Nunc præſertim, cum ea plaga in Aſia ſit accepta; in Illyrico; in Caſſiano negotio: in ipſa Alexandria: in urbe: in Italia.*

Sed vt tibi me carum eſſe. *Veteres libri.* Sed vt carum me tibi eſſe *quod magis probant aures.*

## IN EPIST. XII.

Puto cretionem ſimplicem. *Heredis inſtitutio, aut duplex eſt, aut ſimplex. Simplex, ueluti L. Titius heres eſto. Si mihi L. Titius heres non erit, tunc C. Seius heres eſto. Duplex ueluti. Filius meus heres eſto: ſi heres non erit: ſiue erit, & intra pubertatem deceſſerit, tunc C. Seius heres eſto. Pand. lib.* XXVIII. *Tit.* VI. *quæ an faciant ad hunc locum, uidendum eſt.*

## IN EPIST. XV.

Achæi item ex Aſia redituri ad eos. *Verius legi poſſe uidetur, ut eſt ſcriptum proxima ſuperiori epiſtola.* Achaici, item qui ex Aſia. *Vt non unos redituros ad Pompeianos, uerũ ambos.*

*dicat. Nam, qui ex pugna Pharſalica euaſerunt, partim in Achaia conſederunt; partim traiecerunt in Aſiam. Qui vt Cæſarem in Aegypto parum proſpere pugnare, vt ferebatur: Pompeianos vero in Africa, ſatis firmum paratumq; exercitum habere audierunt: ad eos ſe collatum iri exiſtimabantur, rurſum belli diſcrimen adituri. Hæc lectio, Achaicos, a leuitatis opinione vindicat: qui retenta vulgata ſcriptura, viderentur imprudenter mutaſſe conſilium. In Aſiam enim profecti, vt Cæſari ſupplicarent, poſteaquam audiuerunt in Africa parari; ab Alexandrinis, acriter pugnari: neutrorum exitum expectare potuerint: cum in tuto eſſent loco, & ab armis, quòd ad veniam impetrandam plurimum intereſſet, remoto.* Achaici *autem probamus, quod Achæi, indigenæ ſoleant dici: cum ij, quibus de agitur, Romani eſſent. Verum de hoc minus laboro, cum nec ipſe M. Tullius valde curaſſe viſus ſit, qui Aſiani non nunquam pro Aſiatici dixerit. Sequenti tamen epiſtola* Achaici *dixit: qui locus, quia non ad hanc noſtram modo de hac voce opinionem confirmandam valet, verum ad reliquam quoque emendationé facit, adducetur. Qui in Aſia ſunt, rerum exitum expectant: Achaici etiam Fufio ſpem deprecationis auferunt. (ita enim cum Manutio legimus.) Fufius enim Achaiæ præerat: cui*

*ſpem deprecationis auferre illi non poterant, ſi in Achaia non fuiſſent, eſſent'ue ex Aſia redituri.*

Eſſem habiturus, ego quos putaui. *Vt ſtructura verborum eſt, malim,* Eſſem habiturus eos, *vel, vt habet exemplar Faerni,* Quos ego &c.

Ad Fuſium venerant. *Antonianus, hic & ſequenti epiſtola.* Fufium, *de quo ſupra, lib.* I I. *& alibi.*

## IN EPIST. XVI.

NEQVE enim ualde aduentus eius opinio eſt. *Antonianus, cum Manutiana editione conuenit. Faerni liber, Victorianam probat, quæ eſt* De aduentu. *Tres alij mei,* Valde aduentu, *ſine præpoſitione: ut in hac uarietate, non ſine cauſſa de mendo ſuſpicari poſſimus. & tamen neutra lectio, ſiue* Aduentus, *ſiue* De aduentu *legas, non proba atque uſitata eſt. Me magis illud mouet, Valde aduerbium intendendi, appellatiuo iungi. Solet enim fere uel adiectiuis nominibus, ut Valde conſtans, ualde doctus: uel uerbis, ut acute diſputat: uel etiam aduerbijs iungi, ut bene mane, eſtq; ueluti quoddam eorum adiectiuum. Itaque aduerbium Varro de lingua latina, lib.* V I I, *partem adminiculandi uocat.*

Mora Alexandrina. *Hæc fuit ut Appianus ait, nouem menſium.*

Et maxime quid ſcribas de ea. *Faerni exemplar,* ſcribas *non habet: nec dubium quin recte: ita tamen ut* ſentias, *quod Manutio placet: aut, quod mihi* ſcias *ſuppleatur. Vel certe,* Et maxime quidem de ea. *ut quod ſequitur,* In quo, *ſenſum, non uerba reſpiciat. De eo uero, uel Terentia, uel re; hoc eſt negotio Terentiæ, dicit, de quo proxime.*

## IN EPIST. XVII.

P. TANTA me ſcripſiſſe. *Scio inuidioſam eſſe, hanc ex ingenio corrigendi rationem. Sed nos, quod ſæpe teſtati ſumus, id nunc quoque repetimus, primum in uulgata lectione nihil mouere: deinde, cum intellectum fuerit, quid noſtræ ſuſpicionis ſit, integrum cuique relinquere, ut hoc uel admittat; uel eiciat. Hunc igitur locum, ſic poſſe reſtitui putamus.* Putato ea me ſcripſiſſe: *atque illo ſenſu exponimus, quo ſæpe Cicero ad hunc ipſum ſcribens uſus eſt: ut ſi ad aliquem litteræ dandæ eius nomine uiderentur, ipſe daret, eaque ſcriberet, quæ præſens intelligeret ſcribi oportere. Vt ſuperius, epiſtola, quæ eſt ante duas proximas. Siquid, ad quos ſcribendum meo*

*nomine putes, velim vt ſoles, facias: & ſæpe alibi. Is ergo locus, ita reſtitutus, cum ſuperioribus etiam quodammodo (& ſi deeſſe aliquid arbitror) conſentiet: vt, cum quædam pro Tullia, fortaſſe Dolabellæ aut alicui alij, ſcribenda eſſent, eam curam Cicero ſuo more, in Atticum deriuet.* Conſolandis *autem ſolitarie poſitum, non me valde offendit; cum vel* Nobis *ſubintelligi: vel, ſicui videbitur per me ſuppleri, velut prætermiſſum per imprudentiam a librarijs, poſſit: vel, ſi neutrum placet,* Conſolando *legi.*

Ne profectum quidem illo. *Faërni liber,* illinc, *quod rerum arbitror: Poggius, Antonianus* illim. *de quo, quid Petrus Victorius diſputet, videre omnibus licet.*

Pæſtumq́ ueniſſe. *De hoc Plinius lib.* III. *Cap.* V. *A Silaro, ager Lucanus incipit: Oppida Pæſtum, græce Poſſidonia: ſinus Pæſtanus: Pæſtanos colonos, libro* XXVII *appellat Liuius, Epitoma, Paterculus.*

## IN EPIST. XXIII.

SCRIPSIT te cum eo locutum. *Antonianus, Faerni, atque alij.* Scripſiſſe locutum. *Et conueniunt cum Manutianis. vt ad ueriorem loquendi formam,* ſcripſit ſecum locutum, *reduci poſſit: quo modo emendatur a Paullo.*

Pridie eius diei. *Hæc recta vſurpataq; dicendi forma. noſtri tamen omnes, cum typis excuſi, tum manuſcripti* Pridie illum diem. *quam ſane ſcripturam, non quo probem adduxi, ſed vt intelligamus, conſenſu librorum, non ſemper ſcripturæ ſinceritatem demonſtrari. Nam Pridie illum diem, vix credo vllius auctoritate defendi poſſe. Et tamen omittere nolui, ſiquid ad rem forte. Dicitur enim Pridie Compitalia, & Pridie Quinquatrus: & ſiqua ſunt eius generis.*

Melius quidem in peſsimis, nihil fuit diſsidio. *Terentianum illud exemplar Petri Bembi, & item alterum e bibliotheca Vaticana, non ſane tam vetuſtum illud quidem, ſed tamen et ipſum perantiquum, in illo Andriæ comœdiæ, Valeant, qui inter nos diſſidium volunt:* Diſcidium *habent: ad quam ſcripturam Gabriel Faernus, vulgatam lectionem, vt ipſe mihi narrabat, reuocauit: vt quemadmodum in ſenſu, ita etiam in verbis ſcriptura differentia ſit, variaq; amborum poſitio, & origo. Diſcidium enim, a Diſcindo dictum cum ſit, diuortio & ſeparationi conuenire videtur, vt Diſſidium a Diſſido, diſcordiæ ac diſſenſioni. Quæ ſi vera ratio eſt; hic quoque cum diuortium ſignificetur,* Diſcidio *videatur eſſe legendum, quemadmodum, & in Antoniano, & Faernino, & pæne omnibus ſcriptis reperitur Her*

*cule teſtari poſſum; quod eſt in* III. *de Orat. Hinc diſſidium illud extitit, quaſi linguæ & cordis, abſurdum ſane & inutile & reprehendendum; vt alij nos ſapere, alij dicere docerent; In manuſcriptis fere omnibus, & in uno qui eſt apud me, Diſcidium legi. Sane, Diſſidium eſſe, ſine diuortio poteſt: Diſcidium, uoluntatum quidem diſſimilitudinem arguit plerunque, ſed non ſemper. Poteſt enim ſciſſio hæc, non ſolum, communi uoluntate, ſed etiam contra uolnntatem fieri. Nam ſuprà M. Tullius lib.* III. *Epiſt.* I. *Cognoram enim te (inquit) acerbiſſime, diſcidium noſtrum tuliſſe: de ſuo diſceſſu loquens. Quo in loco, Diſcidium itẽ eſt ſcriptum, in uetuſtis libris, Antoniano reliquis.*

Tum, ne uim abuſo naſcetur. *Antonianus & Faerni.* ne uim ab ipſo. *qua ſcriptura, indicium Paulli, quod de hoc loco facit, adiuuatur, cum ea, ad coniecturam illius, quam quæ eſt in manuſcriptis eius, própius accedat.*

Quod interſit, me ſcire. *Iungendum* Me *eſt cum* ſcire, *non cũ* Inte ſit. *pro eo quod eſt, quod me ſcire opus ſit: ita ut hoc totum, Me ſcire, Recti locum obtinent. Alioqui mea fuit dicendum.*

## *IN EPIST.* XXIIII.

NON credo, & commoti. *Fortaſſe,* Et com-

monui. *hoc eſt, ſignificaui iam tum, & præ me tuli, me non credere: cauſſamq; addit, cur non crediderit,* Neque enim &c. *Quo in loco, libri ueteres,* Neque eum. *ut legi poſſit,* Non quem rogari, ne me quidem? *Quod ſatis argumenti ſit, non eſſe teſtamentum factum.*

## IN EPIST. XXV.

Cvm Terentia loquere. *Antonianus,* loquetor. *ut* loquitor *eſſe potuerit.*

III Non. Quint. *Ex diebus adſcriptis, quibus datæ ſignificantur, & ex ipſis etiam argumentis, facilè perſpicitur, quam perturbatus ordo ſit extremarum libri huius epiſtolarum. Videntur ita poſſe diſtribui, ut hæc ipſa quæ incipit, Facile aſſentio, ſit* XIX: *Et quæ deinceps, Quod ad te,* XX. *Cum tuis,* XXI. *Quæ dudum* XXII. XVII K. *Sept.* XXIII. *Accepi* VI K. XXIIII. *Diligenter,* XXV.

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Atticum, EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

Argumentum libri XII.

OMITTVNTVR *ſine litteris, menſes non pauciores ſex: nempe ex K. Septemb. in quibus deſinit liber proximus ſuperior, ad vſque tempus illud, cum iam bellum in Africa contra Scipionem & Iubam, Cæſar gereret. Nam a bello Alexandrino & Ponti reuerſus, Conſulq́; III, cum M. Aemilio lepido creatus; ſumma hieme, hoc eſt* VI *K. Ian. conſcendit, exercitumq́; in Africam traiecit: quo tempore, quatuor primæ epiſtolæ ſcriptæ ſunt. Quinta & ſexta, datæ videntur, cum iam Cæſar vel appropinquaret, vel rediſſet. Rediſt autem, a.d.* VII *K. Sext. auctore Hirtio. Reliquæ, cum in Hiſpania, contra Pompeij liberos pugnaretur, eodem*

*eodem C. Cæſare Dictatore* III, *deſignato* IIII, *collega & Magiſtro Eq: M. Aemilio lepido. quo tempore, Tullia ex partu, vt Pædianus & Plutarchus aiunt, apud Lentulum deceſſit. Itaque cũ ſe Cicero Aſturæ abdidiſſet, quotidianas pene litteras mittebat, gemitus, luctusque continentes: item preces, contentionemq́; vt horti ſibi ab Attico curarentur, in quibus, Filiæ, fanum condere poſſet. Fluxere dum hæ ſcribuntur, menſes, plus minus: duodeuiginti. Nam ex K. Ian. eius anni, quo Cæſar in Africam tranſmiſit, ad æſtatis initium anni illius, quo quartam Dictaturam in Hiſpania geſſit, tot fere numerantur. Aeſtatem porrò, reliquam fuiſſe, ſcriptis libri huius epiſtolis, ex prima tertijdecimi, cognoſci licet.*

### IN EPIST. I.

IBI vnum diem. *Lolgij liber & Romanus.* Vbi.

Eſt profecto quædam λέχη. *Noſtri,* Quiddam. *omnino ſignificantius, & Victorianæ editioni, conſentanee. Reſpondet autem ei obiectioni, quam ipſe ſibi ex Attici perſona fingit huiuſmodi. Si nihil erat quod ſcriberes, quid oportuit mittere inanes litteras? Cui ſic Cicero. Eſt profecto aliquod operæ pretium, vel confabulatio ipſa,*

ipſa, quæ habet, etiam ſi nihil ſubeſt, collocatione ipſa, ſuauitatem. ſic lib. XIII. De Attica probo. Eſt quiddam etiam animum leuari, tum ſpectatione, tum etiam religionis opinione & fama. Et ſupra lib. VI. Eſt enim quiddam, aduenientem non eſſe peregrinum atque hoſpitem. Sed quid ego in re perſpicua multus ſum?

## IN EPIST. V.

Ἄμπνευμα σεμνὸν ἀλφειοῦ πειρήνην. Placeret ſic legi. Et ἄμπνευμα σεμνὸν ἀλφειοῦ κρήνην, copula addita. Ita enim ſcrupulus omnis ſuſpicioq; tolletur: vt & Pirenen, & Arethuſam intelligat: hoc ſenſu. Fac illum, non ad aridum & ſiticuloſum fontem, ſed ad vberrimos, Pirenem & Arethuſam, in tantis ſuis &c. Vberem fuiſſe Pirenem, facete Plautus in Aulularia, de Fidicina loquens, oſtendit his verbis.

—Præterea tibicinam,
Quæ mihi interbibere ſola, ſi uino ſcateat
Corinthienſem fontem Pirenen poſſit.

Ποῖ ταῦτ᾽ ἄρ᾽ ἀποσκήψῃ; ποῖ, τοπικὸν aduerbiū cum ſit, Quoq; vel Vbi ſignificet latinis, quo modo, cum Excuſabis, qua ratione, ἀποσκήψῃ interpretantur, conueniat, non aſſequor. Sane mihi potior ſcriptura illa videtur, quæ ab eodem Manutio, ab hinc annos amplius Viginti, edita

eſt. *Habet enim* ἀποσκήψει, *a verbo* ἀποσκήπτω, *cuius primigenium, tametſi* ἄχρηστον *eſt; cum præpoſitione tamen vſurpatur, vt in* κατασκήπτω, συσκήπτω, ἐπισκήπτω, ἀποσκήπτω, *patet. Valet autem* ἀποσκήπτειν, τὸ ἐξ ὅλου, εἰς μέρος ἓν τὸ λυποῦν συνάγεσθαι: ἀφ᾽ οὗ ἀπόσκημμα, *vt Phanorinus ait*, τὸ κοινῶς ἀπόστημα. *Erumpere Ciceto ſolet dicere. Herodotus*, ἀποσκήψαντος τοῦ γ᾽ ὕπνου ἐς φανερόν..

Piſoni demonſtrarem. *Fortaſſe* Demonſtraret, *vtique Aulus.*

Et ſi poteris, Tubulus quo crimine. *Manutius ex coniectura, vt ait*, Tubulus *reſtituit, cum antea & in manuſcriptis & in impreſſis, aliter eſſet. Sed ſi exemplar Antonianum inſpexerit; lætabitur nihil ſe aberraſſe. Nam plane Tubulus in eo legitur. Et mox hoc etiam amplius, vbi in vulgatis eſt*, Cenſorino & Manilio, an Quinctio Manio Coſs. *in eo ſcriptum eſt*, Cenſorino ne & Manilio, an T. Quinctio, M' Acilio Coſs. *omnia ſcilicet melius niſi quod* Acillio *ſcriptum eſt gemina L, quod ſcribi debet vnica: Nam & Quinctio, Tito prænomen fuit: & prænomine tantum ſignari fere quiſquam Conſulque potiſſimum non ſolebat.*

## IN EPIST. XIII.

Tanto magis perpurga. *Durior trãſlatio vt*

*mihi uidetur, & remotior: ut equidem ſuſpicer,* perurge *potius eſſe legendum.*

Germanam ἀποθέωσιν habere uideatur. *In Antoniano & Faernino inter* ἀποθέωσιν *&* Habere, *hæc interiecta leguntur.* Sed uereor ne minoem τιμὴν. *ut totus locus ſcriptus ita ſit: Inſula Arpinâs, habere poteſt Germanam ἀποθέωσιν, ſed uereor ne minorem* τιμὴν *habere uideatur. quãquam Antoniano abeſt, græcum uerbum, inani ſpacio relicto. Hæc cum latina ſint, & ad ſenſum nõ modo accommodata, ſed etiam neceſſaria, uehementer auctor ſum, ut reſtituantur: eóq; magis; quòd ea Germani pro germanis, non ex ingenio, ſed & ipſi ueteres libros ſecuti repoſuiſſe uidentur.*

Sed litteris. *Faerni liber,* ſed & litteris. *quod placet.*

Latibulum, perfugium. *Noſtri ad unum omnes,* Latibulum & perſugium.

## IN EPIST. XIIII.

A D omniaq; nitor. *Noſtri.* Omniaq; nitor *extrito* Ad. *qua ratione dicimus, Aliquid pugnare, Contendere. Senſus uero eſt, Omnem conatum adhibeo, Omnia tento & experior.*

Sed nihil quod me adiuuarent. *Antonianus* Quo. *plane recte.*

IN EPIST. XVII.

POTEST tamen uideri. *Antonianus, Romanus & Faerni* eteri. *corrupte ſcilicet, ſed neq; vulgatus ſat recte, meo animo,* Videri: *ſiue Exiſtimari valeat, ſiue Cognoſci atque Inſpici. Nam in priori ſignificatu, cum antecedentibus, non ſatis apte coniungitur: in poſteriori, cum conſequentibus. Nos* Fieri *legendum putamus, per ſcriptorum imperitiam aut certe negligẽtiam diuulſum, & factũ* eteri, *F littera, ſimilitudine quam habet cũ E, errorẽ creante. Crebro.n. inueniuntur hæ litteræ in manuſcriptis libris, altera alterius locum occupare. Quòd ſi ita reſtituatur locus, ſenſus erit perſpicuus: Poteſt fieri vt ſpoſponderim, ſed certum ſcire volumus.*

IN EPIST. XVIII.

EIVSMODI eſt. *In meis*, Cuiuſmodi *Idq; recte. Nam e uulgata lectione, interrupta ſententia & vix hęrens, eruitur: ex noſtra conſequens & continens. Hoc inquit meum peccatum, ſi peccatum eſt, admonendi tui; velim mihi ignoſcas, cuiuſmodi eſt.*

Quæ ſunt ea. *Noſtri melius,* Quæ ſint ea.

IN EPIST. XX.

QVOD totos dies. *Manifeſtũ eſt hic deeſ-*

*ſe* Quam,*vt latini ſermonis ratio conſtet: quod tamen in Antoniano & Faërnino reperitur. niſi malumus* Qui *legere,ut ſit, Poſſum ne magis, qui totos dies &c. ſed a veterum librorum lectione, non libet recedere.*

IN EPIST. XXI.

ETIAM M' Acilij Glabrionis. *Libri & veteres & recentes.* M. Annij Glabrionis. *Antonianus tamen,* Manij Glabrionis. *Quòd qui prænomen ignorarunt librarij, M. Annij, diſſecta uoce, imperite fecerunt. In nullo Acilij nomen eſt. Nec tamen ſum neſcius, Glabriones, cognomen Aciliorum fuiſſe. Hæc eo pertinent, ut* M' *aut* Manij Glabrionis *legendum putem: cum præſertim reliqui præter Cæſarem & Piſonem, ne de C. & L. dici crederentur, uno tantum aut nomine, aut cognomine, ut ſit in tanta hominũ ſerie, appellentur: nemo prænomine, Nomine & Cognomine.*

Num Clodia. *Antonianus*, Et num Clodia, *explicatius.*

IN EPIST. XXII.

ISTO abduxerit. *Poggij liber, Ant: Faërni.* Adduxerit. *quod neſcio quo pacto arridet magis.*

IN EPIST. XXV.

Mollitiem, conſuetudinem. *Noſtri omnes,* Mollitiam.

*IN EPIST. XXVI.*

CIRCITER K. *Puto Februarias. Si enim Panſa, vt ipſemet Cicero ſcribit ad Caſſium, libro epiſtolarum ad Senatum. a.d.* III *K. Ian. profectus eſt, nihil cauſſæ fuit, cur timeret Cicero, ne Brutus e Gallia rediens, Kalendis Romæ eſſet: ſiue ille Rauennæ, ſiue Lucæ, quæ duæ urbes in prima prouincia erant, Panſam expectaſſet. Itaque & proxima ſuperiori epiſtola, ubi legitur,* X, K. *eſſe uenturum &c. intelligo Februarias.*

*IN EPIST. XXVII.*

QVOD ego æſtimo. *Faërni liber.* Quod ego magni æſtimo. *quod prorſus deſideratur.*

*IN EPIST. XXVIII.*

ET quid inclinent. *Melius, meo animo,* Et ecquid.

*IN EPIST. XXX.*

AT concede mihi quæſo. *Faerni liber & Lolgij.* Aut. *Romanus,* At tu, *quod ſcriptorum incuria, in* Aut *abijt. Et uidetur rectum, ſed ad ſententiam nihil.*

*IN EPIST. XXXV.*

QVAM te. *A cõmuni præpoſitione Cum, ne*

*ſolœciſmus ſit: quanquam ne ſic quidem abunde ſatisfacit. Singulare enim puto, & fortaſſe mendoſum. Nec tamen auctor ſum, vt* Cum te *dicatur, quod latini ut diſſonum uitauerunt: ſed hanc unam eſſe rationem dico, loci huius, non tam a ſcriptorum lapſu, quàm a ſolœciſmo, vindicandi. de quo tamen nihil ſtatuo.*

## IN EPIST. XXXVI.

Vt mihi ſtomachere. *Noſtri concinniorem habent ſententiam: amoto* Mihi. *Eo progrediar inquit, vt tu, qui ſtultitiam ferre conſueuiſti meã, iam eã ſtomachere. ſic infra lib.* XIIII. *Amariorem enim me ſenectus facit. Stomachor omnia &c.*

## IN EPIST. XXXVII.

Maxime liberaliſsima. *Alij emendãt,* Maxima ἀσυνδέτως. *Ego tamen animaduerti ſupremum comparationis gradum, alijs etiam particulis, quæ vim augendi habeant, quaſi cumulari: cuiuſmodi ſunt Apprime, omnino, ſine controuerſia, Vnus omnium. in quibus Apprime, idem ualet, quod Maxime. Nam Seruius ſuper illud Virg. lib.* II. *Georg. Flos apprima tenax. Apprima, interpretat Maxime. Porro Apprime ſuperlatiuo iungi, notũ ex Cicerone, qui de*

*finibus lib. III ita ſcripſit. Quod autem, in quo ſapienter dicimus, id apprime rectiſſime. Quæ conſtructionis ratio ſi recipitur, cur hæc noſtra reijciatur, cum vtriuſque particulæ vis eadem ſit? Quin pro Sextio. Ita frequentiſſimus, pro adeo dixit, in hunc modum ſcribens: Cuius ſententiam, ita frequentiſſimus Senatus ſecutus eſt, vt vnus diſſentiret hoſtis.*

## IN EPIST. XXXXII.

Cum id eſſet (mihi crede) perinde vt &c. *Faerni liber,* Tum id eſſe *ad ſententiam vt opinor, melius, quæ illa eſt. Tu bene facis, quod rem illam fore leuamento mihi indicas: & crede mihi, id eſſe huiuſmodi, vt tu exiſtimare non poſſes. Valet enim* Tum, *Et, vt Donatus ait in eo loco interpretando ex Eunucho.*
*Vt illum Dij Deæq; ſenium perdant, qui me hodie remoratus eſt: Meq; adeo qui reſtiterim: tum autem qui illum vel flocciferim.*

## IN EPIST. XLIII.

Bellumq́ narrat reliquum. *Nihil eſt, quod particulæ Nec reddatur. Corradus,* Et id fictum *emendat; bona quidem ſententia, ſed libris repu-*

*gnantibus. Dicimus igitur* Que *pro* Et, *vim habere redditiui, hoc quidem loco. ſenſusq́; & ordo hic eſt. Philotimus narrat nec Pompeium Carteiæ teneri: & bellum reliquum ſatis magnum fore.*

Solet omnino eſſe Fuluiaſter. *Noſtri,* Fuluiniaſter. *vt cum nulla auctoritate probari poſſit, Fuluiam magis, quàm Fuluinium ſignificari; equidem librorum conſenſionem libenter ſequar.*

## IN EPIST. XLVI.

Cæteris rebus infirmiores ſumus. *Noſtri* Inſeriores, *quos ſequimur; non ſane vulgatos improbantes; ſed præter tot librorum conſenſum, eſt etiam neſcio quid, quod magis probem.*

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Atticum,

## EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

### Argumentum libri XIII.

EXIGVVM *tempus mutũ fuit a litteris, inter huius libri epiſtolas, & ſuperioris. Scriptæ autem & hæ ſunt, dum Cæſar in Hiſpania, contra Pompeij liberos gereret, ipſo eodẽ* IIII *Cos. ſine collega, vt Sigonio placet: belloq; confecto rediret: ſpacio fere menſiũ ſeptem. Nam æſtatis initio, vt ex epiſtola prima colligitur, ſcribi cœptę ſunt, fingamus ex Kalendis Iunijs: & menſe Decẽbri deſierunt. Nãq; tertijs Saturnalibus, quæ fuerant* XII *K. Ianuarij, apud M. Tulliũ Cęſar cœnauit, vt eſt in epiſtola vltima libri huius. quãquã vltima illa videtur eſſe, cui eſt in hoc libro locus* XLI *aſſignatus, in qua de ſuo natali die agit, q fuit* III *Non. Ian. Argumẽtũ illarũ multiplex eſt, ſed plurimũ ĩ illis: De epiſtola ad Cæſarẽ miſſa: Quos in ſuos dialogos includere debeat:*

*De hereditatibus quibuſdam. De Quinti filij improbitate, querela. De ſuo Catone, & Cæſaris Anticatone: & de domeſticis ſuis rebus nonnullis.*

## IN EPIST. I.

Deinde etiam, ad κατaβίωσιν mæſtitiamque minuendam. *Sebaſtianum ſequor, qui* κaτaβίωσιν, *vitæ quaſi tædium ſatietatemq; exponit.* κaτὰ *enim in compoſitione, malam fere in partem accipi ſolet. Quare cum* βίωσις *vitam ſignificet, præpoſitione adiuncta, vitæ faſtidium & deiectionem indicat. Nec me fugit tamẽ, tenuem quoque victum valere: ſed quid hic de tenui victu queratur, quem ſemper eſt ſecutus?*

## IN EPIST. II.

Eum Sextius noſter, parochijs publicis occupauit. *Noſtri, tum* Parochis publicis, *tum* Parochus publicus. *quam poſteriorẽ ſcripturam veriorem puto. Nam, & Parochium inueniatur nec ne, vnde Parochijs declinetur, haud ſane ſcio: Et quanquam Parochos Romę fuiſſe non legimus, ſed in itinere ac prouincijs: ut ligna ſalemq; vt Horatius ait, aut potius uictum ſuminiſtrarent ijs, qui Reip. cauſſa, peregrinarentur (Nam quæ legatis exterarum nationũ per Quæſtores mittebantur Romæ, ea Lautia uocabantur:*

Feſtus in dictione Dacrymæ. Dacrymas, Liuius ſę pe poſuit: nimirum quod Græci appellant δάκρυα. Item Dautia, pro Lautia dicimus: & dantur Legatis hoſpitij gratia) tamen fieri poteſt, ut Sextium hoc loco Cicero, per iocum Parocнũ apappellet: qui, quaſi ad ſe ualde pertineret, Ariarathem feſtinauerit, per ambitionem uelut Parochus, domum ſuam deducere, atque hoſpitio accipere. Parochum, a παρέχω dictum fuiſſe, ſat conſtat. Nec me præterit quid Nonius ſcribat: ſed Acroni aſſentior.

## IN EPIST. IIII.

Aulus enim videtur. Auius legerim libentius, & quia ita habent manuſcripti libri, & quia raro prænomina ſolitaria uſurpari ſolent; niſi forte res qua de agitur ita nota ſit, ut in perſona errari non poſſit: ut cum de Clodio ſcribit, cum de Peduceo: quos non ſæpius nominibus, quàm prænominibus appellat. Ad hæc, cum Auij nomen rarum inuentu, Auli frequens ſit: facilius librarij, ex Auio, Aulum faciant, quàm contra. Huius Auij mentionem facit epiſtola lib. huius II, ſi Victorij editionem, compluresq; ueteres libros ſequi uolumus, cũ Piſonisq; negotio itẽ cõiungit.

## IN EPIST. VI.

Ne nullum debeamus. Non aliter manu-

*ſcripti. vnus Romanus* Ne vllum, *quod arridet non nullis, & mihi ſane placet.*

Legare in decem. *Antonianus, Faerninus*. Eos legare in decem.

## IN EPIST. VII.

Et Theopompus pridie. *Is Cnidius fuit, C. Cęſaris familiaris: de quo Strabo lib.* XIIII καθ' ἡμᾶς δὲ θεόπομπος ὁ καίσαρος τοῦ θεοῦ φίλος τῶν μέγα δυναμένων. *Et Plutarchus in vita Cæſaris.*

## IN EPIST. X.

Brutus ſiquid, curabis vt ſciam. *Faerninus & Antonianus*: Siquid egerit. *Et quid tale deſideratur. certe proxima ſequenti epiſtola, eadem puto de re, ſi Brutus (inquit) quid egerit etc.*

Credo enim petiiſſe. *Antonianus & Lolgii*. Et credo eum petiiſſe *æque bene*.

## IN EPIST. XI.

Piſonem ſi poteris conuenias. *Ant. Faerni Lolgii* Cõuenies. *& indico melius, quòd ante dixerit Scribes. ne modorum commutatio fiat.*

## IN EPIST. XVII.

Non imperaſſem igitur. *Malim* Nam.

*Sed vtro modo legatur,* Igitur *eſt mihi ſuſpectũ, vſque adeo inconcinne iungitur. Verum ſi Nam ponatur, hoc dicat. Expectabam ab amicis aliquid. Nam ſi ſecus putaſſem, imperaſſem tuis, vt tu ipſe ad me mitteres.*

## IN EPIST. XVIII.

Cum ipſe homo πολυγραφώτατος, nunquam &c. *Antonianus & aliquot alij, poſt græcum verbum,* Ac *habent: non aliena ſententia, vt mihi videtur. Neque enim miratur Cicero tantummodo, quòd homo* πολυγραφώτατος, *ſe nunquam laceſſiuerit; ſed, quòd hæc a ſe deſideret, qui ipſe per ſe, tot editis voluminibus, nomen ſuũ potuerit ab iniuria obliuionis vindicare: & præterea illud: quòd ſe nunquam laceſſiuerit, neque in ſermone, neque per litteras, quibus id ſe cupere oſtenderit.*

## IN EPIST. XIX.

Scripſit enim ad me Balbus ac Oppius. *Mei aliquot, in his Antonianus.* Balbus, Oppius. *Quę ſane ſcriptura, non eo tantum nomine placet, quòd quidam* Ac *negant adhiberi a Cicerone, vbi ſequatur vocalis: quod tamen ita ſeruatur ab illo, vt cum ſecus inuenitur, ſuſpectum eſſe poſſit: quam quòd conſtructio durior ſit.*

*(quam tamē non damno, ſed duriorem puto) Scripſit Balbus & Oppius copulate:* ἀσωμάτως *non item. Sed tamen nihil muto.*

Meam ſe oratiunculam. *Veteres libri omnes.* Eum. *melius ſine controuerſia, cum iam Ligarianam, dixerit, quo* Eam *referatur.*

IN EPIST. XX.

Curandum enim non eſt. *Concinnius & a ſententia & a dicendi ratione Faerni liber, hoc pacto diſtributos habet articulos.* Nihil enim curandum. Melius non eſt, atque hoc &c. *De fama inquit, nihil ſane laboro, etſi ſcripſeram ad te tunc ſtulte, nimirum laborandum de ea in primis eſſe. Nihil enim de illa curandum eſt. nec eſt melius, quàm hoc, quod dicam ſcilicet: in omni uita ſua, quenque tranſuerſum unguem a recta conſcientia non oportere diſcedere & uulgi rumuſculos flocci non facere. Quod ad loquendi formā ac rationem attinet, paulo poſt, eodem modo eſt locutus. Nec eſt melius quidquam, quàm ut Lucullus, ſuſtineat currum &c. Et ſupra lib.* XII. *Sed loquere cum Silio. nihil enim eſt melius. Si uulgatam ſequimur, uideant eruditi, quo illa referri uelint,* Atque hoc. *nec me latet, paulo poſt,* Oportet *in aliquibus legi; ſed &* Oportere *inuenitur in alijs, de quo putamus* Oportet *factum*

*ab*

*ab ijs fuiſſe, qui duo illa infinita, a quo penderent, non videbant.*

## IN EPIST. XXI.

C V M inhiberi eſſent remiges iuſsi. *Ita quidem veteres libri omnes: ſed mihi commodius* Inhibere *legi poſſe videtur. vt plena locutio ſit, Inhibere nauim. quod eſt, vt inquit Cicero, ad puppim conuertere. Plane mihi incongrua dicendi forma videtur, Remiges ſunt iuſſi inhiberi, ſiue ad rem, ſiue ad perſonas referas. Inhibere autem auctore Attico, pro eo quod eſt, ſuſtinere, ita probauit Cicero, ut prius in libris de Oratore, poſt etiam in Academicis, eo ſit vſus. Poſtea tamen, cum nauis ad villam ipſius appelleretur, vidiſſetq; remiges, cum Inhibere iuſsi eſſent, (erat enim verbum nauticum) non remos ſuſtinuiſſe, ſed alio modo, nimirum ceſſim nauigare: intellexit ſe, a verbi notione, aberraſſe. Non enim illud ſuſtinere remos, ſed remorum miniſterio, ad puppim nauim conuertere, ſignificare: quod Thucydides* πρύμναν κρούεσθαι *dixit, his verbis libro primo.* Καὶ οἱ κορίνθιοι ἐξαπίνης πρύμναν ἐκρούοντο, κατιδόντες εἴκοσι ναῦς ἀθηναίων προσπλεούσας. *Quam dicendi rationem, Iuſtinus libro* II, *latine videtur effinxiſſe, & quaſi interpretatus his*

*verbis, quæ Themiſtoclem refert, in ſaxis proſcribenda curaſſe, qua, Iones, Xerſi auxilio venientes, nauigaturi erant: quę ſunt huiuſmodi. Quin vos in hęc noſtra caſtra ex iſta obſidione tranſitis? aut ſi hoc parum tutum eſt, ad vos commiſſo prelio, ite ceſſim, inhibere remos & a bello diſcedite. Et paulo infra, Iones iuxta præceptum Themiſtoclis, pugnæ ſe paulatim ſubtrahere cœperunt. quorum defectio animos ceteris fregit. Liuius vim verbi explicare voluiſſe viſus eſt, cum ſic ſcripſit. Vt quæque roſtrata nauis retro inhibita onerariam poſt ſe trahebat. Quod eſt, Iuſſa retro cedere; continens pro contento. vel certe retro contrario motu acta. Quod fit vel in metu, cum nautæ ſaluti ſuæ fuga conſulere volunt, vel in defectione. Et hoc quidem fuit Ciceronis de hoc verbo iudicium: vt equidem mirer, illud non tam in libris de Oratore, ad hæc vſque tempora hæſiſſe, quàm ſubſcriptorem etiam inueniſſe, hominem ſummi iudicij Quinctilianum: qui in proemio libri* XII, *ſic ſcripſit. Vnum modo in illa immenſa vaſtitate cernere videmur M. Tullium: qui tamen ipſe quanuis tanta atque ita inſtructa naue ingreſſus, contrahat vela, inhibetq́; remos, & de ipſo demum genere dicendi, quo ſit vſurus perfectus Orator, ſatis habeat dicere. Quo in loco,* Inhibet, *Suſtinet valere, perſpi-*

Locus Quinctiliani illuſtratus.

*cuum eſt. Verba autem Ciceronis in primo de Oratore, hæc ſunt. Vt incitato nauigio, cum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipſa nauis motum & curſum ſuum, intermiſſo curſu pulſuque remorum: ſic in oratione perpetua, cum ſcripta deficiunt, parem tamen retinet oratio reliqua curſum, ſcriptorum ſimilitudine & vi concitata. Vbi* Inhibuerunt, *improprie tranſtulit, pro Remos ſuſtinuerunt: cum* Inhibere, *& nauem conuertere ſignificet, & retro cedere.*

Quam vt Lucullus. *Exiſtimamus* Lucillium *eſſe legendum: quem ſe Cicero, cum Equos ſuſtinebo, ſcripſit in libris Academicis, auctorem eius locutionis habuiſſe dicit, ita canetem.*

*Suſtineat currum, vt bonus ſæpe agitator equoſque.*

*Adde, quod ad Lucullum pertinere nihil poteſt, qui in Academicis libris ad Varronem, quos iam miſiſſe ex eo maxime liquet, quòd in his, ab eodem Varrone* Inhibere, *emendari iubet: loquendi partes nullas habet: ab eo & Catulo & Hortenſio ad ipſum Varronem, Tullium, Atticumq; translatas: vt falſo, in his quidem libris, Lucullo quidquam attributurus fuerit. Ego exiſtimo M. Tullium in Lucullo, Equos ſuſtinere dixiſſe, quemadmodum in eo, hodieq; inuenitur: ſed iuſſu Pomponij, cum ad Varronem tranſtulit, in Equos*

*Inhibere mutaſſe,quod poſtea damnauerit,emendariq́; voluerit. Quare & ſcripturam probo illam, quæ eſt in Antoniano*, Dices hoc idem Varroni, niſi forte mutauit. *vbi in alijs eſt*, ſi forte mutauit. *Nouerat enim Cicero, quæ Varronis eſſet in Romana lingua peritia,dubitabatq́; ne ipſe per ſe locum emendaſſet.*

Cum a me tibi dictum ſit. *Antonianus*, dictum eſt, *explicatius & ſignificantius. Et ibidem.* Quũm autem *pro eo quod eſt in vulgatis* Quomodo autem, *abraſa rogandi nota, illo ſenſu. Cum a me tibi dictum eſt, id diligentiſſime ſoles facere, nec vlli, tui poteſtatem faciunt deſcribendi, a te videlicet moniti. Cum autem fugit me tibi dicere, Cærellia deſcribit ab illis: qui in eo, quoniam prohibiti a te non ſunt,non putant ſe peccare; nec ego eos accuſo,& te culpa libero: propterea quod a me prætermiſſum eſt; vt dicerem eos exire me nolle. Quæ poſtrema verba, certiorem etiam faciunt, noſtram hanc lectionem. quæ ita placet,vt vulgatam non improbemus,quæ & ipſa bella eſt.*

Poſſum falli vt humanus. *Antonianus*, vt homo) aũs eam non habere, *quod ego* a meis eam, *interpretor, egregieq́; probo, etiam ſi reliqui libri repugnent. Nam & fallimur vt homines, non vt humani*: & Me cum his *quæ ſe-*

*quuntur, quę, ſine controuerſia de librarijs dicuntur, conuenire non poteſt. Et vt* a me *aliquando pro* a meis *ponatur, hic tamen neſcio quo pacto illepide a prima perſona ad tertiam, & ab vnitatis numero, ad multitudinis, tranſitus fiat. Et tamen* Humanus *y dictum priſcis fuiſſe pro eo quod eſt* Homo *non negamus. Feſtus enim in voce Topper, hæc ex C. Næuio.*

*Nullum prius lacerat humanum, quàm mare ſæuum.*

*Vires cui ſunt magnæ: topper confringent importunæ vndæ.*

*Et Varro, in Margopili* περὶ ἀρχῶν

*Natura humanis omnia ſunt paria*

*Quæ pote plus vrget: piſces & ſæpe minutos*

*Magnum comeſt: vt aues enecat Accipiter.*

*Quibus in locis Humanus, pro Homo videtur accipi. Mihi tamen, quoniam illud rarum eſt, hocq; in manuſcriptis inuenitur, placet homo.*

In qua nihil tibi credo. *Veteres libri, in his Antonianus & Faerni;* Cedo *ſententia perſpicua & ſequente. Cur enim, & quæ quis nouerit, non credat? Nimis arguta hæc interpretatio, & a populi ſenſu remota. Itaque hanc teneo ſcripturam, hoc eſt, multorum exemplarium conſenſum, verbis hoc modo diſtinctis atque interpunctis. Quod autem de illa noſtra cogitatione*

ſcribis, in qua nihil tibi cedo: ea quę adhuc noui, valde probo, hominem, domum, facultates. vt hoc dicat Cicero: ſe Attico non concedere, vt maiorem ille curam & cogitationem de filiæ nuptijs, quàm ipſemet ſuſcipiat.

## IN EPIST. XXII.

Et ille tibi negauit. Noſtri omnes, Et tibi recte ille negauit, repetito Recte, in quo uis extat quædam. Et mox pro Hoc quoque, ſed hoc quoque.

## IN EPIST. XXIII.

Quo maxime poſita. Veteres libri. In quo. Sed tu videris. Libri veteres, Sed tu tamen videris.

## IN EPIST. XXV.

Litteras ſcriptas: Noſtri Scriptas litteras. recte.

Sed quoniam tute legiſſe ſcribis. Valde officit ſententiæ, coniunctio Sed: translatamq; ſuſpicor per ignorantiam, ex ſimillimo loco, qui mox ſequitur: cuiuſmodi errores deprehenduntur non pauci: quanquam, ne ſic quidem ſententia ſatis plana eſt. Itaque ſuſpicio mihi eſt iniecta, cum Aliter, aut huiuſmodi quiddam deſideretur, ne,

*cum antea* Quoniam ſecus te *legeretur*; Sed quoniam tute, *factum ſit, ſcriptorum imperitia, traiecta dictione. Certe, tale quid ſententia poſtulat, quod nec ſuppleri poſſit legẽtis iudicio, nec, vt omittatur, communis dicendi uſus & ratio patitur. Ne illud quidem prætermittam, pro eo quod eſt in uulgata,* Ita volui Bruto ſcribere: *in Antoniano*, Bruto ita volui ſcrbere. *quæ uerborum collocatio, quàm nouo principio aptior ſit, docti probe ſentiunt. Et ut totus ſenſus meus de hoc loco habeatur, ita ſcribendum cenſeo. Bruto ita uolui ſcribere, quoniam ſecus te legiſſe ſcribis (fui fortaſſe ἀσαφὴς) me ex tuis litteris & quæ ſequuntur.*

Male mihi ſit. *Hic quoque ut alibi non ſane paucis locis* Mi *legitur, in uetuſtis omnibus, eodem quo* Mihi *ſenſu, ſed ad humilem & familiarem dicendi rationem, qualis harum eſt epiſtolarum, forſan accommodatius. Nam in reliquis eius litteris, uix* Mi *unquam inuenias. Itaque etiam quidam uix ferunt in his libris, culpam in ſcriptores reicientes, qui compendia ſectati,* $\overset{\text{i}}{\text{M}}$ *pro Mihi fecerint:* Mi *aut uocantis, aut blandientis eſſe, a Mius ut Cariſius ait, inclinatum; quemadmodum a Salluſtius, Salluſti: ab Orontius, Oronti. Ego tamen ab ijs quæram; an in his tantum epiſtolis,*

*exiſtiment, librarios breuitati conſuluiſſe. Quod ſi negent, vt par eſt, atque eos eodem ſtudio fateantur detentos: pergam, cur non item ibi Mi ſcripſerint, vbi erat Mihi. Quod ſi illi nihil ad hæc, nos quod diximus, tenebimus: in hoc tenui ſcribendi genere, Mi lepide vſurpari. Adde, quod a datiuo Mi, factum eſſe accuſatiuum Me, Grammatici tradunt: vt a Mihi, Mehe, quo vſos Tragicos veteres Quinctilianus ait. Sed neque illud caſu factum arbitror, vt mirus quidam librorum conſenſus ſit, vel vbi Mi legitur in aliquo, vel vbi Mihi. vt inferius, epiſtola quæ proximam ſequitur. Mi optato veneris: & Mi mittas Et, Mi, auctores, epiſtola libri huius* XXXIX. *Et, Cottam mi velim mittas, epiſtola* XLIII. *& ſexcentis alijs locis, in qua ſcriptura conſentiunt manuſcripti omnes. Plautus etiam.*

*Sed hoc primum expurgare tibi volo; me inſaniam*

*Neque tenere: neque mi eſſe vllum morbum, niſi quod ſeruio.*

## IN EPIST. XXVI.

Quo autem Lanuuio? *Veteres libri* Lauinum. *corrupte illi quidem ſed haud longe forſitan a vera ſcriptura. Nam, vt ex epiſtolis ſupe-*

*rioris libri, in quis hanc ipſam collocandam fuiſſe Manutius docet, colligitur: Cicero, Aſtura in animo habebat, Lanuuium proficiſci: inde in Tuſculanum. Quare cum in antiquis aliquot, ita vt diximus legatur, videtur locus ita emendari et interpungi poſſe. Quo autem? Lanuuium ſupple proficiſcar. Conor equidem in Tuſculanum, ſed etiam atque etiam animus refugit: quem ſi contudero, faciam te certiorem. Non damno equidem vulgatam, ſed hac præfero, quod alienius videatur, quo, Lanuuio proficiſcatur quærere, priuſquam ſe eo venturum dicat.*

## IN EPIST. XXVII.

NEC in hac quidem re. *Ant: Faerni.* Nec mihi in hac quidem re.

## IN EPIST. XXVIII.

SCRIPTA deſiderat. *Antiqui libri,* Deſideret, *melius, cum ſequatur,* Probet.

Magnopere arceſsitus. *Video a nonnullis eam inter Arceſſo & Accerſo differentiam conſtitui, vt Accerſat is qui uocet, Arceſſat qui accuſat: quos alij ſecuti,* Accerſitus *hic reſtituunt: propterea quod ad ſe Niciam Dolabella, non in iudicium uocauerit. Nos cum ſciamus, Arceſſo, & Nomen deferre, & quædam etiam alia priuatim*

*ſignificare; tamen cum quempiam euocamus, non ſane valde referre arbitramur, Vtro vtamur: cum vtrunque ex Cio verbo, & Ad præpoſitione componatur, niſi quod in altero Ar. pro Ad eſt poſitum, more quodam antiquiſſimo, quo Arfines vt Priſcianus ait, & Aruocati dicebantur: in altero præpoſitionis littera ſeruata, euphoniæ cauſſa, S. tantum in R mutata eſt. Itaque indifferenter, alterum pro altero vſurpatur, & ſcriptum inuenitur. Quod & Terentius Scaurus, confirmare videtur non obſcure, cum ſic ſcribit.* Sed quidam differentiam eſſe voluerunt, *vt Arceſſo quidem ab eo verbo eſſet, quod eſt Arceo: Accerſo vero, ab eo quod eſt Accio. Sed nobis, vtcunque ſcribendum, ad eandem ſignificationem, videntur pertinere. Quin hiſce in libris, vbi in vulgatis Accerſo eſt, in vetuſtis noſtris Arceſſo plerunque reperitur, eodem ſenſu. vt libro primo. vbi in nouiſſimis eſt Quare te expectamus; te deſideramus: te iam etiam accerſimus. in manuſcriptis eſt Arceſſimus. Et ne ſim longior, vbique fere hoc modo.*

## IN EPIST. XXIX.

NON eſſe probatam mulieribus. *Ad ſententiam, magis facit,* Probatum. *Vult enim*

*Atticum Cicero deterrere, a nuptijs Talnæ, quòd eius res domeſtica, non ſane bono loco videretur conſtituta: Argumento eſſe, quòd cum Vetullam, amplæ dotis cauſſa, ſibi expetiuiſſet, tamen non eſſet probatus Cornificiæ mulieribus: quòd eū repperiſſent rem non maiorem habere* D C C C. *quæ pecuniæ ſumma, Talnæ perſonæ potius, quàm mulieris conuenit: cuius dos, haud ſane parua cenſeri potuit, quæ ſummam excederet aureorum noſtrorum uigintimillium.*

Tecta igitur ambulatiuncula addenda eſt. *Faerni liber,* Ambulatiunculæ addenda ſunt. *cum quo Romanus facit, & Lolgij & Poggij. Verum, quia de re mihi non conſtat, de verbis nihil ſtatuo.*

## IN EPIST. XXX.

MVMMIO fuerunt. *Ant. Faer.* Fuerint. *nec dubium quin melius.*

## IN EPIST. XXXI.

VTRVM liberet facere poſſe, auctore me. *Faerni liber.* Vt vtrum liberet facere poſſet auctore. *Poggij, Lolgij Romanus* Me, utrum liberet facere poſſet, auctore. *Ego ex his omnibus,* Me, vt vtrum liberet, facere poſſet, auctore. *ut* ὑπέρβατον *ſit, quale illud*

*ſuperius, Partium ſtudioſus & defenſor bonarum. Et inferius. Videbaturq́; erga noſtros ἥρωας, ita fore, vt nos vellemus animatus. Atque ita eſſe legendum illa argumento ſunt: primum, qnod æque omnes* Poſſet. *nullus in fine Me, omnes in principio membri huius habent: Deinde etiam, quod veriſimile non eſt, Ciceronem, poſteaquam Cæſarem ad bellum hortatus eſt, addidiſſe, liberum ſe ei relinquere, vt, vel contra ſuaſionem ſuam, domi maneret, quod uulgata lectio ſignificat: ſed hoc Attico ſcribit, ita ſe ei bellũ ſuaſiſſe, vt iret, nec ne iret, non ualde laboraret. Neque enim ſe, cum ſuaderet ad bellum, hominem coëgiſſe: vt amicos illius, ea pars epiſtolæ, vſque adeo offenderet. Quare addidit, Hoc enim ille expectat videlicet. &c.*

Si Canium haberes. *Iis aſſentior, qui Q. Gellium Canium volunt hic dici, Attici æqualem, vt Nepos in vita ipſius ſcriptum reliquit, ſimillimumq́; : quanquam & hic omnes: & in Nepote quidam manuſcripti,* Canum *habent. Quod vt melius eſſe credam, non ſolum ipſi libri, ſed illud quoque perſuadet, quod Canus cognomen eſt: quo in genere, utrum ullum in* IVS *inueniatur finitum haud ſane ſcio. Nec quia Salluſtij Libri inſcripti ſunt, C. Criſpi Salluſtij &c. idcirco dubitationi ſatisfactum eſt: cum certum ſit, vſu quodam, Criſpus Salluſtius, ut Balbus Cornelius, dictũ fuiſſe: Aliâs*

quidem Criſpus, cognomen eſt. Itaque & hoc ordine inſcribendæ eſſent hiſtoriæ. C. Salluſtij Criſpi non, C. Criſpi Salluſtij. Cognomen porro fuiſſe Canus, præter quam quod ex Nepote cognoſcitur, priſci etiam lapides oſtendunt. Vetuſtum in Vulſinis monumentum eſt, quód in ſuas varias lectiones Petrus Victorius tranſtulit, ita inſcriptum.

L. COMINIVS L. F. AN.<br>
C. CANVLEIVS L. F.<br>
T. TVLLEVS T. F. KANVS.<br>
L. HIRRIVS L. F. LATINVS.<br>
IIII VIR. THEATRVM,<br>
ET PROSENIVM DE SVA<br>
PECVNIA FACIENDVM<br>
CVRAVERVNT.

Illud non negligendum, cum hac ſcriptura, noſtros quoque veteres libros, hoc loco conſentire, Antonianũ, Faerni, Poggij, reliquos. Etenim Kanum eſt ſcriptum: Sed cum infra tamen ſemel atque iterum, Canus legatur, in eam opinionem uenio, vt, vel non magni intereſſet, vel ita certe exiſtimarunt librarij, latino'ne C. an Græco K ſcriberetur. Et fuit ſane tempus, cum quidam, litteræ huius, & ſi latinis non neceſſariæ, qui C. haberent, tamen ita delectati ſunt, vt quotiens A, correpta ſequeretur, K libentius adhiberent: vt non ſolum

*Kalendas, ſed & Kaput dicerent, & Kalumnias, auctore Diomede, & ante eum Q. Terentio Scauro. qui etiam illud innuere uidetur, ideo K adhibitum fuiſſe a ueteribus, quia cum illi, quotiens huiuſmodi uerbum ſcribendum eſſet, in quo litteræ ſuum nomen retinere poſſent, ſingulis litteris pro ſyllaba uterentur: ſedcimq; dcemq; pro ſedecimq; decemq;: bne pro bene: cra pro cera, ſcriberent; ſi Canus aut Carus ſcribendum fuiſſet, niſi K litteram habuiſſent, non Canus aut Carus, ſed Cenus & Cerus dicturi fuerunt: cum C. in E uocalem deſinat. Quare etiam contendit C. magis eſſe ſuperfluam, quam K: quando K apud Græcos ſatis uim etiam C. litteræ exprimeret. Quin etiam illud addit. Non fuerunt tam imperiti antiqui, ut K ſeruarent, ſi aliam litteram idem ſonantem habuiſſent: & alia plura, ſed in mendo latentia. Et ſane frequens fuit ueteribus litteræ huius uſus. Nam duo K K iuncta, Calumniæ cauſſa ut Iſidorus ait, ſignificabant. Et ad portam Eſquilinam Romæ in antiquiſſimo lapide Kaſibus eſt ſcriptum, hoc modo.* IMP. *Cæſar Aurelius Antoninus Pius, Felix Aug. Parth. maximus: Brit. Maximus: Pontifex Maximus: aquam Marciam uarijs kaſibus impeditam, purgato fonte, exciſis & perforatis montibus, reſtituta forma, adquiſito etiam fonte nouo Anto-*

*nini, in ſacram urbem ſuam perducendam curáuit. Nec initio tantum dictionis arriſit, ſed etiam in medio, cum Euokatus dicerent. Ita enim ſcriptum Romæ conſpicitur. Aurelianus Euok. ex fine ſalario R.* VIII *Coh.* II. *Vixit annos* XXXVIII. *Mil. Ann.* XVII. *Nat. Dacia, Iulia Vrſa Patri B. M. F. Ita quidem ueteres. Quinctilianus tamen, nullis in uerbis* K *utendum putat, niſi quæ ſignificent, etiam ſi ſola ponatur, Cuiuſmodi Kalendæ ſunt & Cæſo, ex Terentio Stauro, & Capitolinis lapidibus. Sed ut eo reuocetur, unde hæc declinauit oratio ſperauit Cicero, huius noſtri Kani opera, qui Othoni eſſet, uel amicitiæ uel neceſſitudinis iure, coniunctus, fore ut Otho, facilius moueretur.*

## IN EPIST. XXXIII.

SI Plancus deſtinat, tum haberes &c. *Faerni liber:* Deſtinatum habet, haberes difficultatem. *& placet. Eſt autem ſenſus, ſi Plancus, conſtitutum habet hortos emere &c. Antonianus etiam, pro* haberes, Habet res, *& ipſe non malo ſenſu.*

Negotium dederis. *Quis non intelligit, hæc uerba iacere, planeq; otioſa eſſe? Ego ſic ſum auſus emendare, nec puto infeliciſſime.*

Negotium de dec. leg. *vel* de decem. *Id vt mihi ueniret in mentem, tum res ipſa fecit, de qua quotidianæ erant inter eos litteræ, tum uerba quæ ſequuntur: quæ niſi ita legatur, plane ſine ſententia ſunt: tum denique etiam Tuditani mentio, cuius negotium, cum decem legatorum, erat coniunctum. vt totum ſit:* Negotium de decem legatis *reperies ex eo libro, in quo ſunt S. C. Cornelio & L. Coſs. Nec mirũ eſt, in re tam agitata inter eos, ſcribendi breuitate uſum eſſe Ciceronem: qui etiã ſoleret, διὰ σημείων, quod erat multo conciſius, atque idcirco obſcurius, non raro ſcribere.*

Vide etiam quo anno &c. *Cum ijs ſentio, qui de alio quopiam quæri a Cicerone exiſtimant. Nam de Tuditano, abunde dictum eſt, hæcq; ad eum pertinere uix poſſunt. De quo quærat, difficile eſt diuinare: qua tamen Corradus difficultate exterritus non eſt. Ipſum igitur videbis. in quo etiã illud probo, quod mox;* Eodem ne Præfectus an Contubernalis fuerit, *emendat; cum præſertim, &* Aut, *arti illo loco, & conſuetudini repugnet: &* Præf. Contuber. q; *quo modo ſcriptum inuenitur in priſcis libris, non minus id ualeat, quã Præfectis & Contubernalibus.*

Cecidit belle. Sed caſu &c. *Malim* Sed cecidit belle Caſu &c. *reuocata coniunctione, ut ſenſus ſit. In hoc incommodo remanendi illorum, belle cecidit*

*le cecidit, quod ab his de Cæſaris conſilio traducen di Tyberis, edoctus, in emptione hortorum Scapulanorum cautior eſſe poſſum. Huiuſmodi traiectiones, ex manuſcriptis poſſim ſexcentas afferre.*

## IN EPIST. XXXIIII.

ASTVRAM veni VIII K.Iul. *Cum infra libro* XVI *epiſtola prima, nomen Iulij maxime ſtomachetur, inq; eo Brutum reprhendat, quod Ludos proſcripſerit a Nonis Iulijs, nõ Quintilibus: quid eſt quod nunc ipſe illud vſurpet? Ego recentioris alicuius gloſſema arbitror eſſe, qui ſe valde exiſtimauerit facturum operæ pretium, ſi omiſſum a Cicerone menſis nomen, ſuppleret, notoq; & vſitato vteretur. Quod ita eſſe, multo manifeſtiſſime illud declarat, quòd, cum hæc Cicero ſcriberet, non dum hoc honoris Cæſari decretum fuerat. Hanc enim legem M. Antonius M. F. tulit, cum eſſet Conſul, vt Macrobius tradit, Satur. lib.* I. *Cap.* XII. *certe poſt rem in Hiſpania contra Pompeij liberos, bene geſtam, vt Dio innuit lib.* XXXXIIII. *idq;, quoniam eo menſe natus eſſet.*

## IN EPIST. XXXVII.

OMNIBVS eum locis facere. Eum *in-*

terpretantur *Quinctum. Sed ratio poſcebat, vt quid eum facere diceret, explicaret. Quare cogitabam an melius eſſet* Furere *verbum Ciceroni familiare, & in primis ſententiæ quadrans. Sed meo tamen inſtituto. Videntur enim hæc, & ad Hirtium poſſe referri, qui omnibus in locis pro Cicerone litigaret. Sed verius ad Quinctum, qui vbique de patruo obloqueretur.*

## IN EPIST. XXXVIII.

De eodem oleo & opera. *Apparet ex hoc loco, prouerbium hoc, non ad oleum modo, quo Athletæ vngebatur, ſed ad illud quoque, quo litterarum ſtudioſi in lucubrando conſumunt, ſæpe referri. Nam & ſupra ad hunc ipſum, Non defleamus (inquit) ne oleum & opera noſtræ philologiæ perierit. In ijs tamen epiſtolis quæ familiares dictæ ſunt; Nam quid ego te (inquit) athletas putem deſiderare, qui gladiatores contempſeris? in quibus ipſe Pompeius profitetur ſe & oleum & operam perdidiſſe? Oleum autem, pro ſumptu poſitum eſt, opera pro labore.*

## IN EPIST. XL.

Tum enim mentio Canai. *Si is ſignificatur, qui a Nepote ſcribitur ſumma Attico conſuetudine iunctus fuiſſe: ille vero* Canius, *vel*

*vt mihi videtur Kanus aut Canus, cognomento fuit, non Canaus, vt aſſenſio cohibenda videatur.*

## IN EPIST. XLI.

VENIT ille ad me. *Hæc epiſtola in poſtremo loco libri huius collocanda videtur, cum Cæſar ad Baias eſt profectus, ad bellumq́; Parthicum ire uelle diceretur, cui Q. intereſſe cogitabat. Adde quod in ea de ſuo natali die agitur, qui fuit* III *Non. Ian. cum ultima epiſtola, ſtatim, vt credi poteſt, poſt tertia ſaturnalia, quæ fuerant* XII *K. Ian. ſcripta fuerit.*

## IN EPIST. XLIIII.

DE Babio poteris. *Antonianus, Faernius, & ferme reliqui,* De Bæbio. *Fuiſſe autem Romæ Bæbios, cognomento Tampilos, ex Liuio & eodem Cicerone in Philippicis cognoſcitur.*

Magnum pondus argenti, auctionem, præter prædia. *Vereor, ne tranſpoſita hæc ſint: ſintq́; ita diſponenda. Magnum pondus argenti, præter prædia: auctionem &c. vt dicat, ad prædia, magnum quoque pondus argenti accedere.*

## IN EPIST. XLV.

12 ſibi viſum diſertum. *Indicat, ſe Bruti Catonem non ſatis probaſſe, cum, præ illo, ſibi diſertus ſit viſus in Anticatone: Ciceronis eatenus probaſſe, ut copioſior ſæpius legendo ſit factus. Brutumq; in eo damnare viſus eſt Cæſar, quod parum acute atque dilucide ſcripſerit. Diſertum enim Cicero in primo de Oratore, eum ſtatuit eſſe, qui poſſit ſatis acute atque dilucide, apud mediocres homines, ex communi quadam hominum opinione dicere: eloquentem vero, qui mirabilius & magnificentius augere poſſet atque ornare quæ vellet.*

Teſtibus præſentibus ſexaginta duobus. *Veteres libri* Sexaginta diebus. *nec aliter profecto debet legi. Nam heredi certa dies præſcribebatur, intra quam, niſi deliberaſſet, vellet, nec ne hereditatem accipere, exheres eſſet. De qua conſuetudine Vlpianus, in Inſtitutionibus illis, quæ haud ita pridem repertæ ſunt, hunc in modum. Cretio eſt certorum dierum ſpatium, quod datur inſtituto heredi ad deliberandum, vtrum expediat ei hereditatem adire, nec ne. Veluti. Titius heres eſto: cernito in diebus centum proximis, quibus ſcieris poteriſq;. Niſi ita creueris,*

*exheres eſto.* Credere igitur poſſumus, tempus a Cluuio heredibus conceſſum, duorum & ſexaginta dierum fuiſſe. Hic tamen Cretio, aliquanto latius debet accipi, pro hereditate ſcilicet, certo illo tempore implicita, hoc ſenſu. *Ex eo cognoui hereditatē Cluuij diebus ſexagintaduobus adeunda.* hoc eſt, intra ſpacium dierum ſexagintaduorum. Quo modo etiam locutus eſt pro Archia Poëta. *Data eſt ciuitas, Silani lege & Carbonis, ijs, qui fœderatis ciuitatibus adſcripti fuiſſent, ſi tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuiſſent; & ſi ſexaginta diebus, apud Prætorem eſſent profeſſi.* Neque enim ſexagies profiteri iubebantur: ſed cum longius abeſſent per Italiam, datum ſpacium ijs eſt, vt commode Romam venire, nomenq; dare poſſent. Et videtur locutio antiqui iuris. Sane de teſtibus ſexagintaduobus, ſiue eos teſtamenti factioni, adfuiſſe intelligamus, ſiue potius iuſſos cretioni adeſſe, ridiculum eſt cogitare, cum legi ſatisfieret, ſi vel quinque fide digni, hoc eſt, Ciues Romani puberes, adhiberentur. Et vt eorum maior numerus nihil officeret, is tamen modum excedit. Verum quando ratio huius nominis, a nullo adhuc, quod ſciam, ſatis explicata eſt; indicanda videtur a nobis: quæ tamen eſt apud Varronem, ſi animaduerſa fuiſſet. Ita enim ille

*lib.* v i. *Apud Plautum. Tum ego ante hac te amaui, & mihi amicam eſſe creui. Valet, Conſtitui. Itaque heres, cum conſtituit ſe heredem eſſe, dicitur cernere: & cum id fecit, creuiſſe. Hæc Varro. quæ mirifice conſentiunt cum illis Vlpiani verbis, Quod datur inſtituto heredi ad deliberandum. Cernebat enim heres, hoc eſt, conſtituebat, deliberabat interea, vtrum e re ſua videretur, hereditatem adire. quam ſi ſuis rationibus utilem decreuiſſet, adhibitis teſtibus, conceptis quibuſdam uerbis adibat. Illa uero erant huiuſmodi ex eodem Vlpiano: Cum me Mænius Heredem inſtituerit, eam hereditatem adeo cernoque. Porro de præſentia teſtium, idem Varro lib.* v. *Itaque in cretione adhibere iubent teſtes. Atque id eſt quod ait Cicero,* Teſtibus præſentibus. *Et quanuis hæc fuerit uerbi illius ſignificatio, tamen factum eſt, ut quemadmodum cretio, pro ipſa hereditate accipitur, ita Cerno pro Adeo uſurpetur. Itaque Feſtus, Cernere (inquit) eſt hereditatem adire. De cernendi, hoc eſt deliberandi die, late ſcriptum eſt in l. Ariſto. ff. Et in l. Ariſto. ff. de acq. hereditate. Et fuit tempus illud, cum contractior daretur: poſtea tamen cautum eſt, ne pauciorum eſſet, quam dierum centum. l. ij. ff. eo. quæ ta-*

*men deliberatio hodie neceſſaria non eſt, ſiquis inuentarium ſecundum legis ordinem facere voluerit. Illud etiam dicendum, ius huiuſcemodi cernendi, non niſi liberis conceſſum fuiſſe. Vbi enim ſeruus heres inſtitutus eſſet, deliberandi tempus, non ipſi ſeruo, ſed ei cuius erat ſeruus præſtituebatur. Liberam porro cretionem puto dictum, qua tempus illud heredi non computabatur, quo ſe ignoraret heredem inſtitutum: nec ei fraudi erat, ſi adire hereditatem non potuiſſet: quam Vulpianus, niſi fallor uulgarem appellat: quod, cum æquior uideretur, uulgo etiam eſſet uſitatior. Ita enim ait. Cretio aut uulgaris dicitur aut continua. Vulgaris, in qua adijciuntur hæc uerba: Quibus ſcieris poteriſque. Continua, in qua non adijciuntur. De illa in primo de Oratore ſic Cicero. De his credo rebus inquit Craſsus, ut in cretionibus ſcribi ſolet, quibus ſciam poteroque. Et mox idem Vlpianus. Ei, qui uulgarem cretionem habet, dies illi dati computantur, quibus ſcit ſe heredem conſtitutum eſſe, & potuit cernere. Ei uero, qui continuam habet cretionem, etiam illi dies computantur, quibus ignorauit ſe heredem inſtitutum: aut ſciuit quidem ſed non potuit cernere. Quare continua dicta*

*videtur, quod dies illi dati ad deliberandum, continuo, hoc eſt, ſtatim a morte teſtatoris inciperent, nec vlla vel ignorationis uel impedimenti exceptione, interpellarentur, aut ducerentur. Aut certe liberam intelligit M. Tullius, ſine vllo onere aut mutandi nominis, aut gentilitium ſacrorum: quæ, & alia etiam, heredes ſæpe facere iubebantur. vnde illud de libera. ſine ſacris hereditas: quod ad alia quoque omnia tranſlatum eſt, quæ nobis ſine vllo incommodo obueniunt. Plautus in Trinummo: Cœna hac annona eſt ſine ſacris hereditas. At de his hactenus. Locum autem Ciceronis, quem ſupra citauimus ex primo de Oratore, non me latet in excuſis & vulgatis libris, aliter legi: nempe, Conditionibus: ſed Cretionibus eſſe rectum, Vlpiani verba declarant.*

## IN EPIST. XLVII.

VIX mihi credo legiſſe. *Faerni liber, Ant.* Legiſſe me.

Quam quidem ruri eſſe arbitror. *Veteres libri omnes* Rure. *Quod tametſi contra artem, contraque Seruij Feſtique opinionem, qui Ruri omnino dicendum eſſe putant, ubi ſta-*

*tus in loco ſignificatur, eſſe videatur: Terentius tamen, rure, ſi Plinio credimus dixit. Ita enim Soſipater libro primo. Itaque et Varro ad Ciceronem* XXII, *Rure veni. Quem Plinius eundem* XI, *Rure ordinatum arbuſtum dixiſſe, laudat. Sed & Terentium in Adelphis. Filium negat eſſe rure. Sed & Titinium in Hortenſio. In foro aut in Curia poſita potius, quàm rure apud ſe poſita. Ex his ergo colligimus, Rure pro Ruri, quandoque dictum fuiſſe. Et ne videar antiquiſſimos conſectari, Horatius politiſſimus Latini ſermonis auctor, eodem modo locutus eſſe reperitur, cum ſic in epiſtolis ſcribit.*

*Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum. Neque tamen is ſum, qui hanc rationem dicendi, uſurpari uelim: ſed tamen ſi uſurpetur, Latinam eſſe contendam: & tot librorum ueterum conſenſionem affirmem non eſſe negligendam. Et Terentij locus emendandus eſt, ſi fidem Soſipatro habemus, cum in Impreſſis Ruri legatur.* Terẽtii locus emendatus.

## IN EPIST. XLIX.

Narrabo tibi. *Antonianus & aliquot alij.* Narro, *ſed nihil laboro. Lepidam modo feſtiuamq; locutionem animaduertendam cenſeo. Valet enim* Narrabo *tibi ſi neſcis; Eſt quod tibi dicam: ſicut,*

*Narro tibi, Verum dicam: aut, vis dicam? Sic enim lib. II. epiſt. XI. Narro tibi, plane relegatus mihi videor, poſtquam in Formiano ſum. Et lib. XV, epi. XVI. Narro tibi, hæc loca venuſta ſunt. Et adhibetur hæc dicendi forma, cum quid quaſi nouum ſignificare volumus. Paulo ſecius lib. II. Narra mihi, Reges Armenij, patricios ſalutare non ſolent? pro eo quod eſt, Dic mihi, Clodi. Sed tamen vbique emphaſis eſt, geſtu pronuntiationeq; adiuuanda. Illud addam, Male narras, tum dicere priſcos conſueuiſſe, cum quid nuntiaretur quod nollent: Bene narras, cũ boni eſſent nuntij.*

Mihi ſcripſit Romam. *Noſtri, Mi ſcripſit.*

## IN EPIST. L.

Hoſpitem mihi tam grauem &c. *Noſtri fere* O hoſpitem. *Sed parum referre arbitror. Illud non negligendum, inter hanc epiſtolam, & eam quæ antecedit, menſes fere tres, mutos fuiſſe a litteris. nempe a reditu Cæſaris ex Hiſpania, qui fuit ineunte Septembri, vt ex epiſtola* XLV, *&* XLVI *cognoſcitur, vbi ſcribitur Cæſar adeſt. & ex ipſa proxima ſuperiore, in qua de reditu Quincti filij. vſque ad* XII *K. Ian. quo die, Cæſar, cum M. Tullio, vt diximus, congreſſus eſt, apudq; illum cœnauit, in ſuis villis. Et ſane*

*Cæſarem rediiſſe illo tempore, ex his etiam licet cognoſcere, quæ Dio ſcribit, eum cum rediiſſet, in poſtremos ſui conſulatus tris menſes, ſubſtituiſſe ſibi Q. Fabium Maximum, & C. Trebonium: vt his Conſulibus hęc ipſa poſtrema epiſtola ſcripta fuerit. Velleius tamen lib. II. Octob. menſe rediiſſe Cęſarem ſcribit.*

Et ſi quæris libenter. *Poſtrema littera in Quæris, vt carminis ratio conſtet, elidenda eſt. cuiuſmodi multas apud veteres eliſiones inuenias. Verum vt de ipſa locutione dicam non nihil;* Si quæris, *ad ornatum facere mihi potius, vimq́; orationis, quam ad ſententiam videtur: quę quidem, ſublato illo, manet tamen, tantum ſegnior & languidior. Quam etiam vim,* ſiquid vis *epiſt. II. libri* VII *videtur habere. Sic enim ibi. Tironem Patris ægrum reliqui, adoleſcentem, vt noſtri, adde etiam, ſiquid vis, probum. Quid enim hic ſignificet, ſiquid vis? Mihi familiaris quædam, vulgoq́; vſitata dicendi conſuetudo videtur, cuiuſmodi in noſtro materno ſermone, non diſſimilis. quæ abeſſe poſſit ſine iactura ſententiæ, ſed non elegantiæ ac leporis. Sed vt ad Quæris redeam; & ipſum etiam, non nunquam abundare. videtur. ut in illo, lib. II. Quid quæris? acueram me ad exagitandam hanc eius legationem.*

*Et eodem libro: quid quæris? primum ita me pupugit, ut ſomnum ademerit. Et in fine huius epiſtolę, Quid quæris? delectatus eſt, & libenter fuit. Quod ualet, Quid dicas? uel, Quid quæris plura? & apte adhibetur, cum ad finem properamus, ſicut Quid multa? Paulo diuerſum eſt illud ad Sulpicium, epiſtola, Accipio excuſationem, ſed & ipſum, qua de ſententia, redundans. Noli quærere; ita mihi pulcher hic dies uiſus eſt, ut ſpeciem aliquam mihi uiderer uidere, quaſi reuiuiſcentis Reip. Quod hodie uulgo imperiti Noli dicere aliud. Puto etiam cogitandum, an eodem pertineat, quod eſt ad Cælium, epiſtola Magno dolore. Velim quęras, quot ille dies ſuſtinuerit, in urbe dum fuit: quàm acerbos ſibi, quàm mihi ſocero non honeſtos. Quo in loco, uelim quæras, quid ſignificet, neſcio, niſi familiarem quandam, uulgóq; tritam loquendi conſuetudinem, non ſine elegantia & emphaſi.*

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Atticum,

## EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

### Argumentum libri XIIII.

TRIS *amplius menſes, nullæ extant ſcriptæ litteræ; ex tertijs uidelicet Saturnalibus, quæ fuerunt* XII *K. Ian. ad poſt Id. Martias, quo die Cæſar occiſus eſt. Occiſus eſt autem ut Velleius ait, cum quinque menſes poſt reditum ex Hiſpania fuiſſet. Scriptæ ſunt autem hæ, M. Antonio, & P. Cornelio Dolabella Coſſ. Nam is, interfecto Cæſare, faſces ſtatim, ut ait Paterculus & inſignia Conſulatus ſibi arripuit, antea deſignatus ab illo, quem ſibi ſubſtitueret, in Parthos proficiſcens. Continent uero potiſſimum Reip. tempeſtates, quæ, illo cæſo, conſecutæ ſunt. Cicero quidem, primis illis diebus, cum Senatum in ſuam ſententiam perduxiſ-*

*ſet, ut communis concordiæ cauſſa, iniuriarum memoria, ſempiterna obliuione deleretur; Roma egreſſus eſt in ſuas uillas; unde dedit has litteras, modo ſpei, modo deſperationis plenas. Priuatim uerò continent querelam, de ementitis actis Cæſaris: factum Dolabellæ: de Amatio, humillimæ ſortis homine, qui auſus fuerat, in C. Marij nomen inuadere, ſeq́; pro nepote illius gerere: & domeſtica quędam priuatius. Datę ſunt poſt Id. Mart. ad* XVI *circiter K. Iunij.*

## IN EPIST. I.

Verum ille gaudens. *Faerni liber.* Gaudet. *& uidetur melius.*

Præterquam Lepidi, veniſſe nemini. *Faerni liber* Lepido, *prorſus ut Manutio uidetur eſſe legendum. Reliqui omnes,* Lepidi, *ut inclinet animus* Neminis *poſſe legi: ſitque, Neminis in ſermonem ueni, præterquam Lepidi: pro eo quod eſt, cum Nemine. Nec ignoro Neminis, de nemine quoque ualere: ſed nihil officit. Venire in ſermonem alicui, mihi non ſatisfacit. Neminis autem Plautus in Captiuis dixit – Neminis Miſereri certum eſt, quia mei miſeret nemo. Item Cato ut eſt apud Feſtum: Lapideo corde ſunt multi, quos non miſeret neminis.*

Magni refert ſic quid velit &c. *Senſus ui-*

*detur. Non facile adducitur ut quid uelit: &, Magnum negotium eſt, ſic ut quid uelit: ſed cum uult, in uolendo modum excedit.*

## IN EPIST. IIII.

Quod per ſe ipſos confici potuit. *Se, delendum eſt, & ex uetuſtis libris, & ex natura reciprocorum. Neque enim ſatis apte, utrunque iungi uidetur. Alterum enim ad rem, alterum ad perſonas refertur. Id quod erit manifeſtum, ſi utrunque ſeparatim legatur. Nam huius orationis Quod per ſe confici potuit, ſenſus ille eſt: quod natura comparatum eſt, ut confici poſſet. Illa uero, Quod per ipſos ad ἥρωας ſine dubio refertur: quæ & uera eſt. Itaque ſubdititium puto pronomē ſe.*

## IN EPIST. VII.

Ego e Formiano. *Quidam e meis* Nunc ego &c. *Quod ideo e uulgatis ſublatum puto, quod fere in manuſcriptis, tranſpoſitum eſt: Nam in Antoniano ita legitur. Tum de hoc ſcire aueo nunc omnia: Ego e Formiano &c.*

Si ergo eſt. *Hic ego facilus poſſum exiſtimare, hæc ipſa uerba abundare, hucq; translata ex alio aliquo loco, quam quidquam adeſſe. Nanq; his ſublatis, quam cohęrens & bona ſententia futura ſit, nemo non uidet. Atque uideo etiam doctis non nullis uideri.*

## IN EPIST. IX.

O Socrates, o Socratici. *Noſtri O Socrates & Socratici.*

Itaque quam ſeuere. *Addenda nota illa eſt, quæ, quanquam frequentius adhibetur cum interrogamus, tamen in admiratione etiam uſurpatur. Quam ſeuere nos (inquit) M. Curius accuſat? Tam ut pudeat nos uiuere. Quanquam Antonianus,* Mutius, *pro* Curtius. *Et Faerni liber* M. Tutius, *quod propius accedit ad Mutium, quàm Curium. Sed in re obſcura, nihil ſtatui poteſt.*

## IN EPIST. X.

Meminiſti ne clamare. *Malim*, Me clamate. *Hanc, ſuam fuiſſe uocem, infra lib.* x v, *epiſtola, Antium ueni, declarat. Dicebam (inquit) ſenatum uocari: populum ardentem ſtudio uehementius incitari: totam ſuſcipere Remp.*

Quid quæris, iam ne &c. *Noſtri omes.* Quod quæris. *recte.*

## IN EPIST. XI.

De clariſsimo ciue. *Noſtri fere* Ciui, *quemadmodum & Petri Victorij: de quo Caſus fine, ſupra quædam diximus.*

Reliqua

*Quibus vt quaſi cumulum adiungam; Priſcianus quinque exempla ex Cicerone laudauit, in quibus Ciui ab eo dictum eſt, pro Ciue: quæ tamen ille queritur ab imperitis, ſua quoque ætate corrupta fuiſſe. Ea vero ſunt, verrina* IIII. *Quod ciuis Romanus a Siculo petit: Siculus iudex datur: Quod Siculus a ciui Romano, ciuis Romanus datur. Paulo infra. Quid dicam de C. Virgilio tali ciui & viro? Item pro Sextio. Quid auſus eſſet pro ciui; pro benemerenti ciui? Idem* VI. *Philip. ſed in principe ciui non eſt ſatis.*

## IN EPIST. XIII.

Quid nobis faciendum eſt, ignoro. *Non ſemel iam docuimus, & grammaticorum præceptis, & vſu veterum ſcriptorũ, rogandi nomina, cum nihil interrogant, ex modis ſibi ſubiunctiuum aſciſcere: præſertim ſi verbis iungantur, ſcientiã vel inſcitiam ſignificantibus. vt ſcio quid conere. Et, Nec iam quid agam ſcio: Et, Parũ intelligo, quid me velis ſcribere. Quare vel hæc ratio lexq; grammaticorum perpetua non eſt, vel* ſit *eſt legendum hoc loco. In quo tamen hærere ſoleo non nunquam, & aſſenſionem ſuſtinere: cum animaduertam* Quid, *indicandi quoque modo, iunctum non raro a Cicerone, aliјſq; fuiſſe. Nã ſupra libro* XIII. *Vides (inquit) propinquitas quid habet. Et*

*lib.x.epiſt.x. Vides, quam turpe eſt. Quibus in locis, quemadmodum & hic, ueteres libri conſentiunt. Et lib.IX.epiſt.XII. Quæſo ſcribas quid nobis faciendũ, aut non faciendũ putas. Quin Plautus in Aulularia. Scio quid mihi dictura es: hanc eſſe pauperem; hæc pauper placet. Et in Bacchid. Scio quid ago. P. Et pol ego ſcio quid metuo. Sunt & alia pro indicandi modo teſtimonia: ſed plura pro ſubiungendi.*

Quod Cæſaris bello licuit. *Suetonius in Cæſare. Denuntiante Pompeio, pro hoſtibus ſe habiturum, qui Reip. defuiſſent: ipſe medios & neutrius partis ſuorum ſibi numero futuros, pronuntiauit. Quibus autem ex cõmendatione Pompeij ordines dederat, poteſtatẽ tranſeundi ad eũ omnibus fecit.*

Cum conſilium cepi legari a Cæſare. *Noſtri, tum, cum conſilium. Eſt hic etiam notandum, Infinitum pro gerundi modo, poſitum eſſe. quo modo itidem Cæſar in Cõment. Poſtero die conſiliũ ceperũt, ex oppido profugere. Itẽ Cicero II de Orat. Si omnẽ vim oratoris, in argumentis poſuiſſem, tẽpus eſſet iam de ordine argumentorum dicere. Helleniſmus eſt, haud ſane frequens oratoribus.*

Q. Egnatio gratias agit. *Faerni liber, nullũ prænomen habet: &, ſi is Egnatius ſignificatur, vt quidam exiſtimamus, de quo ſupra non ſemel, Ciceronũ amicus; apud quem Marcus ſuã quoq;*

*pecuniam depoſuerat, vt eſt in epiſtola* III *libri* XI*: hic certe L. Egnatius vocabatur. Idem libro* X. *De Q. fratre, ſcito eum non mediocriter laborare de vſura: ſed adhuc nihil a L. Egnatio expreſſit. Hunc igitur, a quo tum nihil expreſſerat, liberalem in ſe, in dotis debitione ſenſit.*

IN EPIST. AD ANTONIVM.

Quæ tua poteſtas eſt. *Falluntur, non tã iudicio, quam ſcripturæ labe, qui putant hic, eius generis eſſe parentheſin, cuiuſmodi apud hunc ipſum lib.* VII. *illa eſt. Atqui certe ille agere debuit: & ſi eſſet factum, (quæ tua humanitas eſt) adſcripſiſſes. Hic nihil eſt eiuſmodi: & ordo eſt: Vt neges te vſurum ea poteſtate, quæ poteſtas tua eſt. Porro poteſtatem eſſe alicuius, Ius eſſe ſignificat. Sic pro domo ſua. De agris ratum eſt: Fuit enim populi poteſtas. Nõ valde diuerſum eſt illud Philippica* II. *Sed videlicet, meam gratiam voluit eſſe, in quo ne ipſius quidem vlla eſſe potuit lege lata. hoc eſt, vt beneficium a me proficiſceretur, mihiq́; gratia deberetur.*

*IN EPIST. XIV.*

Itera dum eadem iſta mihi. *Eodem modo Plautus in Rudente.* Locus Plauti emendatus.

*Iteradum mi iſthæc omnia, itera mi mime, mi Trachalio.*

*Nec tamẽ ignoro, iterũ legi in impreſſis libris: ſed*

*ita reponendum eſſe, cum repetitum Itera, tum veteres libri docent.*

Parilibus ſolus ne? *Reiteratum Parilibus, nec Antonianus liber, nec Lolgij habet. Et ſane mihi repetitio illa, iacens inaniſq; videtur. Neque enim indignatur Cicero, quod Parilia celebraſſet Quinctus, ea enim celebrabant omnes: ſed quod coronam habuerit, Cæſaris honoris cauſſa. Itaque tollendum arbitror.*

*IN EPIST. XV.*

Quam adhuc fuerint. *Noſtri,* Fuerunt.

*IN EPIST. XVII.*

In Pompeianum veni, v. K. Mai. *Recte ratiocinatur Corradus,* v Non. *eſſe reponendũ. Nam ſi* v. *Non. conſcendit, vt proxima ſuperiore epiſtola ſcribitur, in Pompeianum profecto* v. K. *Maij, venire non potuit, cum hic dies, illo antiquior ſit. Sed & veteres libri, in quis Antonianus,* v. *Non. habet: vt quo die ex hortis Cluuianis profectus eſt, eodem in Pompeianum trãſmiſerit, pranſus fortaſſe apud Pætum, aut illo certe præterito. Sed emergit difficultas ex verbis, quæ ſunt ſcripta ſupra, in epiſtola ab hac tertia, huius generis. Piliæ noſtrę villam totam, quæq; in illa ſunt, trado, in Pompeianum ipſe proficiſcens.* K. *Mai. Si enim* v. *Non. conſcendit, pridie, kalendæ eſſe nõ non potuerunt, ſiue ex inſtitutione Numæ Nouæ*

*numerentur, ſiue Cæſaris. Solui poteſt hic nodus, quia ſiquis ea verba diligenter attendat, intelliget M. Tullium, non tam eo die profectum, quàm proficiſci in animo habuiſſe: quod tamen biduo poſt fecit. Quod, ſicui dubium ſit, an vtro atque eodem die, & ex Cumano ſolui, & in Pompeianum poſſit appelli, is ſciat, curſum adeo eſſe breuem, vt paucis horis, confici poſſit. Sunt enim hæc loca, in eodem ſinu.*

## IN EP. AD DOLABELLAM.

In hæc loca conueniant. *Faerni liber, Poggij, Antonianus, Romanus, reliqui,* In his locis. *In quo conſentiunt cum libris Petri Victorij. Qui in hęc loca excuderunt, ij mihi videntur hunc locum, ad exemplar eius, quæ eſt in libro epiſtolarũ ad Varronem, quaſi ad regulam reuocaſſe. quos ego, cum vtraque latina atque elegans ſit, nec facile diiudicari poſſit vtra verior, non ſane laudo. Quid ſi neutra falſa ſit? Si enim hæc ad Atticum miſſa, exemplum eſt; quid cauſſæ eſt in exſcribendo, cur non aliquid vel dedita opera, vel caſu, dum totas* περιοχὰς *perſequitur, mutare potuerit, quod idem valeat? ita vt cum duo remanſerint quaſi exemplaria, vnum domi retentum, alterum ad Atticum miſſum, exemplar*

*quod eſt in libro ad Varronem, ab vno exceptum fuerit, hoc ab altero? Quod ſiquis mihi obijciat, ſcribarum illud munus exſcribendi fuiſſe: dicimus, tum nos illorum ſcripturam, quamuis elegantiſſimam, repudiaturos, cum perſpectum habuerimus, vtrum exemplar ſic, an vero exemplum. Vſos verò hac ipſa communium præpoſitionum licentia, antiquos eſſe, paſſim & in eorum ſcriptis animaduertimus, & Seruius Honoratus in eo Virgilij Aeneid. libro primo. Rapuitq; in fomite flammam. notauit, hæc quoque ex Cicerone adducens. Quod ille in capite ab hoſtium duce acceperat. Et ex Verrina* III. *Et ſi fortes fueritis in eo, quem nemo ſit auſus defendere &c. Verum hęc defendi fortaſſe, quoquo modo poſſint: illa non item, quæ ſunt in lib. de natura Deorum talia. Multas præterea belluas in Deorum numero reponas. Et eodem libro a caſu in caſum tranſiens ſub vno verbo. Nec vero hoc, in te vno conuenit, domeſticis moribus, ac noſtrorum hominum vrbanitate limato; ſed cum in reliquos veſtros, tum in eum maxime, qui iſta peperit hominem, ſine arte, ſine litteris inſultantem in omnes; ſine acumine vllo, ſine auctoritate, ſine lepore. Qua ratione & Terentius, Coiuimus in Pireo.*

Regi regum. *Veteres libri.* Regum regi, *inuerſo ordine.*

Deinde multa. *Faerni liber ac reliqui* De-in, *plane dulcius.tametſi Feſtus Exin,metri cauſſa dictum putat, pro Exinde.* Locus Feſti.

*IN EPIST. XIX.*

Nonis Mai, cum eſſem in Pompeiano. *Lente mihi ac pæne faſtidioſe cogitanti, pecccatũ videtur in ordine epiſtolarum; hancq; ſuperiori proximæ proponendam. Argumento utor hoc. Nonis hæc ſcripta eſt: illa* VII *Id. data.hoc ex illis uerbis cognoſcitur; Atque ego ad eam* VIII *Id.litteras dederam bene mane: eodem autem die tuas litteras ueſperi acceperã. Primum enim dicit Dederam, quo alius ſignificatur ab eo, quo tum ſcriberet,dies: dein eius litteras ueſperi accepiſſe; ut dare quidquam ad ea, niſi poſtridie, uix potuerit. Adde quòd ſic litteras concludit. Ego ex Pompeiano* VIII *Id. Mai cogitabam: ut neceſſario,ante diem illam datæ fuerint. Scriptæ igitur uidentur* VII *Id,qui dies poſt Nonas ſit;quod argumento eſt, litteras prępoſtero ordine, ut diximus collocatas fuiſſe. Verum moleſtiam exhibent, quæ ſunt infra, hac eadem epiſtola: Ad Dolabellam quemadmodum tibi dicis placere, ſcripſi diligenter. Hæc enim innuere uidentur, hanc epiſtolam ſcriptam poſt eas litteras fuiſſe, quæ dicuntur ſupra* VIII *Id. datæ: ac propterea loco mouendam non eſſe. Nos ad hæc,*

*innui quidem datas fatemur eas litteras, ſed negamus ob id ſequi, vt hæc epiſtola poſterius ſcripta ſit. Significat enim ſe Cicero litteras ſcripſiſſe Nonis ipſis, non dediſſe. dedit autem poſtridie, hoc eſt* VIII. *Id. Itaque locum ego illum ita interpretor:* VIII *Id. litteras dederam bene mane, quas Non. videlicet exaraueram.*

Si mihi quod debuit. *Verius fortaſſe,* Quod debet.

## IN EPIST. XX.

Audi igitur. *Poggij liber,* Aud' igitur, *cum apoſtrophe, eliſa altera vocali, non incommode, vt in illo Terentiano.*

*Vos iſtec intr' aufert' abite. Sed auctor non ſum, vt vnius libri teſtimonio, ita hic quoque ſcribatur. Puto tamen Latinos, non ſane tam crebro quàm Græcos, ſed tamen aliquando & ſynalepha, & colliſione vſos, in vocalium commiſſione: ſed eorum libros in quoddam hominum genus incidiſſe, qui ita ſcripturam corruperint, vt cum à metro diſceſſerimus, neſciamus vbi illi eas adhibuerint. Et quoniam locus non plane videtur recuſare, adſcribam quæ ſuper hac ipſa re, in ſua Orthographia Victorinus prodidit, ratus fore non inutilia. Ea verò ſunt hęc. Præceptum erat antiquorum, ſcribi quidem omnibus*

*litteris oportere: in enuntiando autem, quoſdam litteras elidere. In quo & idem ſæpius dicam, bis peccatis: quòd aliud ſcribitis, aliud legitis, quàm ſcriptum eſt. Quid enim facietis in his, quæ, velitis nolitis, & ſcribenda ſunt & legenda, vt ſcripta ſunt? Vt exempli cauſſa Exiſtimo, non Exæſtimo: & Conquinat, non Coinquinat, & ſimilia? Eliduntur autem vocales ſingulæ, cum duo concurrerint: vt*

*Men' incepto deſiſtere victam? non Mene. Et Ten' inquit miſerande puer. non Téne. T. quoque ex conſonantibus eliditur. vt*

*Poſquam res Aſiæ. non, Poſtquam.*

*M. autem, vt*

*Mult' ille & terris, Vocalis & conſonans: vt Non equid' inuideo. ſic Quinctilianus lib. x i. Nam & vocales frequentiſſime coëunt: & conſonantium quædam, in ſequente vocali diſſimulantur. Vtriuſque exemplum poſuimus. Mult' ille & terris. Quare, mirandum minime fuerit, ſi Aud' igitur ſcriptum a Cicerone ſit, quemadmodum inueniri diximus, in libro Poggij, & quidem cum apoſtrophe.*

Prorſus ibat res. *Melius ibat. Nam Prorſus Donatus ait, Ante ſignificare. Porro, qui rem ire dicit ante, hoc eſt progredi, ſucceſſum deſignat, & ſecundam fortunam. Vnde & prorſi*

*limites Feſto, qui ad Ortum verſi, quæ anterior pars fauſtiorq́; ſit nonnullis. Verum huiuſmodi locutiones ſingulares ſunt, & parcius vſurpandæ.*

## IN EPIST. XXII.

Ὑπόθεσιν autem hanc habent. *Cum multa ſignificet* ὑπόθεσις, *hic prætextum, occaſionem, ſpeciem valet. Dio lib.* XLI.

ἔκ τε οὖν τούτων, καὶ ἐξ αὐτῆς
τῆς αἰτίας τῆς τε ὑποθέ-
σεως τοῦ πολέμου,
ἀξιολογώτατος
ἀγὼν συνη-
νέχθη.

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Atticum, EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

## Argumentum libri XV.

*NON valde differens eſt libri huius argumentum, a ſuperioris ſententiá. Scriptæ enim epiſtolæ omnes ſunt, cum adhuc Romæ negotia tumerent, Antoniusq́. & & Octauius ita omnia miſcerent, vt, quanuis neque plane bellum, neque pax eſſet, appareret tamen rem ad arma deductum iri. Quo quidem tempore Cicero ſibi timens, ſimulque filium, Athenis philoſophiæ operam dantem, cupiens inuiſere; cum ius liberæ legationis a Dolabella, non autem prouincialis nempe Syriacæ, vt Plutarcho placet, haberet. (id enim ex his epiſtolis ac Philippica prima cognoſcitur) iter cepit in Græciam, eo conſilio, vt Kalendis*

*Ian.adeſſet, quod initium cogendi Senatus fore, Hirtio & Panſa conſulatum ineuntibus, videbatur. Dum ſpes vero aliqua meliorum rerum fuit, Brutusq; & Caſſius Prætores vrbani, quibus maxime recuperandæ Reip. ratio nitebatur, ſi nō Romæ in proximis tamen locis manebant: perq; litteras & edicta, Cum Antonio populoq; agebant: nuſquam ille pedem. Cedentibus autem illis, & ipſe conſilium cepit abeundi. Hæc illorum temporum hiſtoria eſt. Priuatim tamen in his epiſtolis plura continentur, quæ perſequi longum eſſet. Scriptæ ſunt ex ante diem* XVI K. *Ian. ad Non. Quint.*

## *IN EPIST.* I.

DEINDE ad ſummum. *Romanus et quidam alij* Ad ſummam, *quod valet, Denique ad extremum ſermonis.idq; hic ſignificari non dubitamus. Nam, Ad ſummum, quantitatem ſignicat, ad numerumq; refertur plerunque. Idem Cicero ſupra. Scies igitur fortaſſe cras, ad ſummum perendie. Item alibi. Quando enim frequentiſſimo Senatu, quatuor, ad ſummum quinque ſunt inuenti, qui Milonis cauſſam non probarent? Quæ tamen & ipſa, quo magis ad ſummam probemus, non ſunt plane rata: cum in aliquot libris Summum, ſine præpoſitione ſcriptum ſit. Huius loco,*

*Omnino, vſurpant aliquando. Cæſar de bello Gallico. Erat omnino in Gallia vlteriore, legio vna. hoc eſt. Summum aut, ad ſummum. quæ ſignificatio nihil ad hunc locum: eius autem vocis mirifice, qua etiam ſupra vſus eſt lib.* x. *Iurabat ad Summam, quod nullo negotio faceret, amiciſſimũ mihi Cæſarem. Et alibi. Ad ſummam, dic* M. *Tulli.*

Patri quidem. *In Ant. Romano, aliquot alijs.* Patri quidem certe *notiſſima forma dicendi.*

Heri dederam ad te. *Manuſcripti omnes* Here. *de qua uoce ſupra.*

Ibi pæne ualentem. *Fortaſſe* Plane, *aut* Bene. *Nam etiam in funus prodierat.*

Ad te putas pertinere. *Mei omnes,* Ad rem. *nec ſatis diſpicio, vtrum melius, niſi illud ſcio, in hanc ſcripturam conſentire omnes: & quos vidi libros, & quos non vidi, Petri Victorij.*

Ea ratione. *Veteres libri,* In ea.

Sed ego ſolus alius ſum. *Malim* totus. *Quid enim? Cuncti'ne Bruto affixi erant, nec quiſquam ſe Ciceroni Comitem ſocium'ne adiunxerat? Non eſt ueriſimile. Quare* totus *placet.*

## IN EPIST. II.

A Cumis in Veſtiano. *lego* Veſciano

Veſcia *enim oppidum Auſonum fuit, non longe a Minturnis, de quo Liuius lib.* I X. *Auſona & Minturnæ & Veſcia vrbes erant, ex quibus principes iuuentutis duodecim numero, in proditionem vrbium ſuarum coniurati, ad Conſules veniunt. Quo in loco, cum Veſtina atque aliter legeretur, Carolus Sigonius, Veſcia emendauit, ex Stephano ita ſcribente.* βεσκία πόλις αὐσόνων. *Cuius iudicium, manuſcriptis etiam latinis libris confirmatur. Nam Veſcianum quidem, niſi a Veſcia deduci non poteſt. Significari autem agrum hunc a Cicerone, non dubito, cum Arpinum eunti, in via ſit.*

## IN EPIST. III.

Acta in æde Apollinis. *Faerni liber,* Acta ſine me, in æde Apollinis. *Quæ duo verba, nec eſſe adulterina, indicant manuſcripti alij, quorum nonnulli cum hoc plane conſentiunt: quidam vero, in his Antonianus,* Acta me in æde, *ſcriptum habeat, vnde* ſine *excidiſſe, facile intelligimus: nec otioſa: ſine per acta, S. C. illud indicari velit, quod perſcriptum fuiſſe in primo Comm. belli ciuilis Cæſar quoque tradit,* VII *Non. Ian. vt darent operam Conſules, Prætt. Tribb. pl. quiq; Procoſs. eſſent ab ur-*

*bem, ne quid Reſp. detrimenti caperet: ſiue aliquid aliud. Nam neque illi ad ſcribendum eſſe potuit, cum ipſemet ſcribat & ad hunc ipſum libro* VII. *& ad Tironem epiſt.* X, *ad vrbem ſe acceßiſſe, Prid. Non. Ian. neque huic intereſſe, cum eſſet ad urbem, ædes vero Apollinis, intra vrbem, quo nonnunquam Senatus conuocabatur. Nam ad Q. Fratrē, lib.* II. *Epiſt.* III VII. *Id. Senatus ad Apollinis fuit vt Pompeius adeſſet. Itaque quidquid illud fuit, ſine M. Tullio factū fuit.*

An ſicut in Tyrannum. *Hic ego quaſi per caliginem, ſed tamen uidere uideor, mendi non nihil eſſe, ita & ſenſus & uerba ægre inter ſe cohærent, & conſequentia ſunt. Nec tamen quidquam poſſum excogitare, quo delecter. Illud nō diſplicet, notam interrogandi, poſt Nobis adpictam, ad Cæſum reuocari, quæcunque inde ſententia eliciatur. Concinnius certe, quæ ſequuntur, uidentur hæſura, ſi ita legantur Multa dicentur, multa ſcribentur a nobis, ſed alio modo & tempore.*

## IN EPIST. IIII.

A Q. Fuſio. *Monuimus alio loco, Fuſio in Antoniano legi, eodemque modo ſcribi a Dione, quotiens Caleni ſiue Conſulis, ſiue Conſularis ſit mentio. Nam initio libri* XXXXVIII.

ὁ καλῆνος ὁ κυίντος φούφιος ἀνέστη καὶ ἔλεξεν. *Quin Fuſios raro inuenias, cum in Furios, teſte Quinctiliano, ve*r*erint, vt Valeſii in Valerios. Itaq; & lib.*v. *Epiſt.*x IIII. *vbi legitur in vulgatis, Solutus eſt & Aelia & Fuſia, in Antoniano Fuſia ſcriptum eſt.*

In Tuſculanum eſſet futurus. *Anto. & Faer.* Venturus. *magis ex arte.*

## IN EPIST. V.

Attvlit & ab eo & a Caſsio &c. *Antonianus.* Attulit & ab eo & a Caſsio litteras, *ſi cui placet. Nam in his tot epiſtolarum libris, attulit* ἐλλιπῶς *ac ſine eo quod tranſitum verbi accipiat, legere me non memini.*

Quis porro noſter itus. *Poggij liber, Lolgij Romanus*, Qui, *quod eſt Qualis. plane melius. Nec tamen ignoro in Andria a Terentio. Quis video? C.Miſer æque atque ego. Cicero certe in Oratore. Et e poeticis ne numeris, an ex alio genere quodam: & ſi e poeticis, quis eorum ſit & qui.*

### *In Epiſt. Hirtij ad Ciceronem.*

Ignaviter aliquid faciam? *Rogandi nota, repugnantiam inducit. Negare enim ſe frigere, & dicere ex vrbe profectũ, repugnant inter*

*ſe.Itaque*

ſe. Itaq; abeſſe illã puto melius: vt Ciceronis quæſtio ſit, cũ altera parte repugnantiæ, agát ne aliquid, an ceſſet: Cui P. Hirtius, ceſſare ſe reſpõdeat: qui cũ rure redierit, in urbe tamen manere noluerit. melius eſſe ſtatuens abeſſe. Atque hoc eſt, quod Cicero prima Philippica, de hoc ipſo tempore loquens ait. Conſules deſignati, ſe audere negabant in Senatum venire.

Ne quod callidius ineant conſilium. *Quidam libri veteres,* Calidius. *quibus aſtipulari videntur, quæ mox ſequuntur, Non, me Dius Fidius, acerrimis conſilijs plus, quàm etiam inertiſſimis, dum modo diligentibus: conſequantur. Vbi,* Calidius *Hirtius, Ferox & inconſultum. (id enim etiam valet, auctore Nonio) interpretari videtur. quo ſenſu & M. Tullius & Liuius, Calida conſilia dixerunt. ille in primo de Officijs hoc ductu. Vt enim ſunt qui vrbanis rebus, bellicas anteponunt; ſic reperies multos, quibus periculoſa & calida conſilia, quietis cogitationibus, ſplendidiora & maiora videantur. Hic auté lib.* XXXV, *his verbis. Conſilia calida & audacia, prima ſpecie læta, euentu triſtia eſſe. Quibus in locis, miror in vulgatis editionibus, et quæ quidé meliora exiſtimantur, Manutij & Sigonij, Callida, geminato l ſcriptum legi. Fortaſſe ueterũ librorum, quos mihi videre non contigit, ſcripturam, mutare no-*

*luerunt. Sigonius tamen, in tabula rerum notabilium, quid de illa ſentiret viſus eſt indicaſſe, cum Calida, vnica liquida protulit. Quinctilianus certe libro primo, Sed Auguſtus quoque (inquit) in epiſtolis ad C. Cæſarem ſcriptis, emendat, quòd is Calidum dicere, quàm Caldum maluit: non quia non illud ſit latinum, ſed quia ſit odioſum. Nam cum anceps eſſet, præcipitemque & temerarium ſignificaret, vitandum Auguſtus cenſuit, vt hac ipſa poteſtate odioſum, & certo vtendum. niſi & hic quoque* Callidum *malumus; Ego vt vi, ita ſcriptura diſtinguenda puto: cum Calidus a Caleo, Callidus a Calleo declinetur. Atque hæc quidem non eo pertinent, vt in hac Hirtij epiſtola Calidius affirmem eſſe legendum, cum & Callidius, locum habeat, clauſulaque Tullianæ epiſtolæ fulciatur illa: Habes Hirtij epiſtolam; Cui reſcripſi, nihil illos callidius cogitare. Vbi ſententiæ, Aſtutius ac verſutius magis, quàm Inconſultius ac Ferocius; ſiquis attentius animaduertat, conuenit. Et tamen, neſcio quo pacto, magis Calidius, probo: quo modo in ſuis etiam ſcriptum habuit Petrus Victorius.*

Quintiliani locus illuſtratus.

IN EPIST. VII.

GRATVM mihi, quod epiſtolas &c.

*Erraſſe mihi videtur, qui hunc locum his litteris tribuit, quibus,* XVI *libro, inter eas epiſtolas debebatur, quæ ex Kalendis Ian. ad Martias datæ ſunt. Nam eo tempore legati ad M. Antoniũ, qui tum Brutum Mutinæ obſidebat, & decreti & miſſi ſunt, in quibus Seruius fuit, Panſa & Hirtio Coſ. Res perſpicua eſt.*

Vt quid accidiſſet. *Ant.* vt Quiſque, *fortaſſe,* Vt quidque.

## IN EPIST. XI.

EGO repreſsi. *Puto ſupplendnm* Me, *vt ſe dicat Cicero cum muliere contendere noluiſſe, & ſe cohibuiſſe. Itaque addit cum ſtomacho. Et noſter cito deiectus eſt de illo inani ſermone. Nam et proxime, ſuperiore epiſtola. Fruſtra vero quid ingrediar? matris conſilio cum vtatur, vel etiam precibus, quid me interponam? Quo faciunt etiam quæ ſequuntur: Hoc dempto &c. cum Homeri Carmine.*

Ad IIII Non. Apri. *Tum fortaſſe, cum Conſules inter ſe compararunt aut ſortiti ſunt, Dolabella abſentem, idq; neſcientem Ciceronem ſibi legauit, quod nunc ei denique nuntiatum fuerit. Quanquam* Apr. *vt minus ſincerum ſuſtulerim libentius. Nonas Apriles futuras, Cicero expectaturus non erat, qui ſtatim cuperet*

*Cicero expectaturus non erat, qui ſtatim cuperet nauigare. vide epiſtolam* x v i i i.

Idq; adeo genus legationis. *Ego prouincialis intelligo*: adeoq; *verbum eſſe puto. vt hoc dicat Cicero. Ego prouincialem quidem adeo legationem, ſed tamen huiuſmodi, ut cum uelis introire, exire, liceat: non ſane legationis natura ipſius, ſed quia additum mihi eſt Dolabellæ liberalitate, qui fortaſſe neſciat, vtrum ea legatione vſurus ſim. In legationem huiuſmodi dicit ſe libro* II *a Cæſare inuitatum, quæ non impediret, quo minus Romæ eſſet cum uellet. epiſtola* XVIII. *Quibus ex locis intelligimus, prouinciales etiam legationes, honoris cauſſa quodam modo, non minus, quàm liberas, tribui ſolitas eſſe: hac in eligendis legatis conditione addita, ut ipſis a prouinciali munere, cum vellent, abeſſe liceret. Quod* I*mperatorum beneficio, aut potius indulgentia, atque hominum ambitione, quàm vllo iure fiebat. Ad hanc porro legationem prouincialem, hæc eſſe referenda, quæ his adnectuntur, docent. Bella eſt autem &c. Quod ad ſcripturam attinet,* Idq; *nec Poggij nec Lolgij liber, nec Antonianus habet: quod ad ſummam rei, nihil referre arbitror. Illud etiam non laboro, vtrum quis Adeo uerbum eſſe exiſtimet, quod nobis placebat: an aduerbium, dum* Eſt *ſuppleatur.*

IN EPIST. XIII.

V I I I K. duas a te accepi epiſtolas. *Faerni liber*, K. Quint. *puto coniecturam eſſe, vel quòd nulli alij habent, vel quòd, ad ea, quæ continentur in his litteris tempora, minus faciunt. Quidam Iunias interpretantur. Et ſane totus hic liber, ita eſt uel diebus notandis, vel epiſtolis diſponendis confuſus & perturbatus, vt ſtatuere nihil poſſimus. Nam ſupra, tertia ab hac epiſtola, Antium (inquit) veni* V I K. *& vlterius aliquanto: Tertio Non. veſperi &c. Quibus locis, ſi Iunias accipimus, ut uelle uidentur expoſitores, ordo præpoſterus omnino fuerit. Vide an ita poſſint diſtribui, ut poſt*, X K. V I I I. *hæc ipſa ſequatur: Hanc, Antium* V I K. *Et deinceps, Poſt tuum diſceſſum. Quinto loco, Cum ad me: Sexto*, I I I *Non. Septimo, O Bruti. Quibus adducar argumentis, ne ſim longior, & quod caput eſt, quia non plane firma omnia ſunt, omitto.*

Quod ad te antea, atque adeo prius ſcripſi. *Achilles ſtatius*, Atque adeo primus. *notiſſima dicendi forma: reliqua ſic contaminata ſunt, & pugnantia, vt nihil coner dicere, quod non infirmum, ne dicam ſubinſulſum ſit.*

Quanquam ſiquid egerit de libertate &c. *Placet vt in* Egerit *diſtinctio fiat cum reticentia. verbaq́; illa* De libertate, *alterius ſententiæ ſit initium. Nam ſiue Clælium, ſiue Clodium legatur, non eſt perſona idonea, ad quam retinendæ libertatis cura, pertinere mngnopere videatur. Clælius enim, quis fuit? vel ſi Clodium placet, P. Clodij filium, is certe, puer ab Antonio & Cicerone ſupra uocatur. Niſi Clodium intelligit Tribunum pl. deſignatum, de quo prima epiſtola ad Brutum, ipſi etiam Bruto ſuſpectum, non modo Attico. Sed neque hoc facit, vt uulgata magis arrideat.*

Ita ne Gallo? O hominem nequam. *Quotquot vidi aut manuſcriptos aut impreſſos, vniuerſi poſt Gallo, vel* animo *vel* Annio *ſcriptum habent. Itaque Corradus,* Gallo Caninio, *prima tantum addita littera, emendat: ſuppletq́;, Iniuriam fieri ab Antonio? Quod facile patior, cum eum Cicero ita valde amarit, vt Cælio ſcribens lib. epiſt. ad Curionem, ſuum vocet: &, vt ad Marium, iudicio quoque defenderit. Ego (inquiens) dirupi pene me, in iudicio Galli Caninij familiaris tui. Quare, cum hominem diligeret, non poterat amici iniuria non commoueri. Erant autem Gallo, ut eſt apud Valerium lib.* IIII. *Cap.* II. *inimicitiæ cum*

*Antonijs: Itaque etiam Cicero & amici dolore, & odio Antonij commotus: hominem nequam exclamat. Quod etiam in Philippica illi tribuit, ijſdem pene uerbis. O hominem nequam: quo enim ueriori nomine te appellem, non habeo.*

Tricatur ſcilicet, vt homo talis. *Nugatur, ut ad nugandum factus. Tricæ uero a Trica dictæ ſunt Apuliæ oppido. Hoc utor argumento, quod Plinius lib.* I I I *Cap.* X I *ſcribat, Tricam & Apinam, in prouerbij ludicrum uertiſſe. credo quod nugatores eſſent, ac futiles; vnde Apinæ & Tricæ dictæ fuerint. Martialis: Sunt Apinæ tricæq; & ſiquid uilius iſtis.*

Quod non quis noſtrum. Quiuis *fortaſſe melius.*

Quæ cauſſa ſit Myrtillo. *Faerni liber, in* Myrtilo. *quæ lectio, tametſi incomperta hiſtoria eſt, tamen cum Myrtilum reum fuiſſe exiſtimemus, & propterea pœnas dediſſe, melior videtur, & ad ſenſum accommodatior, qui talis eſt. Velim ſcire, quæ cauſſa in Myrtilo inuenta fuerit pœna ſit affectus. Si abſit præpoſitio, uideatur ipſe de alio pœnas ſumpſiſſe, quod falſum iudico. Siquidem & libro* X V I. *De Myrtilo dilucide. O quales tu ſemper iſtos. Mox idem Faërni liber,* Correptus *pro* Corruptus. *Et*

quamuis in re obſcura, nihil magis affirmare de vno, quàm de altero liceat: tamen inclinat ſententia, vt Correptus legatur, tanquam fugitiuus. Corripere enim ſæpe Retrahere eſt, Abripere, & manu reprehendere. Quin & ſerui nomen uidetur, non Romani hominis, ad eius fortaſſe Myrtili imitationem, quem aurigam Oenomai fuiſſe, antiquæ fabulæ tradunt. Itaque & Myrtilo libentius vnico l, ut in manuſcriptis inuenio, ſane ſcripſerim.

## IN EPIST. XVII.

QVID tu autem, τὰ μὲν διδόμενα; Concinnius ad ſententiam, ſi qua modo commoda elicitur, meo iudicio diſtinguatur: ſi nota interrogationis poſt Autem, adſcribatur ut ad uetus illud prouerbium reſpiciat Cicero, cuius in Gorgia Plato, his uerbis meminit, κατὰ τὸν παλαιὸν λόγον, τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν, καὶ τοῦτο δέχεσθαι τὸ διδόμενον παρὰ σοῦ. & ad quod fortaſſe ſpectauit ſupra lib. VI. epiſtola V. cum ſic ſcripſit. Me quidem obiurgauit uetere prouerbio, τὰ μὲν διδόμενα Et fortaſſe hoc dicere uoluit Cicero. Sica φιλόσοργος ille quidem, ſed tumultuoſius tamen, hoc eſt, perturbatius, ad me illam ſuſpicionem pertulit. Sed quid tu facias? Poſt-

quam a Siregio nullum verbum ſcribitur, eius vnius nuntio, vt ut eſt, cogimur eſſe cõtẽti. Huc ſpectaſſe etiam videtur, cum prima ad Lentulum epiſtola, ita ſcripſit. Marcellinum tibi eſſe iratũ ſcis. Is, hac regia cauſſa excepta, ceteris in rebus, ſe acerrimum tui defenſorem fore oſtendit. Quod dat, accipimus.

## IN EPIST. XX.

Sed id ex prædijs. *Malim*, Sed ei ex prædijs. *Cuius tamen lectionis veſtigium non leue, in Faernino extat: vbi legitur.* Sed &c. *&c. Id quidem niſi ad viaticum referri non poteſt, quod Ciceroni filio ægre conuenit. Poſſet & relicto* id, illi *ſoluetur legi, prorſus, & ad ſententiæ rationem & loquendi, pronomen opus eſt.*

## IN EPIST. XXIII.

Puteolis profectum. *Manuſcripti, & item impreſſi omnes, partim* ijs, *partim* his *habent. Et vt vt alij emẽdent, quos equidem non damno, mihi tamen opinio Corradi ſane arridet magis,* H. I I. *hoc eſt, Hora ſecunda ſcribentis: tum quòd a ſcriptura nihil fere deflectat: tum quòd ſit veriſimile, ibi conſcendiſſe Brutum, vbi erat Seruilia. Ea autem erat Lanuuij, aut Antij. Quin, tantum abeſt, vt Puteolis legi poſſe videatur, vt*

*eo, etiam Brutum, aut certe in Neſidem Luculli, vbi eum Cicero eſt aſſecutus, multumq; cum illo ſermonem habuit, profectum ex his locis, putem. Nam epiſtola prima ſequêtis libri, Nonis Quint. (inquit) veni in Puteolanum iens ad Brutum; in Neſide hæc ſcripſi. De quo congreſſu & inſula, idem etiam Cicero, Philip.* x.

## *IN EPIST. XXV.*

Si tamen, vt, ſi nihil &c. *Faerni liber & Antonianus*, ita tamen. *quidam alij* ſic tamen. *vt ſenſus hic ſit. Ea conditione animus meus æquus eſt, vt & tuus, ſi nihil offendimus, æquus ſit. hoc eſt. Ego animum induxi, vt in neutram partem valde laborem, ſiue nauigem, ſiue maneam: ita tamen induxi, vt & tu, ſi nullam ſermonis cauſſam, datura eſt mea profectio, contentus eſſes. Vel: Meus animus eſt æquus, hoc eſt, facile adduci poteſt, vt nauigem aut nõ nauigem: ſic tamen, vt & tu adducare, ſi nihil nobis officiat, ad exiſtimationem. Quæ ſequuntur ita emendamus:* Etiam ſcribe, quo die Olympia, quo Myſteria ſcilicet: *vt de Græcis myſterijs, (erant enim & Latina) ſciſcitetur; de quibus ſic in* III *de Oratore. Vbi ego diutius eſſem moratus, niſi Athenienſibus, quòd myſteria non referrent, ad quæ biduo ſerius veneram, ſuccenſuiſſem.* Ergo *hic Cicero, quem in diem vtraque inciderent, vult*

*ad ſe ſcribi. Iã vero in illo quod mox ſubiungitur,* vt tu ſcires, *Paulli cõiectura blãditur, nec quidquã habeo melius:* *niſi* vt ſcies, *minus audax videatur; ut ſit, ſcribe vt ſcies. ſed hoc eſt languidius.*

Caſus conſilium noſtri itineris iudicabit. *Hodie litterati, ſcribere* Cauſſam *inſtituerunt Quinctiliani ſcilicet teſtimonio cum primis permoti, qui S. litteram Ciceronis temporibus, paulumq; infra, fere, quotiens media vocalium longarum, vel ſubiecta longis eſſet, geminari conſueuiſſe ſcribit: vt* Cauſſa, Caſſus, Diuiſsiones *dicerent: idq; ſe tum Ciceronis, tum Virgilij manibus didiciſſe. In quo ego eos non reprehendo tantos auctores ſecutos: ſed tamen ab ijs ſcire cupio, quid cauſæ fuerit, cur illi, cum* Cauſſam *probauerint,* Caſſus & Diuiſsiones *improbauerint. An non improbauerunt, cum hæc vnico S, tum hic tum alibi typis excudendũ curauerunt? Ne inquiunt Inane ſignificare videamur: & Diuido, Diuiſi facit in preterito. vnde flectitur Diuiſio. Audio: Sed cur Ciceronis auctoritas, quam ſe vnã ſcribunt precipue, in* Cauſſa *ſequi, et pluris, quàm omnia facere: in his leuior ſit? eoq; magis, quòd non pauciora, ac neſcio an etiam plura, offendant in* Cauſſa? *Quid? dicat aliquis: Placet ne tibi igit* Caſſus & Diuiſsio? *Mihi uero ne* Cauſſa *quidẽ, quam ego vocem, vix quidem videor poſſe enuntiare. Nec*

*tamen damno ſcripturam: ſed fieri potuiſſe arbitror, vt poſterior ętas, melius aliquid viderit: & Cauſſam & Caſſus, & Diuiſio, vt nimium vaſta, et ad appellandũ inepta, mollierit. Certe pręcepta quæ de Syllabis a Grammaticis relicta ſunt: præcepta autem ? pronuntiatio ipſa ,* Cauſſa *(de hac enim loquar in primis) reſpuit, horretq́;. Nam, cum duarum ſyllabarum ſit, ſonumq́; in priori habeat; ſi* Cauſſa *ſcribatur, vix effugere poſſis, quin euadat trium, & acuatur penultima. Siquidem productam vocalem, ſequente. V. in id ipſum deſinere, cum ſit neceſſe: nulla vero ſyllaba, a gemina poſſit incipere, S, alterum, V, illi adhæreſcet, atque dictio fiet trium ſyllabarum, ſonusq́; in penultimam tranſibit. Quo quid fieri poteſt abſurdius, ac magis abſonum? Eadem incommoda etiam in Paullo aut Paullum Paullulũq́; contingunt. Sed ne recedamus a* Cauſſa. *Terentius Scaurus, in vtranque diſputat: ſed tamen ἀρεσκόμενον eſt, vt* Cauſa *ſcribatur. Cauſſam (inquit) multis ſcio per duo ß. ſcribi, vt non attendentibus hanc litteram, vt etiam cognatam illius R, niſi correpta vocali præcedente, non ſolere geminari. & propterea, quotiens productam vocalem V ſequatur, in id ſolere deſinere ſyllabæ ſonum, vt in Plauſu & Luſu: ita cum hac vtiq; littera eiuſdem modi ſyllabarum finiri ſonus de-*

*beat; nunquam autem a gemina vlla ſyllaba inci piat: apparet Cauſam, geminatam ſſ. non recipe pere. Quoniam neque in fine præcedentis ſyllabæ alterum poteſt poni, neque a gemino, ſequens incipere. Et quæ ſequuntur. Poſtremo in antiquiſſimo illo Virgilij, Vaticanæ Bibliothecæ exemplari, grandioribus litteris, priſco more exarato: quod nonnulli fabulati ſunt, Poetę ipſius manu perſcriptum, Cauſa ſcriptum eſt, & alibi & in prima Ecloga illo verſu. Et quæ tanta fuit Romam tibi cauſa videndi? Verum hęc ita accipi volumus, vt non negemus ſic a M. Tullio, Maroneq; ſcribi conſueuiſſe: ſed non colligi neceſſario, ſic paſſim ſcribendum eſſe; cum hęc ratio ætatum fuerit vt Quinctilianus ait, ſæpeq; mutata: & in opinione poſita potius, quàm certis argumẽtis. Nam alias grammaticorum nobiliſſimi, propenſiores in* Cauſa, *quàm in* Cauſſa *uidentur eſſe. Quòd ſi tantum recentiores Ciceroni tribuunt, cur animũ inducere non dum potuerunt ut* Caſſus *probarent, pro* Caſus? *ſed de hoc forſitan alio tempore.*

## IN EPIST. XXVI.

Illa nanque in vtranque. *Libri veteres*, Illa quidem. *Antonianus bis amplius*: Eſt illa quidem. *recte vtrique.* γὼ προθέσει *certe, cui* Sed *aut* Sed *tamen redditur*, Quidem *ſolet poni*,

*non* Nanque.

Seruitutis apud Thalnæ quid habituros. *Manuſcripti*, apud tale. *Sed ſequamur vulgatam, cuius hic ſenſus eſſe poteſt, quo facilius eos ſpecus Aelio concedas, ij, neceſſe erat, propter viciniatem prædiorum Thalnæ, aliquid haberent ſeruitutis, velut itineris. Id me, iamiam nolle, hoc eſt, negaturum illi fuiſſe, ſupple, tu ſcis: neque mihi quidquam eſſe tanti, vt te bis priuari uelim. Sed, ut mihi dicebas, quàm leniſſime agamus, ut Aelius cura potius liberetur, quàm vt me ſuccenſere ſibi aliquid ſuſpicetur. Illud etiam notandũ,* Suſcenſere, *pro eo quod eſt in vulgatis* Succenſere, *non ſolum hic, ſed vbique inueniri in manuſcriptis noſtris. Vereor, ne ex his ſit, quę Seruius in primum Aeneidos, Ait uſum contra antiquitatem uindicaſſe. Illi enim (inquit) Parſi dicebant, nos Peperci: Item nos dicimus Suſcepi, illi autem Succepi. ut Succepitq; ignem folijs. Quanquam illud eſt Grammaticorum præceptum; quæ a ſub præpoſitione componuntur, ea b, in primam ſimplicis conuertere; ſi modo a conſonante incipiat: idq; manifeſtum eſſe in Succurro, Occurro, Suttinnio, Succumbo: Quæ uero a Suſum aut Surſum, S. retinere, argumento eſſe Suſpicor, Suſcipio, & Suſpicio: Inter quæ utrum Suſcenſeo ſit, puto uidendum, atque interea, a ueterum libro-*

*rum ſcriptura non recedendum.*

Vt erit, rem impediri malo. *Faerni liber et Ant.* Vt vt erit, *melius.*

Tullij Luminarium. *Qui aliquid hinc eruere uoluerit, nec ſane prorſus abhorrens, Corradũ adeat. In manuſcriptis tamen*, Tuli *non* Tullij, *legitur. fortaſſe illo ſenſu. Octauam partem ſum paſſus Luminarium ad Strenæ, ſupple* Tolli, *uel quid huiuſmodi. Deinde a nouo principio, nouaq; re: Memineris cui Cærellia. Sed ne ego ridiculus, qui in re deſperata laborem. Nam neque æ*dium *libri ueteres, ſed* Medium, *neque* Luminarium, *neque* Strenæ *ſed uel* Aſtrane *uel* Aſture ne *uel* Aſtrare *uel quid deformius ac monſtruoſius habent: ut uulgata lectio, omnis ex ingenio ſit: quam tamen non damno.*

## IN EPIST. XXVII.

Quæ te velle ſuſpicor. *Antonianus*, ſuſpicabor. *Recte: ut poſt* Modo *interpungi poſſit, ut Manutio placet. Quæ ſequuntur ſic expono. Turpem ſororis tuæ filium, cum hęc ſcriberem, aduentare audiui. Atq; hæc eſſe ſupplenda, illa argumento ſunt: Aduentabat autẽ* βδελύσσει. *Nã coniunctio Autem, aduentus indicat factã fuiſſe mentionem, ſi non expreſſi, ſaltem ſubintellecti. Alias,*

*non Autem, ſed Enim dicturus fuit, qua indicaret, cur turpem appellaret.*

IN EPIST. VLTIMA.

Reſcripſi ad omnia: nunc noſtra accipe. *Faerni liber.* Ad omnia tua. *Recte: ſequitur enim, Nunc noſtra accipe.*

Putaui illa eſſe uera. *Non aliter manuſcripti. nos tamen exiſtimamus ita legi poſſe,* Negaui putare illa eſſe uera, *traiecto puncto: illo ſenſu: Ego, etſi totum illud ita contemnebā atque execrabar, ut* ἀναντιφώνητον *præterire debuerim, atque aliquid hic de tua eloquentia uſurpare: tamen reſpondi me non putare illa eſſe uera, quæ dicerentur a Q. Filio. Porro Me, Te, frequenter omiſſum inuenias, ubi tamen deſideretur.*

Id eſt, I I I Nonarum. *Libri ueteres partim* Non. *partim* Nonarum *manifeſte. Et Pridie quidem & Poſtridie, patrico fere caſui (nam & in quartum feruntur) iungi ſolere, rem tamen cognatam ſignificanti, notum eſt. uelut, Pridie aut Poſtridie eius diei, Iduum, Nonarum, atque id genus: quanquam Idus & Nonas, inueniatur frequentius: Tertio, Quarto, Quinto, Octauo Iduum, Nonarum, kalendarumq; durius eſſe puto. Nam V. Nonas, kalendasq; per eclipſim dici conſtat, præpoſitionis Ante: ut ſit Quinto die ante Nonas & kalendas, quemadmodum in illo,*

*Annos*

*Annos natus decem, Priſcianus Ante, ſubaudiendum exiſtimat: ut ſit, Natus ante annos decem: ita tamen, ut & annus quo natus ſis, & quem tũ agas, in numerum recipiantur. Quæ libro duodeuigeſimo ab eo traduntur, contaminata ſic ſunt meo iudicio, ut quid uelit, dicere me poſſe non confidam. Nam cum dixiſſet: Romani, Tertium & Tertio kalendas & kalendarum dicunt, pro in tertio ante kalendas: hæc addit. Cicero inuect. 1. Meminuiſti'ne me, ante diem duodecimum kalendarum Nouembrium, dicere in Senatu, fore in armis certo die, qui dies futurus eſſet ante diem ſextum Kalendarum Nouembrium: pro in diem ſextum Kalendarum Nouembrium. Ante frequentius tamen accuſatiuo iungitur. Hæc ille. quæ eo pertinent, ut Ante diem tertium Kalendarum dici probent, non Tertio kalendarum. Itaque magnopere ſuſpicor, ne uerba illa tranſpoſita, perturbataq; ſint, atque ita poſſint in ſuum redigi ordinem. Romani, Ante diem tertiũ kalendarũ, &, Tertio kalendas dicunt. Quod poſtremum, quia uulgo notum eſt, non eguit teſtimonio. Illud etiam ſi huc forte pertineat, his addam: hanc dierum indicandorum rationem, alio quoque modo Latinis efferri: nimirum, Ante diem tertium Kalendas. quod uel ex eo Liuij loco cognoſci poteſt, lib.* XXV. *Romæ Conſules Prætoreſque, uſque*

Priſciani locus emendatus.

ante diem quinctum K. Maias, latinæ tenuerunt. Varronis item illo altero, de ling. lati. lib. v. Vinalia ruſtica dicuntur, ante diem duodecimum kalendas Septembris; Feſti item illo. Mundus vt ait Capito Ateius, in libro VI. pontificali, ter in anno patere ſolet: & ante diem tertium Nonas Octobris, & ante diem Sextum Idus Nouembris. Vnde mihi ſuſpicio oriri ſolet, ne hoc Priſcianus ſignificare voluerit, illis verbis.

Ante, frequentius tamen accuſatiuo iungitur. Quæ quis non videt eſſe mendoſa quædamq; deeſſe?

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Atticum, EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

## Argumentum libri XVI.

M*ALE affecta oppreſſaq; ciuitate armis Antonij, Reiq; publicæ ſalute deſperata, quod adhuc C. Cæſare viuente cogitauerat; iter in Græciam Cicero eſt ingreſſus, re tamen prius lente deliberata, quod & futuris de ſe hominum ſermonibus moueretur, & ægre a ſuis villulis Italiaque auelleretur. Ergo Puteolos primum progreſſus, inque Neſide Brutum allocutus, claſſem vnà cum Caſſio parantem, qua ille in Macedoniam, hic in Syriam nauigarent: kalendis Sext. Regio conſcendens, venit Syracuſas. vnde cum tranſmittere vellet in Græciam, biſque ad Leucopetram, quod eſt agri*

*Rhegini promontorium Auſtro reiectus eſſet, profectionis conſilium abiecit: eoq́; magis, quod boni quidam nuntij eò Roma venerunt, fore vt Antonius eſſet in poteſtate Senatus: Senatores in vrbem redirent: res conueniret. Hac igitur ſpe commotus, Romam redijt, vrbemq́; ingreſſus eſt, kalendis. Septembris. & IIII Non. hoc eſt poſtridie kalendas, vt ſcribitur Philip. V. eam dixit orationem, quę eſt in Antonium prima. Fuit deinde partim Romæ, partim in ſuis prædijs: quę omnia commemorantur ſex primis epiſtolis. Reliquæ ſcriptæ ſunt, incertis quidem diebus magna ex parte: omnes tamen ante K. Ian. quo toto tempore, hęc geſta fuiſſe traduntur. Cum M. Antonius & Octauianus occultis potius odijs inter ſe, quam aperta vi certarent, alterq́; alterum inſidijs præuertere conaretur: Antonianus, ante diē VII. Id. Oct. Brundiſium venit, profectus obuiam legionibus Macedonicis quatuor, vt eas ſibi pecunia conciliaret: quas tamen, quòd quidam ab Octauiano præmiſſi, multo plus obtulerant; attrahere ad ſe non potuit. Itaque & Martia & Decima, illum poſtea deſeruerunt, & ad Octauianum tranſierunt: qui item Octauianus eo ipſo tempore, quo Antonius Brundiſij fuit, ipſe in Campaniam pergens, magnum veteranorum numerum, ingenti ſpe, ingentiq́; pecunia cepit.*

*nimirum denarijs. vt Cicero ait* c c c c. *Idque initium fuit armorum inter ipſos, cum antea neque bellum gererent, neque pacem haberent. Et hoc tempus illud fuit, cum Cicero ab Octauiano, per ſpeciem capeſſendæ Reip. in Antonium ſolicitatus eſt; nihil ſe, niſi de illius conſilio, nec niſi per Senatum facturum, pollicente. Scriptę ſunt omnes, Antonio & Dolabella Coſſ. ex a. d.* V I I. *Id. Quint. ad Nonas circiter Decembris. Atque his quidem, multa alia continentur, ſed vel domeſtica, vel huc pertinentia.*

## IN EPIST. I.

In mandatis ſat abunde. *Noſtri* ſit abunde; *ad ſententiam, niſi fallor melius. Multa inquit recenſet Obius quę vellem, in his, in mandatis ſe habere, hoc eſt, ſibi mandatum abs te, vt Ciceroni meo abunde ſit.* H-S L X X I I, *ſatis eſſe. quanquam Antonianus, habet* L X X V.

Pindaro Ducumano. De Cumano *eſt in pleriſque veterum. Sed cum res obſcura ſit, ſtatui nihil poteſt.*

## IN EPIST. II.

Satis apta ſint. Sunt *legitur in noſtris.*

Doleant quidlibet. *Ex Afranio ſumpta ſunt, vt eſt in quarta Tuſculana. quanquam & ibi & hic, in libris antiquis* Quodlibet *ſcriptum legitur. quod, antiquitatem reueriti, ſequi debemus, vt ſecutus eſt Cicero.*

Euro villa excludimur. *Plerique tum veterum tum recentium librorum,* Furore illo, *quos Corradus probat: furoremq́; Antonium interpretatur, qui vehementius in dies ſingulos inſaniens, Ciceroni, in Italia manere alias cupienti, cauſa fuerit abeundi, ſpem omnem illi recuperandę Reip. ſuo furore præcidens. Et profecto, non ſatis cauſæ fuiſſe uidetur, vt Italia excederet eo tẽpore, iamq́; Brundiſium cogitaret, quia Euro villa extruderetur: quaſi, quo ſe conferret, vt tutus eſſet ab Euro non haberet, eoq́; magis, quòd hoc ſibi quam diutiſſime integrum uellet eſſe. Si mari ſe excludi dixiſſet, poſſemus exiſtimare, ex eo loco conſcendere cupientem, vento prohibitũ, Brundiſium cogitaſſe: At hoc non dicit, Quare non inuitus omnino, in eam opinionem labor. Antonianus tamẽ* Furo illa *Victorianis libris cõſentanee.*

V. Kalendas in Pompeianum. *Lolgij liber,* v. Id. *cum reliqui cum vulgata conſentiant. Sed tamen illud rectum eſſe non dubito. Quod eſt autem mox in vulgata* Aculanum, *in Antoniano* Aeculanum *ſcribitur, quod placet Corrado:*

*Manutius tamen* Herculanium.

Sed de rebus neceſſarijs. *Antonianus liber.* Si de rebus *perſpicue melius,cũ* Sin *reddatur*.

IN EPIST. III.

Nec vlla res. Nec me vlla res, *Victoriana editio,& mei omnes*.

IN EPIST. IIII.

O dies in auſpicijs Lepidi deſcriptos. *Prorſus deſiderari aliquid puto, & quidem huiuſmodi,quod omitti non debuerit; Quam enim vim habeant uerba illa, ſi ita iaceant? Itaque attentius cogitanti, uidebatur a Cicerone ita potuiſſe ſcribi:* O dies in auſpicijs Lepidi,Lepide ſcriptos. *Preteritum uero* Lepide *exiſtimamus,vicinæ uocis ſimilitudine,cuiuſmodi non pauci errores inueniuntur,in manuſcriptis libris. Quod niſi quid tal e addatur,male cohæreant quæ ſequntur: in quibus illud a me facit, quod non* Aptos, *ſed* Apte *in Antoniano legitur,ut ſit, Lepide apteq; deſcriptos ad conſilium reditus mei, quanquam* Aptos *non damno. Nec illud omittam, ſiquam ſpem afferat, ad ſanandum hunc locum, in eodem eſſe.* O dies in auſpicijs hæc Lepidi.

IN EPIST. V.

Vtrũq; pedibus,equis trãſmiſimus. *Poggij,Lolgij,Faerni, exẽplaria,* Equis *non habent*,

*& putamus ex interpretatione alicuius eſſe intruſum, parum quid Pedibus valeret tenentis, & abſurdum eſſe exiſtimantis, hominem annos natum amplius ſexaginta, pedibus iter facere: quaſi lectica vehi aut Rheda non potuerit.* Nos Equis *ſuperuacaneum iudicamus: quod, vti Naui iter facere, mari ſignificatur, ita pedibus, continenti terra. Id ex his ipſis ad Atticum epiſtolis, vt alia omittam, facile confirmatur. Nam ſupra lib.* x. *epiſt.* IIII. *Me tamen (inquit) conſilio iuua, Pedibus'ne Rhegium, an hinc ſtatim in nauim. Item lib.* IIII. *epiſt.* VIII. *Acceſſit cum Dyrrachij eſſemus, vt duo nuntij afferrentur; vnus claſſe fratrem, Epheſo Athenas, alter pedibus per Macedoniam venire. Denique proxima ſequenti epiſtola. Nam* XVI K. *Septembris, cum veniſſem Veliam, Brutus audiuit: erat enim cum ſuis nauibus apud Haletē fluuium citra Veliā, millia paſſuum* III. *pedibus ad me ſtatim. Niſi volumus exiſtimare tales viros, non Equis vel Rheda uel Lectica vſos eſſe, cum pedibus iter feciſſe dicuntur. Græci item, idem ſignificare uolentes; πεζῆ, ſolent dicere. Nam Dio lib.* XXXXVI, *de Decimo Bruto ſcribens;* τήν τε γαλατίαν *(inquit)* ἐκλιπεῖν, καὶ ἐς τὴν μακεδονίαν πρὸς τὸν Βροῦτον πεζῆ διὰ ἰλλυριῶν ἐπειχθῆναι ἔγνω. *Neque tamen negamus, & pedibus iter fieri & equis: vt de*

*Maſſiniſſa idem Cicero ſcribit in Catone maiore: quem ait nonagenarium, cum ingreſſus iter pedibus eſſet, in equum non aſcendiſſe: cum equo, ex equo non deſcendiſſe: ſed pedibus iter fieri, ab illo diſtingui dicimus, quod Naui fiat. Adde quod veriſimile non eſt illa ętate hominem, longius iter pedibus confeciſſe: nec ſiquis vel tædio equitandi, vel excitandi caloris cauſſa, ex equo aut lectica deſcendit, parumq́; eſt progreſſus; confecto illo itinere, quod eſt ingreſſus, et pedibus & equo confeciſſe dici debet, cum conſilium animaduerti debeat, quod fuit vt equo vehens conficeret.*

Nec id nunc quidem (niſi fallor) ullum eſt. *Antonianus & Petri Victorij* Nullum eſt: *quod magis probo. Et ſi enim maiora impendebãt, tamen a periculo vacuum tempus illud non erat. Itaque ſequenti epiſtola, Ita fiebat, vt dum minus periculi videretur, abeſſem: in flammam ipſam nciderem.*

## *IN EPIST. VI.*

QVOD eam uituperationem effugiſſem. *Huc arbitror ex interpretatione alicuius, hæc verba irrepſiſſe. Nam cum illa dixerit: ſe autem lætari, quod effugiſſe duas maximas vituperationes, vnam deſperationis & relictionis Reip. alteram addens, non neceſſe habuit eadem inculcare,*

*& quidem parum conſequenter ad dicendi rationem, quæ ſatis explicate intelligeretur. His ergo ſublatis, & ſententia plana, & verba conſequentia in primis fuerint: Alteram, me exiſtimari ad Olympia.*

Gratias miras ago. *Antonianus & Faërni,* Ago *non habent: nec nulla cum gratia.*

Sicui quod debetur. *Ego* Quid *malim, & vſum ſcriptorum ſecutus, & Antoniani libri auctoritatem.*

## IN EPIST. VII.

Kal. veſperi, litteræ mihi ab Octauiano redditæ ſunt. *Faerni liber & Antonianus,* Redditæ ſunt, *nō habent: cuiuſmodi* ἐκλείψεως, *multa, ſi deſiderentur, poſſim afferre exempla. Neque tamen ea ſubmoueo, quæ vitij nihil habent: ſed in re pari, cenſeo veteres libros, aut plures, aut meliores ſequendos.* Kalendas *autem Nouembres ſignificari, recte, ſiquid video, Corradus ratiocinatur. Neque enim dubitari poteſt, quin hæc epiſtola eo tempore ſcripta fuerit, quo Brundiſium Antonius ad legiones Macedonicas ſe contulit: id quod fuit poſt* K. *Octob. Siquidem* VI *Non. Antonius Romæ concionem habuit:* VIII *Id. egreſſus eſt; vt idem Cicero ait ad Caſſium ſcribens, epiſtola: Auget tuus amicus. &*

*ad Cornificium, epiſtola, Omnem condicionem; cum & ipſe in vrbe eſſet. Redierat enim Prid. K. Septembris.* IIII *Non. in Senatum venit, primumq; libere in Antonium loqui cœpit, Philippica* V. *ita vt Kalendæ Septembris intelligi hic non poſſint. De Kalendis igitur Nouembribus, non arbitror dubitandum.*

Qui hoc pertulit. *Ant. Faer.* Qui hæc. *vt arbitror melius. plura enim attulit Cæcina, non vnum.*

Hoc igitur explica. *Hic quoque Hæc ijdem libri; ſed nihil muto.*

Fugiam Romam. *Mihi dubium non eſt, quin tale quippiam ſignificare voluerit, quale proximis litteris extremis, Atticum conſulit, nimirum, propius ne accedat: vt, ita hic tria quærantur ab illo, quemadmodum & ibi. Romam ne veniat, an Arpini maneat, an propius Romam accedat. Atque hoc tertium deſiderari, illa manifeſto docent, Ne deſideremur, ſiquid actum videbitur. Volebat enim eſſe in propinquis locis, velut in ſpecula, vt ſiqua ſpes oblata eſſet recuperandæ Reip. ſtatim poſſet accurrere: ne ſi longius eſſet arceſſendus, rei bene gerendæ occaſionem amitteret. Nam infra, Timeo (inquit) ne abſim, cum adeſſe me ſit honeſtius. Atque hanc quidem tertiam quæſtionis partem, non tam*

deeſſe arbitror, quam eſſe mendis obſcuratum. Quo modo autem reſtitui poſſit, veterum librorum ope deſtituti, diuinare non poſſumus. Nam ſi An prope Romam emendemus, nimium receſſerimus a ſcriptura; Inutile tamen non fuerit, aditum aliquem ingenioſioribus oſtendiſſe. Veteres quidem libri, Fugiam Romam fere habent.

## IN EPIST. VIII.

Ego autem σκέπτομαι, Malim σκήπτομαι, quod eſt ut diximus, προφασίζομαι. noſtris Tergiuerſor, Cunctor & Defugio. Cunctationis autem cauſſas adiungit, quod ætati non confideret, animumq; ignoraret. σκέπτομαι quidem, & ſi eſt nō alienum, frigidum tamen eſt.

Cæſariana uti celeritate. Octauij Pantagathi liber, Cæſarina. quod ille probat, a quo mihi diſſentire difficile eſt. Et profecto in Anus, ea tantum nomina videntur declinare, quorum poſitio in Ius deſinit: cuiuſmodi ſunt Octauius, Iulius, Tullius & generis eiuſdem, a quibus Octauianus, Iulianus, Tullianus deriuantur. Ad quam analogiam, Cæſarianus, a Cæſario deducetur. Itaque & libro VII epiſt. XV. Atianas legiones libentius legam, ab Atius, quam ab Atinas: cuius primigeniū Atus eſt, non Atius. Neque tamen Atinas improbo, qui ſciā ab Hirtio, Hirtinus pro Hirtia-

*nus, euphoniæ cauſa vt Priſcianus ait formari: ſed aliud eſt negare a Cæſare Cæſarianus fieri: aliud ab Atio concedere Atianus, & ſi placet etiam Atinus non nunquam declinari.*

## IN EPIST. IX.

V T veni ad me, in Sueſſanum. *Non ſecus Anto. & Poggianus. Faërninus tamen & Lolgianus.* Cn. uenit ad me. *Me tamen non pœnitet vulgatæ, quæ & Manutio probata eſt. Conſtituerat autem Cicero, Romam Appia proficiſci: ſed cum in ſuo Sueſſano, quo die illo venerat, Antonium accepiſſet Caſilini manſurum eſſe, ueritus ne ſe celeritate ſua aſſequeretur, mutauit conſilium: ſeq; a Minturnis, quæ abſunt a Sinueſſa, vt Straboni placet, ſtadijs octoginta, Arpinum verſus conuertit.*

Conſtitueram Prid. Id. *Noſtri omnes,* 11. Id. *quod idem valere putamus, ita ut eorum ſententiam nullo modo probemus, qui, ſecundo Idus interpretantur: de qua re ſuperius.*

## IN EPIST. X.

QV Æ mihi florentiora ſunt uiſa, tuo iudicio. *Pulchriora, elegantiora poſteaquam, probata ſunt tuo iudicio.*

Aſt ægre me tenui. *Manuſcripti mei, in qui-*

*bus Antonianus & Faerninus*, Aſta ea ægre *vnde in impreſſis* Aſt ab ea *factum puto,& fortaſſe recte. Cur enim ſcriptura hæc tametſi aliquantulum contaminata, in cunctis inueniatur? Potuit autem Cicero Septimiam ſignificare, cui Atticus, litteris ad eum ſcriptis, quemadmodum & Sicæ, parci uolebat. vt quam Cicero indicaret, nullo negotio poſſet intelligere. Ita ſenſus hic eſſe poterit. De Sica, ita eſt ut ſcribis: ut homini amiciſſimo parcendum fuerit, quemadmodum & peperci. Aſt ab ea, nempe Septimia, qua cum mihi nihil eſt, vix me continui. Sed tamen quando tu ita uis, ita rem totam perſtringã, vt non ſolum Sicæ, ſed etiam Septimiæ exiſtimationi conſultum ſit.*

Deinde ab Octauio. *Et hic, & in duobus ſuperioribus locis, in quibus eius mentio fit, Octauiano legitur, in manuſcriptis meis.*

De Lepidianis feris. *Non leuis mihi Corradi coniectura viſa eſt,* Feriјs *emendantis: vt ij dies intelligantur, quos ſuperius ait in auſpicijs deſcriptos. Quæ tamen, ſi uera eſt,* Lepidanis *etiam uidetur eſſe legendum, ne a Lepidio, non lepido, videantur indictæ.*

Torquati negotiolo ſciturum puto. *Mei fere* Siturum. *Nam Romanus* Sciturum, *cuncti ſine certa ſententia. Nos cogitabamus, an* Sti-

turum legi poſſet. Et videtur non inepte. Nota eſt enim locutio, ſiſtere ſe, qua idem pro Quinctio uſus eſt, ita ſcribens. Teſtificantur iſti, P. Quinctium non ſtitiſſe, & ſe ſtitiſſe. Et paulo poſt. Venit Romam Quinctius: Vadimonium ſiſtit: quam etiam Gellius queritur ſuo etiam, hoc eſt, minus, quam conſecutis temporibus, contaminato ſeculo, ab imperitis corrumpi, qui pro Siſtere, Stetiſſe ſcriberent, ignorantes. Siſti Vadimonium, non Stari: & a Siſto, Stiti fieri in præterito, non Steti. Et quanuis ſit verbum iuris, ad alia tamen transfertur; Vt cognoſci poteſt ex illo ad eundem lib. x. epiſtola a fine tertia. Tu quoniam quartana cares, & non modo morbum remouiſti, ſed etiam grauedinem, te uegetum nobis in Græcia ſiſte. Verum hæc diuinatio ſit: in quo, cum res obſcura ſit, & ſcriptura uaria, non uideo quî mihi minus licitum ſit ita emendare, quam Sciturum alijs. Nec me fugit aliter a Petro Victorio, & fortaſſe recte: ſed nos de ea ſcriptura quam in noſtris inſpeximus, diſputamus.

## IN EPIST. XII.

QVIBVS Coſs C. Fannius &c. Recte mihi Corradus, ſiue ille ex manuſcriptis libris, ſiue ex hiſtoria Cenſoribus emendaſſe uidetur. Nam

*Africanus in ſuo primo conſulatû, collegam habuit C. Liuium Druſum. an. ab* V. *con.* DCVI: *in ſecundo C. Fuluium Flaccum, anno* DCXIX. *Cenſor tamen fuit cum L. Mummio Achaico, anno* DCXI. *Sed & perſimiles inter ſe voces, ſiue integrę, ſiue decurtatæ, ſupinis & imperitis librarijs imponere ſane facile potuerunt: quod in his libris alicubi fecerunt.*

## IN EPIST. XIIII.

ME ab illo alienatum. *Manuſcripti* Abalienatum.

Idq́ præ me feram, & quidem me mea facere & Reip. cauſſa cur illum oderim. *Noſtri fere.* Vt illum oderim. *quod puto melius. Nam* Facio cur *dici vix affirmauerim:* Facio vt, *tritum eſt. Idem Appio Bulbo, lib. epiſt. ad Torquatum. Plane ita faciunt, vt me vnice diligant. Et ad hunc ipſum Atticum lib.* IIII. *Sed non faciam, vt enumerem miſerias omnes &c. Aliquanto aliter alibi, ſed uerbis idem ſignificantibus, Dedi operam, ut ei quā humaniſſime reſcriberem. Eſt enim hæc* περίφρασις *& dicendi ratio, quæ hic quidem Reſcripſi ualet, illic, Diligunt, Enumerabo. Scatet enim Cicero his orationis ornamentis, a quibus non longe abſunt & illa. Atqui es, qui pacem ſemper optaris, Philip.* VIII. *pro eo quod eſt, Optaſti.*

ſti. Et in libro de Oratore I I. Nam quod addidiſti tertiam, uos eſſe eos, qui vitam inſuauem ſine his ſtudijs putaretis. pro vos Putare. Item ad Atticum lib. V I I I Epiſt. X I. Memineram me eſſe vnum, qui pro meis maximis in Remp. meritis, ſupplicia miſerrima & crudeliſſima pertuliſſem. Pro eo quod eſt: Memineram me pertuliſſe. Et ad Caninium. Nihil eſt, quod in iſto genere cuiquam poſſim cõmodare. pro Non poſſum commodare. Item illud. A Pauſania lentuli liberto, accenſo meo audiui, cum diceret, te ſecum queſtũ eſſe. pro Dicente. Et in primo de Orat. Sæpe enim ſoleo audire Roſcium, cum ita dicat. hoc eſt, Dicentem. Et multa id genus, quæ ne ſim longior omitto, & ad prima redeo, Nec illud libri I I I I epiſt. X I I I ad hanc ipſum Atticum, Quod me ſæpe accuſas, cur hunc meum caſum, tam grauiter feram &c. ſimile eſt, cum ibi, Quærens vel quid huiuſmodi, κατ᾽ ἔλλειψιν deſideretur, vſitata dicendi forma: hic nihil.

Non modo deſeruit &c. Cum ſubiungat, Euerterit, videtur melius Deſeruerit, ne tam propinquis in locis, a modo in modum tranſeatur. Et ſi enim animaduerſum eſt, hanc diligentiam non nunquam a Cicerone neglectam, tamen id neglexerit fortaſſe in longo ambitu, vbi vix ſentias: in tam propinquis dictionibus, vix credo.

Quantum in ipſo fuerit. *Ant.* Fuit.

Et non dubito, quin &c. *Hoc quidem lene eſt quod ſum dicturus: ſed tamen quia Manutius negat, negantem particulam in ſuis inueniri: vt firmius ſit quod ipſe ex ſententia reſtituit: nos in Faerni libro,* Nec dubito *legi teſtamur: In Antoniano* Nec ne dubito, *ſed* Ne *abundante, ſcriptorum oſcitantia. Ego igitur,* Nec dubito *reſtituo, quod ualet Et non.*

Ex quo mihi uidetur ςρατηλὰξ ille deiectus. *In meorum plerisque Stratilax eſt ſcriptũ, latinis litteris. Sed utro modo ſcribatur, inutiliter videtur ſcriptum, ad mutandos caſus. Ars enim poſtulat, vt Stratilacis latine in patrio caſu flectatur, ut Suſpicacis a Suſpicax: Efficacis ab Efficax. græce* ςρατηλάκος, *ut a* θώραξ θώρακος *declinatur. Verum, quis hæc vnquam audiuit?* ςρατηλάτης *igitur puto legendum. quemadmodum* ἱππηλάτης.

Non potui vt Conſueueram. *Noſtri omnes,* vt conſueram.

Sed tu cum legis, exiſtimabis &c. *Faerni liber, poſt hæc verba, annexa habet etiam illa, Quantum homo iſte nos diligat. Et paulo infra, poſt Adhibere medicinam, Quid enim iam eſt, quod ego vel auxilio, vel conſilio prodeſſe poſſim? De quibus quid dicam aliud, niſi ea videri mihi*

*Gaſparrinum redolere, qui libris ſupplere conſueuerat ex ſuo?*

Si quiſquam male intelligit. *Romani ſermonis elegans quædam ratio, qua ſignificamus aliquem in eo genere, quo de agitur, alios ſuperare, aut ipſum uehementer extollere.*

*In Epiſt. ad Plancum.*

CVM libellum Cæſari dedi. *Antonianus, plane melius,* Eum libellum: *adſcriptãq; τελείαν σιγμὴν habet. Sane durius eſt, Cum dedi, pro Cum dediſſem. Neque enim tum, cum daretur libellus, id quod, Cum dedi, valet, probare cauſam Cæſar ipſe potuit; ſed poſtquam datus eſt, & lectus. Nam coniunctio Cum, finitiuæ quidem qualitati iungitur; ſed tum, cum, vt Diomedes ait, eo ipſo tempore ſignificat: qui etiam exempli cauſſa, hæc quæ dicam, & multa alia affert. Cum dicam, veni: id eſt, ipſo tempore quo declamabo. Et ex Aeneid. libro primo, Cum venit, aulæis iam ſe regina ſuperbis, Compoſuit. Id eſt: tempore ipſo quo venit. Quo in loco Seruius. Aut, pro Cum veniret, (inquit) aut Cum, eſt aduerbium temporis, pro Dum. Nec enim poteſt, coniunctiui modi particula, iungi Indicatiuo. Sane ſciendum eſt, Cum & Dum, malo errore a Romanis eſſe confuſa. ſic ille.*

*Qui plura deſiderat, Diomedē poteſt adire. Nos, tametſi non adeo religioſi ſumus, exiſtimamus tamen ſermonis proprietatem nō eſſe negligendam: eo maxime, ſi veterum librorum accedat auctoritas.*

Pecuniam reliquam. *Faërni liber*, Pecuniæ reliquum.

Omitte Atticum Ciceroni tuo. *Nihilo ſecius manuſcripti: mihi tamen haud magnopere ſatisfaciunt; Nam & omitte, pro eo quod eſt, Condona, non omnino probatur: & vt non improbem*, Atticum *tamen non modo ſuperuacuum eſt, cum iam dixerit, Da mihi & hoc, obliuiſcere &c. Sed ſenſum quoque obſcurat: & illa*, Totum hoc, *facit, ut quo referantur non habeant: quibus ſublatis, conſecutio verborum hæc poſſit eſſe. Omitte totum hoc Ciceroni tuo, nimirum, vt obliuiſcare, illum aliquando familiari ſuo, tuo aduerſario, conſultum uoluiſſe; & quod ſemper exiſtimaui; & quæ ſequuntur reliqua. Succurrunt effugia quædam; quæ, quia leuia ſunt & violenta, ne refero quidem. Quod ſiquis non ferat, quod in cunctis tum ſcriptis tum impreſſis deleri, is per me* Actutum *ſubſtituat, licet: vel ſi quid arridet magis.*

Quod parum confidam. *Antoni. & Faer.* Quo. *eodem ſenſu. Nec me fugit hoc atq; huiuſ-*

*modi a Laurẽtio errata exiſtimari ſcribarum, aut potius ignorantium Quod, de cauſſa efficienti, Quo, de finali dici: illudq́; Quia ualere, hoc Vt. Quod ab eo huiuſmodi exemplo illuſtratur. Caſtigo te, non quod odio habeam, ſed quo meliorem efficiam: vbi apparet, in priori membro efficientem cauſſam ſignificari: in poſteriore, Finem. Sed tamen Quo, ſi quotiés pro Quia reperitur, erratum eſſet, ne illa multa eſſent tum in his libris, tum in reliquis errata. Nam libro* VII. *Epiſtola, Pedem in Italia, Tu cædem (inquit) non ſine Cauſſa times: non quo minus quidquam Cæſari expediat ad diuturnitatem victoriæ, & dominationis &c. ſed ſtultum eſt, in re perſpicua laborare. Nec tamen Laurentij opinionem contemno, quæ mihi ut uere dicam, ualde placet: certe tuta eſt: ſed illud uolui dicere,* Quo *ſi legamus hoc loco, non nouum eſſe, etiam ſi Quia ualeat. Mihi tamen uulgata lectio ſatis probata eſt.*

# LEONARDI MALAESPINAE,

## SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad M.Brutum, EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

AB ARGVMENTO *libri huius, quando a Manutio explicatur, ſuperſedebimus: tantum de ordine librorum illud dicemus: videri mihi eos, qui hunc ad M.Brutum, ijs qui ad Atticum ſcribuntur, anteponunt: non ſatis tempora ſubduxiſſe, quibus ſinguli ſcripti ſunt. Et vt plures a Nonio citentur ad Brutum miſſi, tamen neceſſe eſt, per vtriuſque ætatem, longe ante ad Atticum ſcribi ceptum eſſe, quam ad illum. Itaque mihi placet is ordo, qui ab Aldo primum, deinde a Filio ſeruatus eſt: quem etiam audio, in exemplari Petrarchæ inueniri. De epiſtolis ad fratrem dubitari poteſt. Ego tamen ſi ſpectentur tempora, poſt*

*ad Atticum ſcriptas collocarem, cum mitti cœptæ fuerint, L. Afranio & Q. Metello Celere Coſſ. Brutus in amicitiam M. Tullij, paulo ante, quam hic proconſul in Ciliciam iret, inſinuatus ſit: vt ab eo litteras accipere non potuerit, cuius conſuetudinem non haberet. Verum hæ quidem, vt libet collocentur: dum libros ad Atticum ſequantur, poſtremumq; locum obtineat, epiſtola ad Octauium ſcripta.*

## IN EPIST. I.

VT ἐμφατικώτερον dicam. Dicam, *in nullis inuenitur manuſcriptis. & ſane poteſt omitti, ſoletq; non raro: ſententia non modo non imminuta, ſed etiam grata breuitate.*

Per ſuos potius inimicos. *In meis omnibus*, Iniquos. *quod & ſi melius non eſt, puto tamen eſſe uerius, tot librorum veterum conſenſione adductus: a quibus vt alij diſſentiant, vix adduci poſſum. Iniquos vero, Inimicos etiam ſignificare, quæ ſunt apud eundem planum faciunt, Iniqui mei. Et Seruilius Ioui ipſi iniquus: Et, Iniqui noſtri, pro Plancio & in Verrem. Et, Ceteri ſunt partim obſcurius iniqui, partim irati, ad Lentulum. Et ad Q. fratrem. Nobilitate inimica, non æquo Senatu. quod eſt, male animato.*

## IN EPIST. II.

Maximeq́ mirabiles. *Præclare noſtri* Mirabile, *ut non ad litteras, ſed ad illud quod eſt dicturus, reſpectus habeatur. hoc modo. Maximeq́; mirabile illud eſt: uel, illud eſt uiſum.*

Quid ſe nam. *Noſtri* Quid nam ſe.

Et tuum conſilium. Et, *abeſt a meis.*

De Antonijs. *Poggij liber*, de Catonijs. *Fortaſſe*, de C. Antonio. *Nam cum hic, de ſeditione quæ in legionibus Macedonicis commota eſt, ſermo ſit: de Antonijs, niſi de Caio ſcribi ſeditionis auctore, alienum eſt. ἀσυνδέτως tamen legi uolo, commate interpoſito. Quod ſequitur autem,* Quod dicam, *non equidẽ reijcio, teſtari tamen libet, in nullo meorum inueniri. Nec ſi abſit, ſane ualde deſideretur.*

Quod ſi clementes eſſe uoluerimus. *Noſtri omnes,* Eſſe uolumus. *Et paulo poſt,* Prouidetis, *pro* Prouideritis.

Neque Senatus ducem. *Magno conſenſu noſtri,* Senati ducem, *lenius, ut ſenſus indicat, nec apud hunc ſingulare. Nam ut grammatico nobiliſſimo placet Soſipatro libro primo, in Diuinatione in Verrem, ſic legi debet. Quod in unaquaque re, beneficio Senati populiq́ue Romani, iuris habui. Priſci enim homines, quæ*

*poſtea quartæ declinationis ſunt facta, more ſecundæ declinabant: Domiq; pro Domus, vnde, Domi eſſe vt Romæ, dixerunt ſcriptores: Tumulti pro Tumultus: Queſti pro Queſtus:*

*Fructi, pro Fructus, quo vſus eſt Terentius in Adelphis*

*Nunc exacta ætate, hoc fructi pro labore ab ijs fero.*

*Itaque Priſcianus, Diuerſis vocibus (inquit) vnum aliquando ſignificamus: vt Queſtus & Queſti: Ornatus & Ornati: Tumultus & tumulti. Quare, indifferenter etiam poſteriores, parcius tamen & εὐφωνίας cauſſa, bis fere genitiuis in I, vſi ſunt: quam Salluſtius itidem vt M. Tullius ſequi voluit, cum in Catilinario ſcripſit, vt eſt apud Soſipatrum & Priſcianum, Senati decretum fit, ſicut ille cenſuerat. Quinctilianus quidem libro primo, Quid de alijs dicam (inquit) cum Senatus Senatus Senatui, an Senatus Senati Senato faciat, incertum eſt?*

XIIII K. Mai. *Noſtri omnes* XII.

## *IN EPIST. IIII.*

Quod ſcribis trium &c. *Mei omnes.* Quod ſcribis mihi, trium &c.

Excidendi cauſſa ſit, vt aliud renaſcatur. *Obſcure dictum, ac intellectu difficile, vt minus*

*equidem mirer, Bruti ſenſum non nunquam, ne ipſum quidem Ciceronem aſſequi potuiſſe. Verumtamen loci huius, ſiquis eſt, hic mihi videtur. Nunc danda opera eſt Cicero, ne dum malum, parũ alte excidimus, ſemper nobis cauſſa ſit, hoc eſt, materia reſtet, excidendi, ita vt noſtra culpa aliud renaſcatur, illo peius. hoc eſt, Sic Antonij excidenda tyrannis eſt, vt ne ea in Octauiano renaſcatur. Renaſcetur autem ſine dubio, ſi ei immodica concedamus. Trãslatio ab odioſis plantis ſumpta eſt; quæ niſi radicitus excidantur, repullulaſcunt.*

Nihil iam neq; opinantibus &c. *Faerni liber* Nihil non iam. *planius*.

Alia omnia ſic abunde ad ſunt. Abunde, *in nullo meorum eſt; nec tamen deleo. Quod mox ſequitur,* Tuæ virtutes, *in Antoniano ſeparatim ſcriptum eſt: hoc eſt, vtrinque moræ ſigno appoſito: quaſi nihil ei, nec cum antecedentibus verbis, nec cum conſequentibus, negotij ſit: Manutijq; coniecturam firmare videntur.*

Siquis putas. *Antonianus* Putet.

Si prouideri potuit. *Quo modo culpæ M. Tullius affinis non ſit, ſi prouideri potuit, ne ea exiſteret? Nos,* ſi prouideri non potuit, *& ex ſententia, et ex vno etiam meorum, emendamus. Erit inquit, Octauiani ingenij culpa non tua, ſi aliter fieri non potuit.*

## *IN EPIST. V.*

Dolabellam bello. *Plerique meorum,* Bello Dolabellam. *Qua ratione, ſi, quod eſt in Fortunatam natam, vitij, non prorſus declinatur: tamen quia remotius eſt, minus apparet.*

Quid tibi maxime. *Antonianus & ferme alij:* Quod maxime conducere Reip. tibi videretur. *paulò explicatius.*

Sibi ſubrogaſſet. *Manuſcripti omnes,* Subrogauiſſet.

## *IN EPIST. VI.*

Ambraciam ducere. *Mei omnes,* Ambracia *ſexto caſu: & puto rectum. Nam cùm in Macedonia congreſſuri eſſent, iuſſusq; eſſet Cicero filius, M. Bruto Heracleam occurrere: atque ita equites per Theſſaliam, hoc eſt, a meridie quo vergit Ambracia, ad ſeptentriones ducere: ſi Ambraciã legatur, contrario itinere vti videbitur, ac longius a Macedonia recedere. Erat autẽ Brutus in ima Candauia, cuius montes, vt Manutius docet ex Plinio, aberant a Dyrrachio millia paſſuum* LXXIX. *Sed quoniã plures erãt Heracleæ, vna in Macedonia, Thraciã ſpectãs, altera inter Bœotiã & Theſſaliam, Trachinia cognomento, de qua Thucydides,* ἀφικόμενοι ἐς ἡράκλειαν τὴν τραχῖνι:

*ad vtrã ſibi vellet occurri Brutus, quo'ue ſe cõferret, difficile eſt diuinare, aut conиectura aſſequi.*

IN EPIST. VIII.

Multos tibi commendo. *Antonianus & alij nonnulli*, Commendaui. *Quod probo. Hoc enim dicit. Multos tibi antehac commendaui, & nunc commendem neceſſe eſt.*

IN EPIST. X.

Tantum quiſque in Rep. *Noſtri*, Tantum quiſque ſe in Rep.

IN EPIST. XI.

Qui modo iudicarint. *Noſtri* iudicant.

Et mihi gratiſsimum erit. *Romanus, Antonianus*, Id mihi.

IN EPIST. XV.

Niſi fortaſſe vtrunque tu. *Prorſus rarum eſt, & haud ſcio an ſingulare, vt cum Niſi, Fortaſſe, non autem Forte, iungatur. Illa enim, Forſan, Forſitan, Fortaſſe, Fortaſſis, vim habent eam, vt quibus addantur, ea fieri poſſe vt euenerint, eueniant: hoc eſt, euentus facultatem ſignificent. Forte vero, ipſius euentus caſum. Itaque vel his tantum iungitur, quæ fortuito contingunt, vt in illo Terentij And. Forte, ita vt fit, filium perduxere: vel dictionibus fortuitum caſum ſignificantibus: cuiuſmodi illæ ſunt, Si, Ne, Niſi. Cic. 1, Verrina. Siquis veſtrum forte miratur; Item 11 de*

*Orat.* *Ne forte hoc magnum & mirabile videatur.* *Pro Flac.* *Niſi forte.* *Quo modo hic ſuſpicor eſſe legendum, vt proximũ ſuperius* Fortaſſe, *huius occaſionem dederit ſupinis ſcriptoribus.*

## *IN EPIST. XVI.*

Quæ ſi aliter eueniunt &c. *Abeſt a meis coniunctio* Si : *& quidem omnibus : nec dubito quin recte. Neque enim* Quæ, *benefacta refert, ſed infinite accipitur ; hoc modo. Quæ aliter ac volumus atque oportet eueniunt, infeſto animo reprehendimus: ita ut benefactis, nullam gratiã habeamus, ſed ea tanquam debita exigimus: quæ ſecus eueniunt, iniquo animo reprehendimus. Vel,* Aliter, *male, ſignificat, ut ad Atticum libro* VII. *Illum aliter cum alijs locutum eſſe audiebã. Quo ſenſu, etiam Secus accipitur. Idem Thoranio, lib. epiſt. ad Torquatum. Magna enim conſolatio eſt, cum recordare, etiam ſi ſecus acciderit, te tamen recte uereq; ſenſiſſe. In ſequenti autem ſententia,* Ille Conſul, & hunc conſularem, *ad unum Ciceronẽ, & Ille, & Hunc, debent referri. Non miramur inquit, Ciceronem reſiſtere Antonio. Id enim ab illo non ſolum poſtulatur, ſed ut debitum exigitur. Talis enim in Conſulatu fuit, ea geſſit, ut niſi nunc conſularis eadẽ præſtet, illa uideatur caſu feciſſe: nec dignitatem ſuam tueatur. Quare, ſi paululum offenderit, remiſſiorq; ac diſſolutior fuerit: etiã futuri tẽporis gloriã eripuerit ſibi, &*

*præteriti extinxerit; quaſi non iudicio illa, ſed caſu quodam fecerit. Nihil autem per ſe amplum eſt, niſi in quo iudicij ratio extet.*

### IN EPIST. XVII.

Ex Flauio noſtro perſpexi. *Antonianus liber* In Flauio. *& probatur, vt ſe dicat Brutus Attici conſiliũ perſpexiſſe, non ex ſermone Flauij, ſed in facto Flauij: cũ Atticus ab eo appellatus, vt princeps eſſe vellet, priuati ærarij C. Cęſaris, illius interfectoribus cõſtituendi; prorſus negauit. Hoc totũ ſcribitur a Nepote, in ipſius Attici uita.*

Qua non deterrear. *Negatio illa, in nullo meorum inuenitur, quod argumento eſt, recte ſupra* Quin *in Poggiano & Antoniano ſcriptum eſſe, illo & ſenſu & ordine. Nulla erit tam bona condicio ſeruiendi, qua ego deterrear, quin cum ipſa re bellum geram, hoc eſt, cum regno, & quæ ſequuntur. Valet autem Deterrear, Auocer, Auertar, Repellar. Etiam ſententia, niſi fallor, non paulo melior eſt.*

Diligi ab Octauio. *Faerni liber.* Diligi ſe ab Octauio.

### IN EPIST. XVIII.

Et inclinatæ Reip. *Manuſcripti noſtri*, Et inclinatæ pene Reip. *Vtra melior lectio, non habeo dicere.*

Quàm me obligaui. *Antonianus & alij*, Quàm me ipſum.

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS M. TVLLII CICERONIS AD Q. FRATREM EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

## Ex Libro Primo.

### *IN EPIST. I.*

NE contrahas aut demittas. *Noſtri* Ac demittas. *Quod rectum eſſe puto, cùm vtrique verbo, ſua contraria, Erigas ac Reſiſtas, copulate reddantur. Sane Contractio animi as demiſſio, diuerſæ affectiones ſunt, quanuis poſterior ex priore naſcatur, vtraq; ex timore aut diffidentia. Tum enim manus damus, cum diffidimus. Itaque Cicero, fratrem forti animo vult eſſe: nec modo non ſuccumbere negotiorum magnitudini, ſed etiam reſiſtere, atque vltro occurrere.*

Cautiorem etiam ac diligentiorem. *Equidē*

*malim,* Cautionem etiam diligentiorem, *deleta copula. Nam cum quędam in fratre non ſatis probaret, præſertim quod Statio nimium indulgeret, hominem tamen natura iracundum irritare nollet: culpam confert in ruditatem illius, propter quam decipi potuerit ab ijs, qui dignitati illius, minus conſuluiſſent. Itaque mira quadam arte, integritatem in eo, id quod eſt maximum, laudat: cautionem non adimit, quam fatetur fuiße diligentē, ſed hanc uult eſſe, etiam quam fuerit, diligentiorem. Vulgata non undiquaq; mihi probatur.*

Ficte aut ſimulate. *Antonianus & plerique alij,* Et ſimulate.

Hunc ad tuum. *Antonianus & item aliquot alij* Hunc uero ad tuum. *Aſſeuerantius. Vim enim habet aſſentientis ea particula, & actione adiuuanda eſt. Tale eſt illud pro Quinctio. Gratia Sex. Neuij, ne P. Quinctio noceat, id uero non mediocriter pertimeſco. Et ad Seruium Sulpicium. Ego uero Serui uellem, ut ſcribis, in meo grauiſſimo caſu affuiſſes.*

Lenitas in diſcernendo. *Lenitas in diſcernendo cur requiratur, ac non potius iudicium, non ſatis perſpicio. Sane mihi probatior ea ſcriptura uidetur, quæ eſt in meis omnibus, Antoniano, Faerni, Romano reliquis, nempe* Decernendo. *Qua in re, lenitas laudatur. Adde quod diſcernendi*

*nendi ratio, in audiendo poſita eſt. Tris ergo gradus facit Cicero, primum audiendi: proximam decernendi: tertium ſatisfaciendi, ſi requiratur. Et primo quidem facilitatem attribuit: alteri, lenitatem: tertio diligentiã. Vocat autẽ hic in decernẽdo lenitatẽ ἐπιείκειαν, hoc eſt æquitatẽ, quæ de ſummo iure multum remittit: quam vſq; eo probarũt vt Ius eſſe nihil aliud voluerint, quam æquũ bonum.*

Apud quem primus lictor. *Malim* Primum: *vt primum inſtituti huius auctorem, Octauium faciat: qui tanta facilitate fuerit, vt ne lictoris quidem atque accenſi opera, vti voluerit. Ii enim in iudicijs præſto erant Prætori, nutum illius expectantes. Et cum lictoris quidem munus eſſet, vt turbam a tribunali ſummoueret: Accenſi, vt vel iuberet dicere, vel ſilentium imperaret: Octauius tamen, nec quenquam voluit prohiberi per lictorem, nec vlli finiendæ orationis neceſſitatem per accenſum imponi.*

Aut qui regerent. *Noſtri* Aut ij qui.

Quoniam in te retinendo. *Mallem* Quoniamq;.

Quanti haud ſcio an nemini. *Similiter Papirio Pæto, lib. epiſt. ad Varronem. Contingit enim tibi, quod haud ſcio an nemini. pro eo quod eſt, vlli.*

Et ſi mea pars. *Otioſa eſt copula, vel potius*

*ſenſum corrumpit.*

Expetenda fuit, quam tuenda nobis eſt. Nobis, *in meis eſt, poſt* Expetenda, *hoc ordine.* *Non tam expetenda nobis fuit, quam tuenda eſt. Et cadit lepidius & numeroſius.*

Non ſolum tibi parum conſulueris. *In nullo meorum inuenitur* Non ſolum. *Quia non rarò a Cicerone, vt nos antea admonuimus, et alij animaduerterunt, omitti ſolet: tot veterum librorum conſenſum, non arbitror negligendum. Sed & peritæ aures ſentiunt, quàm abſit ſine deſiderio. Valet autem,* Sed etiam *in hoc loco, Imo, Quin etiam Imo vero. aut certe defectus eſt negationis Non ſolum.*

Tanquam tertius actus. *Cum extremus annus prouincialis negotij a M. Tullio talis in fratre poſtuletur, qualis extrema pars & concluſio poetarum ſolet eſſe: nimirum perfectiſſima & ornatiſſima, quo modo tamen tertio actui comparatur, qui medius eſt? An per actus Cicero, tris illas partes fabularum intelligit, quarum a poetis in primis ratio habetur,* πρότασιν, ἐπίτασιν, καταστροφὴν? *quarum in extrema, qua fabula clauditur, plurimum artificij atque induſtriæ, quo plauſus excipiant, ponunt poetæ? Hac eadem ſimilitudine vſus eſt in Catone, iiſdem pene verbis. Hoc ſi docti probant, non eſt, quod vel ex-*

*tremus actus, vel ultimus legamus, contra veterum librorum ſcripturam.*

## IN EPIST. II.

Illum crucem ſibi ipſi conſtituere. *In meis omnibus.* ſibi ipſum. *quę dicendi forma Ciceroni eſt etiam vſitatior. Infra ad eundem lib.* III. *O Dij, quam ineptus, quam ſe ipſe amans ſine riuali. Sed res eſt peruulgata. Nec illud obſtat, quod* illum *antea dixerit, cum Illum ipſum dicamus, pro Illum met. Et Hercule, acrius in hominem inuehitur, cum dicit Illum ipſum, ſibi mali cauſſam fuiſſe.*

Sed in publicam, vel in priſtinum. *Romanus, contra quam reliqui mei,* An *loco* Vel *habet. Ego, quanquam ſcio vulgatam lectionem, & grammaticorum præceptis & ſcriptorum exemplis repugnare, tamen eius vnius libri auctoritatem, tot aliorum teſtimonijs præferre non audeo: ſed cenſeo cogitandum, num ne afferri alius poſſit ex Cicerone locus, vnde intelligamus* Vel *non nunquam* An *valere: niſi eſt ille forte ad Pætum, Amo verecundiam, vel potius libertatem loquendi. Quem locum, ſiquis attentius epiſtolæ finē inſpiciat, ſane intelliget, ne ipſe ſibi Cicero aduerſetur, ἀποϱηματικῶς, cū nota interrogationis eſſe enūtiandū: atq; ob eā cauſam* vel *eo in loco,* An

*ſignificare. Finis eſt autem hic. Ego ſeruo & ſeruabo (ſic enim aßueui) Platonis verecundiam. Itaque tectis verbis ea ad te ſcripſi, quæ apertiſſimis agunt Stoici. Quem, quis non videt ex aduerſo cum initio pugnare? Interrogatiue legatur ergo: qua loquendi forma, non ſemel ad Atticum ſcribens & alibi vſus eſt, cum de duobus vtrum affirmaret non haberet. Nam libro primo, Nos hic te (inquit) ad menſem Ianuarium expectamus: ex quodam rumore, an ex litteris ad alios miſſis? Quo modo, ſi, Amo verecundiam, pronuntietur, videbimur poſſe affirmare,* Vel *pro* An *vſurpatum non nunquam a Cicerone fuiſſe: & in hoc ipſo loco, quo de agitur, nihil eſſe mouendum, præſertim in ea lectione conſentientibus libris. Neque tamen oblitus ſum, quid Fabius Quinctilianus de his ipſis coniunctionibus ſcriptum reliquerit: nimirum eſſe quædam cognata, vt dicunt, id eſt, eiuſdem generis; in quibus qui alia ſpecie quam oporteat vtatur; non minus quam ipſo genere permutato, delinquat. An, & Aut, coniunctiones eſſe quidem, male tamen (inquit) interroges, Hic aut ille ſit. Sed nos exiſtimamus Quinctilianum, de rectiſſima dicendi ratione eſſe locutum; a qua non nunquam magni nominis ſcriptores, paululum declinant, iure quodam ſuo. Verum opponat aliquis; Fa-*

*bium ibi de* An *&* Aut, *non* An *&* Vel, *eſſe locutum. Cui nos; Nihil referre: Vel enim & Aut, ἰσοδύναμα eſſe, vbi præſertim nullę res huiuſmodi coniunguntur, quæ natura diſiunctę ſint. In hoc enim genere; indifferenter vtrouis vti licere. Sic enim de his Feſtus: Vel, colligatio quædam eſt diſiunctiua; ſed non earum rerum quæ natura diſiunctæ ſunt: in quibus Aut diſiunctione rectius vtimur: vt Aut dies eſt, aut nox. Sed earum quæ non ſunt contrariæ, quæ eligatur, nihil intereſt: Ennius. Vel tu dictator, vel equorum equitumq; magiſter Eſto, vel Conſul. &c.*

## IN EPIST. III.

Suauitate prope fratrem. *Non ſecus mei omnes. Et mihi rectè Manutius emendaſſe videtur. Quanquam, ſi* Fratrem *ſeruare libet, liceat in hunc modum legere.* Ego vero fratrem, ſuauitate prope æqualem. *Et tamen ſic minus placet, quam ſi* Fratrem *deleatur. Dixit autem, Suauitate æqualem, quod Amor, ut alibi idem ait, inter fratres ſit, ſuauitas non ſit. Ea eſt enim inter æquales, hoc eſt, inter amicos. Itaque infra, cum fratri ſuauitatem, quę ei non conueniret, tribueret, hoc temperauit, addita particula Etiam, quæ ibi ualet; Vt hoc etiam*

*addam: vt ita dicam. Locus eſt lib.* I I. *epiſt.* III, *hic. Quæ quidem, tua mi frater prudentia, patientia, virtute, pietate, ſuauitate etiam, tibi mihiq; ſunt reſtituta.*

Neque me neque meos. Neque *hoc loco, pro* Vel *poſitum eſſe videtur. Id magis extabit, ſi verba, ad naturalem dicendi rationem, coaptentur. Illud inquit, fieri non poteſt, me diutius in tam miſera vita commorari, vt diutius poſſim vel me vel meos lugere, qui modo fuerim fratre &c. beatiſſimus. Sed tamen eſt in ſententia neſcio quid, quod negationem habeat implicitam. hoc modo. vt diutius lugere poſſim ne me quidem nec meos.*

## IN EPIST. IIII.

Cautum meum conſilium fuit. *Hoc veritati repugnat. Vbique enim Cicero ſuum conſilium execratur. Quare placet hic legi* Defuit. *qua ratione, ex eadem fidelia, duos parietes dealbamus. Nam & ſuperiori ſententiæ ſuam formã damus, quæ ſic inchoata aut potius decurtata eſt: & hiſtoriæ ſeruimus: vt perfidiam amicorum accuſet, a quibus proditus ſit, & ſuam imprudentiã aut potius ſtultitiam damnet, quod iis crediderit, a quibus nunquam putauerit, ſe deceptum iri. Vtrunque illis verbis complexus eſt. Nullum eſt*

*meum peccatum, niſi quod ijs credidi, a quibus ne ſas putaram eſſe me decipi. Vſus eſt autem hic Cicero ἀσυνδέτως. Hanc dicendi formam & alibi adhibuit, & lib. ad Att.* III. *epiſt.* XV, *vt quidem habent manuſcripti omnes Antonianus, Faerni, Bononienſis, Maffei tres, reliqui. Hic mihi primum meum conſilium defuit, ſed etiam obſuit.*

De nouis autem Tribunis pl. *Hunc locum primus reſtituit Petrus Victorius, in caſtigationibus poſterioribus, in libros epiſtolarum ad familiares: cum antea & manuſcripti omnes & impreſſi,* Denocius autem *haberent.*

Luctum, laborem. *Faerni liber,* Luctum & laborem. *Lolgij* Laboremq; *Vterque bene: nec tamen vulgatam damno.*

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Q. Fratrem.

## EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

### Ex libro ſecundo.

#### IN EPIST. I.

CONTVMACITER, vrbanec̨ vexatum. *Faerni liber*, Inurbanec̨, *quod & Manutio placet. Et ſane licet conuicium vrbanitas ipſa ſit, facetum tamen eſt: ut, cum Contumaciter dixerit, Inurbane magis conueniat.*

Nam Plantius. *Antonianus* Plancius, *ut Manutio placet legi. quanquam & Victoriana editio, eodem modo.*

#### IN EPIST. II.

Non vt ſoleo ad te ipſe ſcriberem. *Noſtri paulum commutato ordine*, Non, vt ad te

ſoleo, ipſe ſcriberem, *ſane lenius, & qua de ſententia fortaſſe etiam verius. Intereſt enim non nihil, Vtrum Ad te, cum verbo Soleo, an cum ſcribere iungatur. Sed & ſic eſt in Editione Victorij.*

Te puto ſæpe habere, & ſi non ſemper &c. *Hæc verba* Et ſi non ſemper *: præter Romanũ in nullo meorum leguntur: ſed & in eo, inuerſo ordine, &* certe *aduerbio addito, in hunc modum.* Te puto, & ſi non ſemper, ſæpe certe habere &c. *Minus inepte. Ego tamen, tot librorum conſenſum libenter amplector.*

Tu ſi ita expedit. *Faerni liber,* Tu ſi iſta expediſti. *Cuius etiam lectionis, & Poggianus & Antonianus veſtigia quædam oſtendunt. Habent enim,* ſi iſta expedit. *Sed prorſus illa vera eſt, ſiue Quinctus in Sardiniam rei frumentariæ cauſſa legatus eſt a Pompeio, quod rentur Manutius, & Corradus. ſiue aliqua de cauſſa a Rep. miſſus (nam animi non arbitror) omnino illa conueniunt, ſi iſta expediſti.*

## IN EPIST. III.

CATO legem promulgauit. *Noſtri omnes* C. Cato.

Sed magna manus. *Non conuenit* Sed *cum præcedenti ſententia. Indicatur enim hac particula diffidentia quædam præſentium copiarum, cui*

*mederi cogitarint, noua manu ex Piceno & Gallia accerſita. Quæ porro diffidentia potuit eſſe, vbi multo eſſent ſuperiores? Mihi videtur, vt quam minimum a ſcriptura recedamus*, Et *eſſe corrigendum: vt ſignificetur, ad priores copias, eam quoque multitudinem acceſſuram, qua non modo Clodianis operibus, quibus iam tum ſuperiores erant: ſed Catonis quoque rogationibus de Milone & Lentulo, reſiſti poſſit. Quam porro facile S, accedere & proxima dictione: T vero in D, tranſire potuerit, ne admonendum quidem arbitror. Satis enim conſtat, eam affinitatem inter eas litteras fuiſſe, vt D, noua littera, vt Quinctilianus ait non videatur, ſed T mollitum Hinc factum eſt, vt Adque pro Atque: & Set, pro Sed, non raro inueniantur. Quod quidem Set, poſteriores, non in uoce, ſed in littera erratum eſſe rati, Sed fecerunt.*

## IN EPIST. V.

AD H-S M. CCCC. *Conueniunt mei omnes, cum editione Petri Victorij;* Milleq; *ſeu* Miliies, *quo quo modo M. illud interpreteris, quam tamen figuram in manuſcriptis non repperi, prorſus non habent: ſed tantum H-S* CCCC. *quod nos, ſeſtertium quadrin-*

genties exponimus, ſeſquiminore ſumma, quam illa ſit. Neque dicimus Seſtertium Millies quadringenties, vel quod inde comparari poterat tritici numerum, in tantis Reip. Vectigalibus, tantaq; hominum multitudine, quantum vrbs illa capiebat, fidem excedere: illud affirmamus, vetuſta exemplaria omnia H-S CCCC habere. Quod ſi Seſtertium quadringenties, vt dixi, interpretemur, haud ſane parua ſumma videri poterit, quæ decies centena millia aureorum noſtratium excedat: cum præſertim & pauci menſes ſupereſſent ad nouas fruges: & Romæ annonæ difficultas eſſet, non funditus euacuata & exhauſta horrea: vt ſi ad tritici quod reſtaret, id quoque quod ea pecunia pararetur accederet, ſuffecturum videretur. Addo illud quod eo anno, ut ipſemet Cicero gloriatur, magna frugum vbertas & copia fuit. Ita enim poſt reditum ad Quirites. En ego tot teſtimonijs Quirites, hac auctoritate Senatus, tanta conſenſione Italiæ; tanto ſtudio bonorum omnium, agente P. Lentulo, conſentientibus ceteris magiſtratibus, deprecante Cn. Pompeio, omnibus hominibus fauentibus, Dijs denique immortalibus, frugum vbertate, copia, vilitate reditum meum cõprobantibus; mihi, meis, Reip. reſtitutus: tantum uobis quantum facere poſſum pollicebor.

*Quantum porro etiam, exiſtimamus, quo carius veniret, comprimi potuiſſe? Sed hæ coniecturæ ſunt, & ſæpe fallaces: Illud quidem certum, H-S cccc ſcriptum in vetuſtis eſſe, quod & ſequimur. Adde illud, lineolam ſuperne ductam, in non nullis exemplaribus inueniri: a pleriſque tamen, quæ puto veriora, abeſſe. Immanis enim pecunia eſſet, præſertim in eius penuria, in totum annum ad Luxum ſuffectura, vel ſi domeſtici tritici, ne grauum quidem ſuperfuiſſet.*

Simul ac ille uenerit. *In noſtris* Simul ut. *Idem valet, fateor, ſed non id agimus, vt quacunque lectione contenti ſimus, dum idem ſignificetur, ſed ad veram ſcripturam reuocari uolumus. Dicimus autem Simul ac, Simul atque: ſimul &, quemadmodum Antonianus habet, licet Vt ſuperne additum ſit: & Simul vt.*

Cato concionatus eſt. *Hic quoque prænomen eſt ſcriptum in meis omnibus Quod omiſſum puto ab his, qui præter Marcum, neminem Catonem agnoſcerent.*

## IN EPIST. VIII.

Quod me admones de non curantia. *Ego auſus ſim propemodum affirmare,* De noſtra Vrania *ſcribendum eſſe hoc loco. Satis enim conſtat M. Tullium, tris libros de ſuo Conſulatu car-*

*mine ſcripſiſſe, eosq́; a trium Muſarum nominibus appellaſſe: certe muſis in eis loquendi partes dederit. In quibus Vraniam fuiſſe ea teſtãtur, quæ ſunt in libro primo de Diuinatione, totidẽ uerbis. Sed quo potius vtar aut auctore aut teſte quàm te, cuius edidici etiam verſus & libenter quidem, quos in ſecundo de Conſulatu Vrania Muſa pronuntiat? Calliopem quoque hoc in numero fuiſſe, epiſtola mihi illa facile ſuadet, quæ eſt ad Atticum, libri ſecundi, tertia, hæc conttinens. Sed me* κατάκρισις *mea illa commouet, quæ eſt in lib.* III.

*Interea curſus quos prima a parte iuuentæ*
*Quosq́; adeo Conſul virtute animoq́; petiſti,*
*Hos retine: atq; auge famam laudesq́; bonorũ*

*Hæc mihi cum in eo libro, in quo multa ſunt ſcripta* ἀριστοκρατικῶς *Calliope ipſa præſcripſerit &c. His ergo argumentis videmur nõ inepte* Vrania *reſtituiſſe. Manuſcripti tamen cum vulgata conſentiunt, præter unum Faerni, qui habet,* De non Vrantia. *qua de Vrania quidem a coniectura noſtra non ſane ualde diſtans.*

Per benigne mihi reſpondit. *Noſtri omnes.* Permihi benigne. *Vt alibi. Per mihi gratũ.*

## IN EPIST. IX.

DOCERE uidebaris. *Ant. Faer. aliquot alij,* Videbis. *rectum arbitror,* Videris: *vt ho-*

minem fraterne caſtiget, cui quidem in mentem venire potuerit, vereri, ne ſe interpellaret. Tu inquit mihi videris iſtiuſmodi humanitatis exemplum inter nos inducere, quod mihi ſequi non libeat. Ita enim illud accipio, Qua quidem nihil utor abs te. Itaque & ſuperiora illa: Tu ſcis quid ſit Interpellare, cum nota ſciſcitandi lego: ut huius loci totius, ſenſus ille ſit. Tu times ne me interpelles? Primum, ſi in iſto eſſem, ut nollem interpellari, tu ſcis quid ſit interpellare? hoc eſt, videris mihi neſcire quid ſit interpellare, cum tu mihi importunus aduenire nunquam poſſis. An te Ateius interpellat? Sane mihi videris iſtius generis humanitatem docere, qua ego non utor abs te: hoc eſt nolo a te diſcere. Nam arbitratu meo ad te accedam, de interpellatione nihil ſolicitus. Sic ego & interpretor & lego. Quod ſi uulgatam ſequamur, cum in reliquis omnibus, tum in illo, Qua quidem nihil utor abs te, non parum frigoris inerit. Sed non omittam illud quod mihi uenit in mentem, ſubuereri, ne in illis, An te Ateius? mendum ſit. Nam primo, Quis hic Ateius, Quincto tam familiaris, ut quiduis agenti, importunus aduenire nunquam poſſet? Certe, cum tanta charitas eſſet duorum fratrum, ut nemo uni amicus eſſe poſſet, quin alteri eſſet cariſſimus, in tot, tamq; uarijs ſcriptis M. Tullij, taceri Ateius

*non debuit. Deinde in Antoniano & nonnullis alijs manuſcriptis, non,* An te Ateius, *ſed* Ante a te is, *legitur. perperam ipſum quidem, ſed quod tamen vulgatæ ſuſpicionem creet, quæ alijs quoque de cauſis ſuſpecta potuit eſſe. Quanquam aliter etiam exponi poſſe videtur, nempe. An te Ateius hanc humanitatem docuit? vt Ateium Capitonem ſignificet, Iuriſconſultum quidem præcellentem, ſed aditu fortaſſe difficillimum: qui, cum & in reſpondendo & in ſcribendo eſſet occupatiſſimus, interpellari ſe ægre pateret. Huius a Gellio ſcripta non pauca cõmemorantur, De iudicijs publicis; de Iure Põtificio: Collectanea. Quanquam eo tempore duo Atei inueniantur fuiſſe; L. & C. vtrique Capitones. Prioris mentio fit in epiſtola Cælij ad Ciceronem, poſterioris, Ciceronis ad Plancum.*

Qua quidem nihil utor abs te. *Noſtri* Qua quidem ego nihil &c. ἐμφατικώτερον, *quemadmodum initio huius epiſtolæ.* Tu metuis &c.

Inuiſa uerecundia. *Faërni liber* Inſulſa, *reliqui* inſuſa, *ſed ſatis apparet, vnius litteræ omiſſione,* Inſulſa *placet.*

IN EPIST. XI.

QVOD rem diſcuſſeram. *Noſtri* Quod rem totam.

Quod nolit inquam. *Noſtri* Quod uult

inquam, *Vtrum melius, in re obſcura ſtatui non poteſt. Verba ſunt, aut duo loci potius ex ſententia illa, quam dixit Cicero, in regem Commagenum cauillatus: quos Quinctus deguſtaret, iudiciumq́; faceret, quam illi iocoſe tractari potuiſſent. Itaque ſtatim addit, Genus vides & locum iocandi. Iocum uero arbitror in illis fuiſſe,* Quo minus togam prætextam &c. *Item in Buriſrieni perſona, vt ſic quidem argumentum a maiori ad minus, ſed ironice tamen, cum Obſcurus aliquis regulus ſignificetur, qui tamen hoc ſibi honoris poſtulare non dubitarit. Leues hæ quidem coniecturæ; ſed quibus fortaſſe ueluti lucerna, ad ueram ſententiam ingenioſiores deducantur. Illud quidem certe affirmare poſſe videor, uerba illa, Decernendum nihil cenſeo; ab reliquo ambitu, illa moræ nota, ſecerni non oportere; ſed ſeparatim legi.*

## IN EPIST. XII.

CALLISTHENIS quidem uulgare ac notum negotium. *Muretus in ſuis varijs lectionibus* Calliſthenes *emendat, vt eadem prorſus dicendi ratio ſit., quæ eſt illa ad Atticum libro primo, Teucris illa, lentum ſane negotium. atque ita quodam in libro manuſcripto inueniri ait. Porro uulgare & Notum, triuiale exponit,*

*& in*

*& in quo nihil admodum excellat: quo ſenſu illa ſunt apud Horatium.*

*Ieiunus ſtomachus raro vulgaria temnit.* Itē

*Ex noto factum carmen ſequar.*

*Et quod ibi Notum dicit, paulo poſt, vocet, De medio ſumptum. Mox autem, Capitalem interpretatur ingenioſum, Ouidij auctoritate adductus, qui tertio lib. Faſtorum, de capta Minerua loquens, multasq; eius appellationes proferens, hāc primam poſuit; dictam videlicet eſſe Capitalem, quia ingenioſa ſit. Verſus autem qui afferuntur ab eo, ij ſunt.*

*Parua licet videas captæ delubra Mineruæ*
*Quæ Dea natali cœpit habere ſuo.*
*Nominis in dubio cauſſa eſt: Capitale vocamus*
*Ingenium ſolers: ingenioſa Dea eſt.*

## IN EPIST. XIIII.

Quàm ſi de multa nocte uigilaſſent. *Non diſſentiunt exemplaria, niſi quod* Multa *non habent, ſed tantum De nocte; quod cum ante primam lucem, &, cum adhuc nox eſſet ſignificet, poſſumus exiſtimare* Vigilare *pro* Euigilare *poſitum eſſe: niſi Euigilare eſt melius; quod ego tamen contra omnium exemplarium ſcripturam; affirmare nō auſim: eoq; minus quòd idem pro Muræna ſcripſit: Vigilas tu de nocte, vt tuis conſul-*

*toribus reſpondeas; quod valet Euigilas, excitaris a ſomno, & expergiſceris: Et Plautus in Moſtellaria.*

*T. Ecce autem hic depoſuit caput, & dormit: ſuſcita*

*Philo. Etiam vigilas? pater inquam aderit iam hic meus.*

*Quod eſt, Euigilas. Quin contra Euigilo a Cicerone, pro Vigilo, aut potius Inuigilo, Elaboro, Cogitoq́; poſitum inuenio. Vnde ſupra. Honeſta & expedita tua conſilia: quam euigilata tuis cogitationibus. quod eſt, diligenter & accurate cogitata atque diſcuſſa.*

Penicillo meo. *Faerni liber & Poggij* Peniculo, *alij* Penicillo.

Plus unus Cato fuerit. *Vel* pluris fuerit *eſt legendum, quod & ars & vſus ſcriptorum poſtulat: vel,* Plus potuerit. *quod poſterius magis probo, Ciceronis ipſius auctoritate permotus, qui hac ipſa de re ſcribens ad Atticum lib. IIII. Plus potuerit, dixit. Hæc enim illius ſunt. Quæ, ſi vt putantur, gratuita fuerint, plus vnus Cato potuerit, quam omnes quidem Iudices.*

Num aut res aut χαρακτὴρ. *In meis.* Num aut res eum, aut &c. *plenius.*

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Q. Fratrem.

## EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

Ex libro tertio.

### IN EPIST. I.

QVOD mihi denique. *Noſtri pene oẽs*. Mihi nunc denique. Sub tectũ cubiculi. *Oẽs fere*, Subiectum. *Faerninus, etiã* Cubiculo. *Et videtur rectum.*

H-*S* x. M. *Quod antea teſtatus ſum, id nunc etiam confirmo, figuram hanc M. quæ vulgo hodie, ἀντὶ τοῦ χιλιάδος ponitur, in uetuſtis libris non reperiri. Quod ſpectat ad hunc locum; in noſtris H-S* xvi. *ſuperne ducta lineola, ſcriptum eſt: quæ quid valeat nemo ignorat.*

Ita omnia conueſtit edera. *Noſtri omnes*, Conneſtiuit.

Vrget ille quidem. *Non nullis placet* Il-
lam. *& eſt cur placeat, noſtri tamen omnes, in vulgata conſentiunt.*

In Arpinati. *Antonianus & plerique* In Arpinate. *ſed nihil laboramus, cum Priſcianus libro* V I I, *huiuſmodi nomina, tam in l, quàm in E, ablatiuum facere doceat, illis ex Cicerone exemplis adductis. Pro Vareno. C. Ancharius Rufus, fuit e municipio Fulginate. In eodem. In Præfectura Fulginate. Idem pro Cluent. Ex municipio Aletrinate. Paulo infra tamen,* In Arpinati *ſcribitur.*

Venio nunc ad tuas litteras, quas pluribus epiſtolis acceperam. *Hoc eſt, ad ea quæ ſcripſiſti. Conſtat enim litterarum nomen, multo latius patere, quam epiſtolarum, libroſque & & orationes, & monumenta etiam ſignificare. Idem in Bruto. Hanc ſententiam Varro, pluribus atque illuſtrioribus litteris explicauit. Quod valet, libris. Et ad Atticum libro* X I I. *Ipſe me per litteras conſolatus ſum, quem librum ad te mittam. Et ad eundem libro* X I I I. *His libris, noua procemia ſunt addita, quibus eorum vter que laudatur. Has litteras volo habeas. Sed res eſt perſpicua.*

Ad eum reſcribere. *Quidam, ad eam, vt orationem intelligamus. Et eſt, cur magis probem.*

Quod compoſueram. *Ant. & Faer.* Inſtitueram. *vt inchoatum indicetur poëma, non abſolutum. Sed quia non pauciores cum vulgata conſentiunt, nihil ſtatuo.*

Partes Bibuli erant. Vibullij *reſtitui oportere, quod Paullus coniectura adductus fecit, veterum quoque librorum ſcriptura confirmatur, in quibus, ſi non plane Vibullij, perſimile tamen quiddam inſpici poteſt. Nam Antonianus* Bibullij *ſcriptum habet, ex Vibullij factum, ſine dubio, litterarum V & B, vt tum quidem ſcribebant ſimilitudine. Itaque non raro, in manuſcriptis etiam melioribus, B, loco V, legi, ante nos alij notauerunt; nec minus etiam illud, I. geminatum, raro in his reperiri. Quare Mai pro Maij; & Pompei pro Pompeij, quemadmodum hic Vibulli pro Vibullij ſcriptum inuenias.*

Ab Ariſtophane modo. *Antonianus liber,* Ariſtophaneo modo. *ſine vllo præpoſitionis veſtigio. Et miror, cur vni exemplari Manutius tantum tribuerit, vt & contra tot aliorum ſcripturam, & ſuum ipſius iudicium,* ab Ariſtophane *retinuerit. Petrus Victorius in libro Variarum lectionum, putat epiſtolam illam, verſiculis ſcriptam fuiſſe: cuiuſmodi nonnunquam Romani vti ſolerent, Ariſtophaneo*

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Q. Fratrem.

## EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

### Ex libro ſecundo.

#### IN EPIST. I.

CONTVMACITER, vrbaneq́ vexatum. *Faerni liber*, Inurbaneq́, *quod & Manutio placet. Et ſane licet conuicium vrbanitas ipſa ſit, facetum tamen eſt: ut, cum Contumaciter dixerit, Inurbane magis conueniat.*

Nam Plantius. *Antonianus* Plancius, *ut Manutio placet legi. quanquam & Victoriana editio, eodem modo.*

#### IN EPIST. II.

Non vt ſoleo ad te ipſe ſcriberem. *Noſtri paulum commutato ordine*, Non, vt ad te

ſoleo, ipſe ſcriberem, *ſane lenius, & qua de ſententia fortaſſe etiam verius. Intereſt enim non nihil, Vtrum Ad te, cum verbo Soleo, an cum ſcribere iungatur. Sed & ſic eſt in Editione Victorij.*

Te puto ſæpe habere, & ſi non ſemper &c. *Hæc verba* Et ſi non ſemper : *præter Romanũ in nullo meorum leguntur. ſed & in eo, inuerſo ordine, &* certe *aduerbio addito, in hunc modum.* Te puto, & ſi non ſemper, ſæpe certe habere &c. *Minus inepte. Ego tamen, tot librorum conſenſum libenter amplector.*

Tu ſi ita expedit. *Faerni liber*, Tu ſi iſta expediſti. *Cuius etiam lectionis, & Poggianus & Antonianus veſtigia quædam oſtendunt. Habent enim,* ſi iſta expedit. *Sed prorſus illa vera eſt, ſiue Quinctus in Sardiniam rei frumentariæ cauſſa legatus eſt a Pompeio, quod rentur Manutius, & Corradus. ſiue aliqua de cauſſa a Rep. miſſus (nam animi non arbitror) omnino illa conueniunt, ſi iſta expediſti.*

## *IN EPIST. III.*

CATO legem promulgauit. *Noſtri omnes* C. Cato.

Sed magna manus. *Non conuenit* Sed *cum præcedenti ſententia. Indicatur enim hac particula diffidentia quædam præſentium copiarum, cui*

*mederi cogitarint, noua manu ex Piceno & Gallia accerſita. Quæ porro diffidentia potuit eſſe, vbi multo eſſent ſuperiores? Mibi videtur, vt quam minimum a ſcriptura recedamus*, Et eſſe *corrigendum: vt ſignificetur, ad priores copias, eam quoque multitudinem acceſſuram, qua non modo Clodianis operibus; quibus iam tum ſuperiores erant: ſed Catonis quoque rogationibus de Milone & Lentulo, reſiſti poſſit. Quam porro facile S, accedere & proxima dictione: T vero in D, tranſire potuerit, ne admonendum quidem arbitror. Satis enim conſtat, eam affinitatem inter eas litteras fuiſſe, vt D, noua littera, vt Quinctilianus ait non videatur, ſed T mollitum Hinc factum eſt, vt Adque pro Atque: & Set, pro Sed, non raro inueniantur. Quod quidem Set, poſteriores, non in uoce, ſed in littera erratum eſſe rati, Sed fecerunt.*

## IN EPIST. V.

AD H-S M. CCCC. *Conueniunt mei omnes, cum editione Petri Victorij;* Milleꝗ *ſeu* Miliics, *quo quo modo M. illud interpreteris, quam tamen figuram in manuſcriptis non repperi, prorſus non habent: ſed tantum* H-S CCCC. *quod nos, ſeſtertium quadrin-*

*gentiès exponimus, ſeſquiminore ſumma, quam illa ſit. Neque dicimus Seſtertium Millies quadringenties, vel quod inde comparari poterat tritici numerum, in tantis Reip. Vectigalibus, tantaq; hominum multitudine, quantum vrbs illa capiebat, fidem excedere: illud affirmamus, vetuſta exemplaria omnia H-S* CCCC *habere. Quod ſi Seſtertium quadringenties, vt dixi, interpretemur, haud ſane parua ſumma videri poterit, quæ decies centena millia aureorum noſtratium excedat: cum præſertim & pauci menſes ſupereſſent ad nouas fruges: & Romæ annonæ difficultas eſſet, non funditus euacuata & exhauſta horrea: vt ſi ad tritici quod reſtaret, id quoque quod ea pecunia pararetur accederet, ſuffecturum videretur. Addo illud quod eo anno, ut ipſemet Cicero gloriatur, magna frugum vbertas & copia fuit. Ita enim poſt reditum ad Quirites. En ego tot teſtimonijs Quirites, hac auctoritate Senatus, tanta conſenſione Italiæ; tanto ſtudio bonorum omnium, agente P. Lentulo, conſentientibus ceteris magiſtratibus, deprecante Cn. Pompeio, omnibus hominibus fauentibus, Dijs denique immortalibus, frugum vbertate, copia, vilitate reditum meum cõprobantibus; mihi, meis, Reip. reſtitutus: tantum uobis quantum facere poſſum pollicebor.*

*Quantum porro etiam, exiſtimamus, quo carius veniret, comprimi potuiſſe? Sed hæ coniecturæ ſunt, & ſæpe fallaces: Illud quidem certum, H-S cccc ſcriptum in vetuſtis eſſe, quod & ſequimur. Adde illud, lineolam ſuperne ductam, in non nullis exemplaribus inueniri: a pleriſque tamen, quæ puto veriora, abeſſe. Immanis enim pecunia eſſet, præſertim in eius penuria, in totum annum ad Luxum ſuffectura, vel ſi domeſtici tritici, ne grauum quidem ſuperfuiſſet.*

Simul ac ille uenerit. *In noſtris* Simul ut. *Idem valet, fateor, ſed non id agimus, vt quacunque lectione contenti ſimus, dum idem ſignificetur, ſed ad veram ſcripturam reuocari uolumus. Dicimus autem Simul ac, Simul atque: ſimul &, quemadmodum Antonianus habet, licet Vt ſuperne additum ſit: & Simul vt.*

Cato concionatus eſt. *Hic quoque prænomen eſt ſcriptum in meis omnibus Quod omiſſum puto ab his, qui præter Marcum, neminem Catonem agnoſcerent.*

## IN EPIST. VIII.

Quod me admones de non curantia. *Ego auſus ſim propemodum affirmare,* De noſtra Vrania *ſcribendum eſſe hoc loco. Satis enim conſtat M. Tullium, tris libros de ſuo Conſulatu car-*

*mine ſcripſiſſe, eosq́; a trium* Muſarum *nominibus appellaſſe: certe muſis in eis loquendi partes dederit. In quibus Vraniam fuiſſe ea teſtãtur, quæ ſunt in libro primo de Diuinatione, totidẽ uerbis. Sed quo potius vtar aut auctore aut teſte quàm te, cuius edidici etiam verſus & libenter quidem, quos in ſecundo de Conſulatu Vrania Muſa pronuntiat? Calliopem quoque hoc in numero fuiſſe, epiſtola mihi illa facile ſuadet, quæ eſt ad Atticum, libri ſecundi, tertia, hæc conttinens. Sed me* κατάκλεισις *mea illa commouet, quæ eſt in lib.* III.

*Interea curſus quos prima a parte iuuentæ*
*Quosq́; adeo Conſul virtute animoq́; petiſti,*
*Hos retine: atq; auge famam laudesq́; bonorũ*

*Hæc mihi cum in eo libro, in quo multa ſunt ſcripta* ἀριστοκρατικῶς *Calliope ipſa præſcripſerit &c. His ergo argumentis videmur nõ inepte* Vrania *reſtituiſſe. Manuſcripti tamen cum vulgata conſentiunt, præter unum Faerni, qui habet,* De non Vrantia. *qua de Vrania quidem a coniectura noſtra non ſane ualde diſtans.*

Per benigne mihi reſpondit. *Noſtri omnes.* Permihi benigne. *Vt alibi. Per mihi gratũ.*

## *IN EPIST.* IX.

DOCERE uidebaris. *Ant. Faer. aliquot alij,* Videbis. *rectum arbitror,* Videris: *vt ho-*

*minem fraterne caſtiget, cui quidem in mentem venire potuerit, vereri, ne ſe interpellaret. Tu inquit mihi videris iſtiuſmodi humanitatis exemplum inter nos inducere, quod mihi ſequi non libeat. Ita enim illud accipio, Qua quidem nihil utor abs te. Itaque & ſuperiora illa: Tu ſcis quid ſit Interpellare, cum nota ſciſcitandi lego: ut huius loci totius, ſenſus ille ſit. Tu times ne me interpelles? Primum, ſi in iſto eſſem, ut nollem interpellari, tu ſcis quid ſit interpellare? hoc eſt, videris mihi neſcire quid ſit interpellare, cum tu mihi importunus aduenire nunquam poſſis. An te Ateius interpellat? Sane mihi videris iſtius generis humanitatem docere, qua ego non utor abs te: hoc eſt nolo a te diſcere. Nam arbitratu meo ad te accedam, de interpellatione nihil ſolicitus. Sic ego & interpretor & lego. Quod ſi uulgatam ſequamur, cum in reliquis omnibus, tum in illo, Qua quidem nihil utor abs te, non parum frigoris inerit. Sed non omittam illud quod mihi uenit in mentem, ſubuereri, ne in illis,* An te Ateius? *mendum ſit. Nam primo, Quis hic Ateius, Quincto tam familiaris, ut quiduis agenti, importunus aduenire nunquam poſſet? Certe, cum tanta charitas eſſet duorum fratrum, ut nemo uni amicus eſſe poſſet, quin alteri eſſet cariſſimus, in tot, tamq; uarijs ſcriptis M. Tullij, taceri Ateius*

*non debuit. Deinde in Antoniano & nonnullis alijs manuſcriptis,non,* An te Ateius, *ſed* Ante a te is, *legitur. perperam ipſum quidem, ſed quod tamen vulgatæ ſuſpicionem creet, quæ alijs quoque de cauſis ſuſpecta potuit eſſe. Quanquam aliter etiam exponi poſſe videtur, nempe. An te Ateius hanc humanitatem docuit? vt Ateium Capitonem ſignificet, Iuriſconſultum quidem præcellentem, ſed aditu fortaſſe difficillimum: qui, cum & in reſpondendo & in ſcribendo eſſet occupatiſſimus, interpellari ſe ægre pateret. Huius a Gellio ſcripta non pauca cõmemorantur, De iudicijs publicis; de Iure Põtificio: Collectanea. Quanquam eo tempore duo Atei inueniantur fuiſſe; L. & C. vtrique Capitones. Prioris mentio fit in epiſtola Cœlij ad Ciceronem, poſterioris, Ciceronis ad Plancum.*

Qua quidem nihil utor abs te. *Noſtri* Qua quidem ego nihil &c. ἐμφατικώτερον, *quemadmodum initio huius epiſtolæ.* Tu metuis &c.

Inuiſa uerecundia. *Faërni liber* Inſulſa, *reliqui* inſuſa, *ſed ſatis apparet, vnius litteræ omiſſione,* Inſulſa *placet.*

*IN EPIST. XI.*

QVOD rem diſcuſſeram. *Noſtri* Quod rem totam.

Quod nolit inquam. *Noſtri* Quod uult

inquam, *Vtrum melius, in re obſcura ſtatui non poteſt. Verba ſunt, aut duo loci potius ex ſententia illa, quam dixit Cicero, in regem Commagenum cauillatus: quos Quinctus deguſtaret, iudiciumq́; faceret, quam illi iocoſe tractari potuiſſent. Itaque ſtatim addit, Genus vides & locum iocandi. Iocum uero arbitror in illis fuiſſe,* Quo minus togam prætextam &c. *Item in Buriſrieni perſona, vt ſic quidem argumentum a maiori ad minus, ſed ironice tamen, cum Obſcurus aliquis regulus ſignificetur, qui tamen hoc ſibi honoris poſtulare non dubitarit. Leues hæ quidem coniecturæ; ſed quibus fortaſſe ueluti lucerna, ad ueram ſententiam ingenioſiores deducantur. Illud quidem certe affirmare poſſe videor, uerba illa, Decernendum nihil cenſeo; ab reliquo ambitu, illa moræ nota, ſecerni non oportere, ſed ſeparatim legi.*

## IN EPIST. XII.

CALLISTHENIS quidem uulgare acnotum negotium. *Muretus in ſuis varijs lectionibus* Calliſthenes *emendat, vt eadem prorſus dicendi ratio ſit, quæ eſt illa ad Atticum libro primo, Teucris illa, lentum ſane negotium. atque ita quodam in libro manuſcripto inueniri ait. Porro uulgare & Notum, triuiale exponit, & in*

*& in quo nihil admodum excellat: quo ſenſu illa ſunt apud Horatium.*

*Ieiunus ſtomachus raro vulgaria temnit. Itẽ*
*Ex noto factum carmen ſequar.*

*Et quod ibi Notum dicit, paulo poſt, vocet, De medio ſumptum. Mox autem, Capitalem interpretatur ingenioſum, Ouidij auctoritate adductus, qui tertio lib. Faſtorum, de capta Minerua loquens, multaſq; eius appellationes proferens, hãc primam poſuit; dictam videlicet eſſe Capitalem, quia ingenioſa ſit. Verſus autem qui afferuntur ab eo, ij ſunt.*

*Parua licet videas captæ delubra Mineruæ*
*Quæ Dea natali cœpit habere ſuo.*
*Nominis in dubio cauſſa eſt: Capitale vocamus*
*Ingenium ſolers: ingenioſa Dea eſt.*

## IN EPIST. XIIII.

Quàm ſi de multa nocte uigilaſſent. *Non diſſentiunt exemplaria, niſi quod* Multa *non habent, ſed tantum De nocte; quod cum ante primam lucem, &, cum adhuc nox eſſet ſignificet, poſſumus exiſtimare* Vigilare *pro* Euigilare *poſitum eſſe: niſi Euigilare eſt melius; quod ego tamen contra omnium exemplarium ſcripturam; affirmare nõ auſim: eoq; minus quòd idem pro Muræna ſcripſit: Vigilas tu de nocte, vt tuis conſul-*

*toribus reſpondeas; quod valet Euigilas, excitatoris a ſomno, & expergiſceris: Et Plautus in Moſtellaria.*

*T. Ecce autem hic depoſuit caput, & dormit: ſuſcita*

*Philo. Etiam vigilas? pater inquam adest iam hic meus.*

*Quod eſt, Euigilas. Quin contra Euigilo a Cicerone, pro Vigilo, aut potius Inuigilo, Elaboro, Cogitoq́; poſitum inuenio. Vnde ſupra. Honeſtæ & expedita tua conſilia: quam euigilata tuis cogitationibus. quod eſt, diligenter & accurate cogitata atque diſcuſſa.*

Penicillo meo. *Faerni liber & Poggij* Peniculo, *alij* Penicillo.

Plus unus Cato fuerit. *Vel* pluris fuerit *eſt legendum, quod & ars & vſus ſcriptorum poſtulat: vel,* Plus potuerit. *quod poſterius magis probo, Ciceronis ipſius auctoritate permotus, qui hac ipſa de re ſcribens ad Atticum lib. III, Plus potuerit, dixit. Hæc enim illius ſunt. Quæ, ſi vt putantur, gratuita fuerint, plus vnus Cato potuerit, quam omnes quidem Iudices.*

Num aut res aut χαρακτὴρ. *In meis.* Num aut res eum, aut &c. *plenius.*

# LEONARDI MALAESPINAE, SVARVM IN EPISTOLAS Ciceronis ad Q. Fratrem.

## EMENDATIONVM AC SVSPICIONVM RATIONES.

### Ex libro tertio.

### *IN EPIST. I.*

QVOD mihi denique. *Noſtri pene oēs.* Mihi nunc denique. Sub tectū cubiculi. *Oēs fere,* Subiectum. *Faerninus, etiā* Cubiculo. *Et videtur rectum.*

H-S x.M. *Quod antea teſtatus ſum, id nunc etiam confirmo, figuram hanc M. quæ vulgo hodie, ἀντὶ τῶ χιλιάδος ponitur, in uetuſtis libris non reperiri. Quod ſpectat ad hunc locum, in noſtris H-S* xvi. *ſuperne ducta lineola, ſcriptum eſt: quæ quid valeat nemo ignorat.*

Ita omnia conueſtit edera. *Noſtri omnes,* Conneſtiuit.

Quod compoſueram. *Ant. & Faër.* Inſtituer am. *vt inchoatum indicetur poëma, non abſolutum. Sed quia non pauciores cum vulgata conſentiunt, nihil ſtatuo.*

Partes Bibuli erant. Vibullij *reſtitui oportere, quod Paullus coniectura adductus fecit, veterum quoque librorum ſcriptura confirmatur, in quibus, ſi non plane Vibullij, perſimile tamen quiddam inſpici poteſt. Nam Antonianus* Bibullij *ſcriptum habet, ex Vibullij factum, ſine dubio, litterarum V & B, vt tum quidem ſcribebant ſimilitudine. Itaque non raro, in manuſcriptis etiam melioribus, B, loco V, legi, ante nos alij notauerunt: nec minus etiam illud, I. geminatum, raro in his reperiri. Quare Mai pro Maij: & Pompei pro Pompeij, quemadmodum hic Vibulli pro Vibullij ſcriptum inuenias.*

Ab Ariſtophane modo. *Antonianus liber,* Ariſtophaneo modo. *ſine vllo præpoſitionis veſtigio. Et miror, cur vni exemplari Manutius tantum tribuerit, vt & contra tot aliorum ſcripturam, & ſuum ipſius iudicium,* ab Ariſtophane *retinuerit. Petrus Victorius in libro Variarum lectionum, putat epiſtolam illam, verſiculis ſcriptam fuiſſe: cuiuſmodi nonnunquam Romani vti ſolerent, Ariſtophaneo*

*modo, idq́; cognoſci vel ex eo Ciceronis loco, qui eſt ad Atticum, quodam loco talis. Mummium fuiſſe ad Corinthum, pro certo habeo: ſæpe enim hic Spurius, qui nuper eſt mortuus, epiſtolam mihi pronuntiabat, verſiculis facetis, ad familiares miſſas a Corintho.*

Labeo autem. *In meis omnibus.* Labeo, aut. *bona & ſententia & dicendi ratione. Nam ſequitur* Aut *alterum.*

γνῶθι πῶς ἄλλοις κέχρηται. *Vide quo modo, alium tractauerit. Cautum præceptum atque vtile, adeo, vt illud etiam Iſocrates, ſiue Rhetor ille magnus, cuius domum Cicero, dicendi officinam fuiſſe tradit, ſiue quis alius fuit, in ſuam Parænesin ad Demonicum tranſtulerit, his verbis.* μηδένα φίλον ποιοῦ, πρὶν ἂν ἐξετάσῃς πῶς κέχρηται τοῖς προτέροις φίλοις.

In Conſilio Deorum. *Concilium Deorum, & alibi ſolet dicere, et hic mihi magis probaretur.*

## *IN EPIST. VI.*

Ad vi. Oct. Saluius Oſtiam veſperi naui profectus &c. *Ita veteres & recentes libri omnes Oſtiam. Cariſius tamen lib.* I. *inter eas vrbes Oſtiam commemorat, quæ plurali numero enuntiantur. Nomina (inquit) fluminum & montium & ciuitatum ſemper ſingularia ſunt,*

*niſi quæ natura pluraliter enuntiantur: ut Athenæ, Thebæ, Mycenæ, Baiæ, Cumæ, Puteoli, Oſtia, Brixiæ, Abellæ, Argi. Idem Diomedes ex Phoca. Ita enim. Item vrbium niſi quæ naturaliter pluraliter efferuntur, vt Athenæ Thebæ, Cumæ, Mycenæ, Grauiſcæ, Cruſtumiæ, Ricoſæ, Carpi, Puteoli, Oſtia. Quod ſecutus Dio videtur lib.* XXXVI, *cum de piratis loqueretur, qui non modo tranſmarinas vrbes, ſed Italiæ quoque inuaſiſſent ac diripuiſſent. ſic enim ibi.* Καὶ ἐς αὐτὰ τὰ ὤσια ἐσέπλεον. *Itaque dubitarem, ne mendum eſſet in verbis Ciceronis, niſi Græcos itidem vidiſſem, Oſtiam ſingulari numero, femineoq́; genere pronuntiaſſe. Dionyſius enim Halicar. in primo libro hiſtoriarum, ſic ſuis verbis.* ἀπὸ μὲν τῶν βορείων μερῶν ὁ τίβερις, ὀσίας πόλεως πλησίον ἐκδιδοῦς.

In Senatum ſe non committebat. *Non modo enim noctu, vrbem ingreſſus eſt, ſed ſcelerum ſuorum conſcientia perterritus, decimum quoque diem, domi ſe continuit, nec in conſpectum prodire auſus eſt. Emendandus eſt locus apud Dionem libro* XXXIX, *proq́;* ἔξω τῆς ἰταλίας, ἔξω τῆς οἰκίας *reponendum eſt. Hæc. n. eadem fere ibi narrant, his verbis.* Καὶ οὕτω καὶ αὐτὸς αἰσχρῶς καὶ κακῶς ὑπὸ τοῦ συνειδότος διετέθη, ὥς τε καὶ χρόνιος ἐς τὴν ἰταλίαν ἀφικέσθαι, καὶ νυκτὸς ἐς τὴν πόλιν ἐσκομισθῆναι, ἔξω δὲ τῆς ἰταλίας

(hic exiſtimamus τῆς οἰκίας ſcribendum) συχναῖς πάνυ ἡμέραις μὴ τολμῶσαι φανῆναι.

Magna res in motu eſt. *Magis probarem Magno, licet nullus a uulgata liber diſſentiat. ſic infra. Commouit me, & eo magis, quod maximos motus noſtræ ciuitatis attingere nō poteram.*

## IN EPIST. IIII.

Diruptis tabellis. Diribitis *emendat Grucchius, Diremptis Sigonius, aliudq́; Dirimere, aliud Diribere ſignificare contendit: Dirimi enim, hoc eſt, dinumerari lata ſuffragia: Diribi, hoc eſt, diſtribui ferenda. Id quod maxime ex Lucano probat, de ſimulatis Cæſaris ſuffragijs ita lib. v. canente.*

*-Fingit ſolennia campus*
*Et non admiſſæ dirimit ſuffragia plebis,*
*Decantatq́; tribus, & vana verſat in vrna.*

*Et Hercule in oratione pro Plancio, Diremptio legitur in impreſſis & manuſcriptis libris, tametſi Grucchius diribitis, conetur emendare. Ita enim in illa. Nam ſi quotieſcunque præteritus erit is, qui non debuerit præteriri, totiens opus erit eum qui factus erit, condemnari; nihil iam eſt, quòd populo ſupplicetur: nihil quòd diremptio, nihil quòd ſupplicatio magiſtratuum, renuntiatio ſuffragiorum expe-*

*ctetur. Hi duo loci, multum apud me valent; eoque magis, quod in Lucano de modo dubitari non poteſt, quaſi* Diribit *legi debeat: cum ij verſus a Priſciano ibi adducantur, vbi de verbo Dirimo, mentionem facit.*

*IN VLTIMA EPIST.*

Quàm ſe ipſe amans ſine riuali. *Significat, amatum a nemine. Translatio ducta eſt ab amatoribus, quorum ſit amica deformis; quam nemo ſibi expetat, aut amicam habere velit. Hoc alijs verbis ad Atticum ſcribens extulit, lib.* VI. *Huius nebulonis operatione, ſi Brutus moneri poteſt: licebit eum ſolus ames: me ęmulum non habebis.*

Vel quia munus magnificum dederat. *Adducuntur rationes, cur ſtulte bis terq; ludos appararet, prǽſertim non poſtulatus. primum illam, quia ſatis erat, munus, maxime illa magnificentia dediſſe: deinde, quia facultates nō erāt. etc. Reliquæ explicantur a Manutio.*

Qui ludos H-S ccc compar̃et. *Hinc ſublatam ſtellulam miror, cum ſatis appareat, hanc pecuniæ ſummam, non eſſe huiuſmodi, unde fortunarum ſuarum Milo naufragium facere potuerit. De qua re plura Victorius. Ad hæc, ualde ſuſpecta eſt, vox illa & noua, & ſententiæ repugnans, Conſiderantia.*

IN EPIST. AD OCTAVIVM.

*In epiſtola ad Octauium, non grauabimur operæ paulum conſumere: non quia Ciceronis eam eſſe exiſtimemus: ſed, quando in hunc librum coniecta eſt, ne quid deſideretur a nobis, quod ſtudioſæ iuuentuti prodeſſe poſſit. Etſi enim, diuina in ea Tullianæ dictionis uis, minus conſpicitur: apparet tamen ſtudioſi alicuius adoleſcentis fuiſſe, ad eam ſe ſtylo, exercitationeq; formantis, & plane ſeculi non infelicis. Nam & Seneca ſcriptum reliquit illis temporibus, complures declamatores fuiſſe, qui pro Cicerone, & contra Ciceronem, orationes ſcripſerint: cuiuſmodi eſt illa Latronis in Catilinam, Salluſtij in Ciceronem, & huius in illum.*

Quam libera ciuitas. *Faerni liber & Ant.* Quam quem libera ciuitas: *vt ita uerba ordinentur. Concupierat principatum magis regium, quam quem libera ciuitas pati poſſet.* Poſſet *enim habent mei, præter Antonianum, omnes.*

Donabat ciuitates, ex Commentario. *Emendo* ciuitate, *hoc eſt, Iure ciuium Romanorum. Neque enim erat magnum, aut ingentis beneficij loco habebatur, reliquarum gentium ciui-*

*tatibus donari, nec ualde expetebatur: ciuem Romanum fieri, id uero tanti putabatur, ut nullis artibus, non ſolum Itali, ſed etiam exteri abſtinerent, quo eo arreperent: Quod ſiquis hic ciuitates, urbes interpretatur, is uideat, ne uim utriuſque nominis, parum tenere uideatur. Cicero quidem urbes ex domicilijs coniunctis conſtare dicit: ciuitates ex conuenticulis hominum, inque urbibus habitare. Sed, quid uerbis opus eſt? Omnem ipſemet Cicero dubitationem auffert Philippica prima, de hoc ipſo Antonij facto ſic ſcribens ad uerbum. De exilio reducti a mortuo: ciuitas data non ſolum ſingulis, ſed etiam nationibus & prouincijs uniuerſis.*

Inmemor beneficij, ſcelerate &c. *Noſtri bis amplius.* beneficij ſui. *Atque ita etiam hic locus ab ijs adducitur, qui Sui probare uolunt pro Eius accipi non nunquam.*

Et aliquando id quod non erat. *Recte mei, niſi me fallit iudicium,* Quod non eram. *Quo enim ſpectet, Quod non erat? Meorum ſententia plana eſt: ut ſit prioris membri non ſolum explicatio, ſed etiam exaggeratio. Itaque neque dolentis aduerbium reiteratum eſt; ut intelligamus unam eſſe ſententiam. nimirum ſe fruſtra, & ſine cauſſa, cum*

*non eſſet, aliquando ſapientem iudicatum. Vnde & ſubiungit. Quantum te popule R. de me feſellit opinio.*

Eum agere, rapere Remp. *Agere, eſt hoſtilem in modum populari atque vexare. Græci* ἄγειν καὶ φέρειν. *Dio lib.* XXXXIII. Καὶ τοὺς νομάδας λαβὼν ἔστε τὸ ὑπήκοον ἐπήγαγε. καὶ τῷ σαλουστίῳ, λόγῳ μὲν ἄρχειν, ἔργῳ δὲ, ἄγειν καὶ φέρειν ἐπέτρεψεν. *Sic Liuius. Tum demum fracta pertinacia, vt ferri agiq́; res ſuas uiderunt.*

Conſceleratum impudicitiæ. *Placeret* Impudicitia.

Reliquias Cæſaris, ludi ad rudem. *Aliter,* Reliquias ludi Cæſaris ad rudem &c. *Et uidetur melius, quòd eos Octauius, non ad Ludum, ſed ad arma compuliſſet, ex Cæſaris Ludo extractos. Quæ tamen, per contemptum dicta ſunt, cum ueteres milites patris ſui, qui Capuæ, ceteriſq́; in oppidis Campaniæ grandi pecunia ſibi conciliauerit, eorumq́; opera, primum aduerſus Antonium, poſtea contra Remp. ſit vſus.*

*F I N I S.*

# ERRATA, QVAE INTER IMPRI-

mendũ, euenere, ſic corrigito. primus numerus ſignificat folium. a, primam paginam: b, ſecundã. Numero, qui ſequitur uel a, uel b, ſignificatur uerſus, in quo eſt erratum.

Folio primo: pagina b. verſu 25: lege creandum 2, b, 22, tum. 3, a, 20, fando. 5, a, 8, ſtatuam. 22, ἀπαγωγῆς. 6, b, 3, eam. 17, per. 7, a, 9. Aſconio. 9, b, 5, ἀπαγωγῆς. 11, b, 18, præde. 13, a, 1, veteres. 14, a, 8, mouentem. 15, b, 21, empta. 18, a, 9, Apuleii. b, 9, Que. 24, b, 14, Fufius. 25, b, 11, aberrauerit. 26, a, 24, mouere. b. 18, Fufius. 28, b, 1, queritur, 30, b, 21, Menęhmis 31, b, 13, meorum. 32, b, 12 καθῆσθαι. 27, Queritur. 34, b, 15, recto. 35, b, 18, pr eo. 36, b, 9, καὶ ἐχθρὸν. 10, κατ' ἐμὲ. 37, a, 10, Arteminos. 38, a, 10, σόλοικα. 24, parœmiam. 40, b, 20, vnum atque alterum. 25, indicem. 41, a, 9, indicarunt. 12, indicia. 44, a, 19, πελληνικὰ. 21, partim. 45, a, 15, A filio. 18, prænomine. 46, a, 23, διαφυλάττετε. b, 1, Et ſane Cicero. 7, dele, cum. 47, a, 2. Illa. b, 1, re. 59, a, 3, Impp. 5, ſummouimus. 6, Auguſtaneñ. 12, Antilibano 61, a, b, nullam. 62, a, 2, cauſſa. 3, expreſſe. 64, a, 22, fece. 66, a, 18, ἱστορεῖται. 70, a, 5, Itaq;. 71, a, 22, quæ nox ut Donatus. 73, b, 12, iudicare. 74, b, 2, ἐπειδὰν. 75, a, 5, ut, Sex. b, 9, eam. 77, a, 10, Nummiũ. 11, uulgatam. 82, a, 14. pro M ſcribe ea. 85, b, 18, tentabunt. & eodem uerſu fœtas. 86, b, 2, I. 89, a, 1, ἄκρας. 94, a, 7, euertere. 95, a, 14, ἐμοί. 98, b, 12, aliis. 99, b, 3, ineptus. 106, a, 2, græce. 3, certæ. 11, ex. 107, b, 12, ſcriptulis. 108, a, 18, L. Aurelio. 19, Aurelia. 111, a, 25, cuiuſmodi. 112, a, 20, Piræeo. 113, a, 15, in his uerbis: ſed ut cetera. dele ſed. b, 7, ſonum. 114, b, 5, Ereti. 7, mutueſcas. 115, b, 7, a. 116, a, 5, ποιήσειας. 117, b, 7. Brundiſiũ. 118, b, 9, a Nos. 119, a, 9, iubet. 121, b, 9, ῥώμαι ὤν πολῖται τὸ δὲ γὰρ. 123, b, 6. ἀκροτηρεὺς. 8, τηρεὺς. 11, promontoriorum. 124, a, 13, Serues. 16, commoueto.

125,a,17,interea ex,illud ex vacat. 126,a,26, Epulæ. 127,a,2,locum. 128,b, 10, φθόνον. 22,te. 129,a,18,&. 19,Apameæ.b,15,Græcæ. 132,b,1, dele Nam. 137,b, 3, certum. 139,a,2, ταῦτά γε. b,9,aſtas? 19, illæ. 24, &. 141,a, 6,accederent. b,1, auum. 142,a, 26, ipſum. b,1,dicendi 4,iraſcentis 12, οἶδα 13, τί δαί; 143,a, 5,poſitam. 144,a,13,appoſitius. 146,a,27, μεταιχμίοις. b,18, nugis. 148,a, 16, ſpectemus. 155,b,4, συνοικεῖ. 158,b,1,poſitum 19,Cneo. 159,a,5,uinctum. 16,ſummum. b,11, meas. 160,b, 12, πειρασμεύς 27, egeſtate. 161,b,11,meritus. 162,a,5,placent.b,13,dimiſſurum. 163,a,6,Cneus. 168,a,7,haut. 169,b,27, FORO. 171, a,7,F. 172,a,22, Quo loco ſit res. 27, queritur.b,1, queritur. 173,b,5,uincire. 174,b,14,hunc ipſum. 175, a,25,tuarumq; nõ tã facultatum. 177,b,6,εἰρωνικῶς. 8,dele quòd. 189,b,23,Mucii. 182,a,7, ἀστρατηγικὸς. 18, & 19,eum. 185,a,19, paratam. b,21, Cneo. 187,b,1, profectum. 3,quidem. 189,b,14, Cnei. 190,a,3, ἄρθηται. b,1, λόγῳ. 196,a,10,delicium 199,b,23,Vulcanalia. 202,b,20, Corfinii. 206,b,21,voluntate. 207,b,16, ὑπέρει. 209,a,21,aliorum. 212,a,9, pro Seruii filii ſcribe Seruii filio. 216,b,13, nouem. 217,a,8, ut ait Dio &. 221,a,12,audiuerint.b,13,uerum. 223,a,20,uerbi. b,23,obtinent. 226,b.6, minorem. 227,a,15, ſpoponderim. 233,a,24,κορίνθιοι. b,6, inhibete. 235,a,6,dele y. 236,b,14,auctor es. 237,b,16, uidetur. 238,b.24,libri. 239,a,13, PROSCAENIVM. 22, exiſtimarint. 243, a,6,adeundam. 246,a,18, noſti. 248, a,2, hic. 249,b, 26,quidem. 250,a,25,mi anime.b,27, Nonæ. 251,a,5, uno.b,6,ſit. 252,a,8, præponendam. 253,b,11, ὑποθέσεως. 255,a, 23, ſocium'ue. 264,b,11, ἀναντιφώνητον. 266,b,17, Antonius. 267,a,21, Decumano. 270,b,1, obſcuratam. 272,a,9, ignorantes ſiſti. 17, obſcura ſit. b,17,Balbo. 274,a,6,excellere.

Vocibus quòd & quàm, cum ſunt aduerbia, ſi deſit accentus grauis,addatur.

# REGISTRVM

*a b c A B C D E F G H I K L M*
*N O P Q R S T V X Y Z*
*A A BB CC DD EE FF GG HH II*
*KK LL MM NN OO.*

*Omnes ſunt Quaterniones,*

*VENETIIS*

*Apud Io. Bapt. Somaſcum Papienſem.*
*M. D. LXIII.*